TRIBUNAL
SS. PATRUM
ORIENTALIUM
Et
OCCIDENTALIUM
Ab Orientalibus summè laudatorum:

Ad quod, Duas,

DE PROCESSIONE
Spiritus Sancti á Patre & Filio,

Et

DE PRÆEMINENTIA
Romanorum Pontificum supra Orientales Patriarchias,

Controuersias expendendas,

Græci Schismatis Propugnatoribus proponit,

P. Nicolaus Cichouius Societ. IESV.

In Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cæsarij S. R. M. Typ.

S.K.

Facultas Reuerendi Patris Præpositi Prouincialis Societatis IESV per Poloniam.

CVm tres designati Theologi, Librum contra Schismaticos Errores Græcorum, à P. NICOLAO CICHOVIO eiusdem Societ. IESV conscriptum, cum eo Titulo, TRIBVNAL Sanctorum Patrum Orientalium &c. luce publica dignum iudicauerint; Ego item, MATTHIAS TOMASZEWSKI, Societatis IESV per Poloniam Præpositus Prouincialis, concessâ mihi potestate, ab Admodum Reuerendo Patre Nostro, GOSVINO NICKEL, Societatis IESV Præposito Generali, typis eundem mandari permitto: si per eos, ad quos pertinet, licuerit. Cracouiæ 13. Febr. Anno D. 1658.

Matthias Tomaszewski.

Censura & Approbatio Admodum R. Domini, In Diœcesi Cracouiensi Librorum Censoris.

LIber, cui Titulus est, TRIBVNAL SS. Patrum Orientalium & Occidentalium &c. à Reuerendo Admodum P. NICOLAO CICHOVIO Societatis IESV Theologo, conscriptus: nihil continet Catholicæ fidei aut bonis moribus aduersum; immò egregiè, & ex mente SS. Patrum, vtramque Controuersiam expendit & examinat: paremquè cæteris eiusdem Autoris operibus contra Heterodoxos editis, pietatem ac Zelũ refert; dignum eapropter censui publica luce & prælo. Die 7. Maij. Anno Domini 1658.

Hyacinthus Liberius, S. Th. D. Præpositus Ecclesiæ SS. Corporis Christi Can. Regul. librorũ in Diœc. Crac. Censor.

PROLOGIVM PARANGELICVM,

Ad

RELIGIOSOS ET REVERENDOS DD. PP. CÆNOBIARCHAS ET CÆNOBITAS,

LAVRÆ KIOVIENSIS:

Et

Acrochrysei, Methoreani, Eremitici,

aliorumquè Asceteriorum Basilianorum.

Singularis humanitas & Beneuolentia, quâ me aduenam à Centum amplius leucis aduentantem, in plerisq; tam extra quam intra Kiouiam asceterijs Religiosæ & Reuerendæ Paternitates complexæ sunt, tanto me sibi necessitudinis vinculo deuinxerunt; vt iamtum solicitè meditari inciperem: quid mihi faciendum esset; ne (quod sivi olim à beneficijs Augusti metuebat Furius) viuerē & morerer ingratus. Diu pauperem scrutanti supellectilem, nihil dum occurreret; quod in animi grati, cedere posset argumentum; venit in mentem, præclarum illud, S. Gregorij Theologi effatum : Orat. 13. Nihil (inquit) eos qui sincero animi affectu Deum colunt, æquè inter se conciliat, atque consentiens de DEO doctrina. Eapropter in eam descendi opinionem : rem me gratam Religiosis Patribus facturum, si; pro modulo virium à Deo datarum, enisus fuero; illum ipsum Orthodoxæ fidei candorem quem Orientalium Ecclesiarum Sancti Patres, magno laborum impendio, ab infestarum hæreseon fuligine, integerrimum conseruarunt; & , ad posteros doctissimis consignatum lucubrationibus transmiserunt; è tenebris in lu-

cem eruere : & venerabilem Orientalis Ecclesiæ faciem, in eius Principibus Personis videndam exhibere : eademquè operâ, Religiosas Paternitates ad illud ipsũ Sanctæ Ecclesiæ Romanæ inuitare gremium : quod lumina illa Orientis, Athanasius, Cyrillus, Basilius, Chrysostomus, Gregorij, Maximus, Damascenus, & alij summâ semper sunt veneratione & amore prosequuti. Quoniam verò à Doctissimo Domino Cænobij Acrochrysei Cænobiarcha intellexi; duas solùm esse Controuersias, quæ faciant, vt etiam studiosissimis pietatis Hieromonachis religio sit, in Romanæ Ecclesiæ venire communionem; alteram quidem de Processione Spiritus Sancti à Patre & Filio; alteram verò de S. Petri eiusquè in Romana Cathedra Successorum Primatu; ideo relictis cæteris, quæ non nisi ab idiotis vocantur in dubium; decreui de his solùm duabus quæstionibus, Sanctorum Patrum Orientalium scrutari sententiam: non dubius, q[ia]ibusuis quarumcunq; Theologicarum subtilitatum demonstrationibus, Reuerend[is] PP. certiora futura eorum pronunciata: quorum operâ, fides Orthodoxa, longè latequè per Orientem propagata, & contra grauissimos Hæreticorũ insultus felicissimè defensa est. Sanctis Patribus Orientalibus, adiiciam aliquot Occidentales, non nisi tamen eos, quorum etiam in Oriente maximam constat fuisse authoritatem, Neque verò me operam perdere arbitror: quòd, cùm duobus aut tribus testibus, intentam possem probare veritatem; plures adducere velim. Facio id, exemplo Patrum, Ephesinorum, Chalcedonensium, Constantinopolitanorum, Nicænorum, qui rerum fidei difficultates, non nisi è plurium Sanctorum Patrum suffragijs definiebant: tum quòd etiam hæretici, aliquos ex eis, sui erroris Patronos, adducere consueuissent: tum quòd difficilis inuentu veritas pluribus fuerit inuestiganda argumentis : vti docet S. Basilius lib. de Spiritu S. Cap. 1. *Ad hoc ergo ipsum Sanctorum Patrum Orientalium TRIBVNAL nos sistamus : eius iudicio, nostra cogitata submittamus : ex eorum voce quid in vtraque Controuersia omnes sentire debeamus; ediscamus. Ita fiet; vt quod tam diu orbis expetit vniuersus, illucescat nobis illud,* S. Gregorio Orat. 12. *expetitum triumphale festum: quo mutuas iungamus dexteras: & mutua nostra concordia in omnium exeat salutem, & restaurationem. Deus Pacis qui eduxit de mortuis, Pastorem magnum ouium* (Hebr. 13. v. 20.) *in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, aptet vos in omni bono: vt faciatis eius voluntatem: faciens in vobis, quod placeat coram se: per IESVM CHRISTVM: cuius est gloria in sæcula sæculorum, Amen.*

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO DOMINO,

D. THOMÆ

A RVPNIOW

VIEYSKI,

DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ, Epiſcopo Kiouienſi & Czerniechouienſi, &c. &c.

Domino & Benefactori Obſeruandiſſimo,

Gratia, & Pax, á DEO PATRE, & Domino NOSTRO IESV CHRISTO. AMEN.

QVantam malorum Iliadem, toti Eccleſiæ Chriſtianæ, Phociani Schiſmatis Camarina affuderit; Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Antiſtes; eſt in Orbis vniuerſi conſpectu.

Hæc eſt illa machina, quæ florentiſſimum Orientis Imperium, in ferociſſimam, ſanguineiſq; lachrymis deplorandam, Muſulmanorum impulit ſeruitutem. Hac, pluſquam Demetriana, Elepoli, ſubruta eſt, barbararum gentium quondam Victrix feliciſſima, Conſtantinopolis. Hæc cathena eſt: quâ Græcia, Ruſſiaq;

)(etiam-

etiamnum stringitur, ita pertinaciter; se vt in pristinam nequeat vindicare libertatem.

Misera! & vel hostilibus oculis miserabilis Russia! Quot agmina Christianorum, in carceres Turcicos, in compedes Scythicas, in ministeria hominibus ingenuis indignissima, toto Oriente, ad ipsum vsque Indicum Oceanum, coniecisti; dum Photiana, & Cerullariana dogmata, Orthodoxæ Sanctorum Patrum Religioni prætulisti!

Testem habeo oculatum: qui è Perside redux, non sine lachrymis refert: se innumerabiles Rossiacæ gentis captiuos, nuperrimâ rebellione, pecorum instar abactos, perq; totam Asiam dispersos, summo suo dolore conspexisse: vt tantæ calamitatis grauitate stupefactus, meritò hîc, cum feruentissimo illo, Catholicæ Fidei, & Sacræ Vnionis Zelatore, Gennadio, Patriarcha Constantinopolitano, inclamem. Deum bonum! Num magis nos, (Græci, Russi, Moldaui, &c.) quàm reliquæ Christianæ gentes, nostris criminibus DEVM irritamus? atqui sunt aliæ magis peccatis obnoxiæ: qui tamen, non ita, vt nos, affliguntur. Certè Iudæi, etiam tum, cùm idola coluerunt, cùm Barabbam Filio DEI prætulerunt, eumque crucifixerunt, tanta passi non sunt: nos, qui nec idola coluimus, nec Christum crucifiximus, patimur multò grauiora. Nam Iudæi quidem omnium gentium facti sunt serui: nos verò, non solùm gentium, sed & Iudæorum addicti sumus seruituti. Quamobrem verò hæc? Ego aliam nequeo reperire causam, nisi Schisma: seu, quòd nos subtraxerimus ab Obedientia & Subiectione Romanæ Ecclesiæ. Eam solam decerno esse causam interitus nostræ gentis: quia postquam ab ea recessimus, maledictionem accepimus: & patimur: cuius nos non pænitet, sed deteriores euadimus: & maledictis ipsam Ecclesiam impetimus. Quocirca, Fratres mei, per Christum, desperationem omittamus: & Christianæ Vnioni accedamus.

Hac Gennadij præmissa comploratione, omnes Græciæ Russiæq; Theologos, & Hieromonachos, ad reparandas Domus DEI ruinas, ad abijciendum adeo perniciosum, sanguinisq; sitibundum Schisma, ad hauriendа, è limpidissimis Sanctorum Patrum fontibus salutiferæ fidei præcepta, humillimè inuito. *Sancto-*

Sanctorum Patrum iudicio stemus: quid de Principio Actiuo SPIRITVS SANCTI, *quid, de Sancti Petri, eiusq; in Romano throno Successorum primatu, docuerint; studiosè perscrutemur. Deseramus Lutheri Caluiniq; Mephitim: & à solis Theodidactis Patribus, Sacrarum literarum sensa velimus edoceri. Quodsi aliquibus, non est tantum otij, vt prolixa Sanctorum Patrum euoluant volumina; En operam meam præsto: & quæ pluribus annis Sanctorum Patrum collegi testimonia; nouâ, & (nisi vehementer fallor;) expeditiore methodo, ad enodandas, Quæstionum, quæ potissimùm Sacræ Vnionis negotio officiunt, difficultates, produco: & quascunq; nostrorum argumentorum impetitiones, auribus, oculisuè, Kiouiæ exceptas, studio quam potui maximo, (vtinam pari successu!) refello: non aliud petiturus Minerual, quàm vt gens Rossiaca, suarum tandem, finem assequatur cladium: earumq; obstructo fonte, rescisso, (inquam) Schismate, se sub vno Pastore Catholico, vno velit ouili contineri: totiq; Sarmatiæ, diu desideratam, & ipsamet assequatur; & vniuerso Poloniæ regno restituat,* PACEM.

Hoc verò, quantillumcunq; operæ est; sub Tui Clarissimi Nominis auspicijs, Præsul Illustrissime & Reuerendissime, literarumq; Mæcenas liberalissime, publici iuris facio.

Quem enim potiùs, meo Tribunali praesse voluerim, quàm eum, quem eorum, quibus litem intendo à Sanctis Patribus decidendam, Summum Pastorem constituit DEVS.

Cui potiùs, meam, è Sanctorum Patrum armamentario assumptam, ad expugnandum Schisma, obtulerim Panopliam; quàm ei; quem liquidò constet, Paulino feruore, noctes diesq;, omnes eò conferre cogitationes, vt gregi sibi credito, lux veræ Religionis, discussis errorum tenebris affulgeat?

In cuius se manus, Kiouiensis lucubratio, fructuosiùs coniecerit, quàm in eas, per quas, longiùs, latiùsq;, fructus possit intentos diffundere? Ipsis profectò Schismaticis, notissima est, Tuæ Illustrissimæ Celsitudinis, literarum, doctrinæq; præstantia: & integerrimæ vitæ consuetudo: miroq; admodum nexu, cum omni donorum cælestium copia, coniuncta modestia: meritò, vt confidam; grauissimâ Illustrissimæ Celsitudinis authoritate, perfectum iri: vt Rossi, quantumuis Pho-

tiano errori addictissimi, à lectione, Tribunalis Sanctorum Patrum Orientalium, diu non agnitam, obuijs tandem vlnis, excipiant Veritatem: eamq; professi, se, Turcarum, Scytharumq; subtrahant seruituti. Id quod, vt tandem persuaderi sibi patiantur; rursus eos Gennadij Patriarchæ oratione compello. Resipiscite, rogo, Fratres: resipiscite: quamdiu in hac persuasione falsa morabimini? quamdiu si non vtroque, altero tamen pede claudicabitis? Excitemini desides: qui humi repitis, exurgite: ne dum vos malum somnum stertitis; facilè inimicus disseminet discordiæ zizania. Tollatur paries, qui dirimit sepem. Fiamus vnum corpus, sub vno Capite, quod est Christus &c.

Ita voueo: insimul à Domino IESV *Pastorum Principe, humillimè precatus: vt, Tuam, Præsul Illustrissime & Reuerendissime Celsitudinem, ad Sui Sanctissimi Nominis gloriam, ad Ecclesiæ* DEI *amplificationem, præsidiumq; & patrocinium minimæ Societatis* IESV, *in quam plurima semper beneficia contulisti, conferreq; non desinis; quàm diutissimè seruet incolumem: & post exactos laboriosi pastoratus dies, cælestium diuitiarum, meritorumq; ditissimum, immarcescibilis gloriæ corona remuneretur.*

Illustrissimæ & Reuerendissimæ
Celsitudinis
Seruorum in Christo
Minimus.
NICOLAVS CICHOVIVS
S. I.

CONTROVERSIA PRIMA.

DE Processione SPIRITVS Sancti, ex Patre & Filio.

QVÆSITVM I.

An Sancti Patres Orientales, vel ab Orientalibus magni habiti, agnouerint; in Sacra Scriptura, reuelatam esse, Procesſionem Spiritus Sancti, ex Patre & Filio.

AGnouêre: idque pluribus Sacræ Scripturæ Locis.

Primus Locus est: Psalmo 35. ℣. 10. *Apud te, est Fons Vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Quibus verbis significatam esse Processionem Spiritus Sancti à Filio; agnouit, celeberrimum illud, & lucidisſimum Alexandrinæ Ecclesiæ lumẽ, S. Athanasius: (Editionis Paris. Anno 1629. libro de Humana natura suscepta, *Fol. 60. C.*) Vbi postquam prolixè probasset, quòd ex plenitudine Deitatis ipsius, existat Spiritus, Apostolis datus: addit. *Eaque de causa, Dauid dicit: Quoniam apud te est Fons Vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen. Nouerat enim: apud Patrem, Filium, esse Fontem Spiritus Sancti.* Ne verò quis dicat; Filium, hîc Spiritus Sancti Fontem dici, ad extra; non ad intra; aduertendũ est: cuius Spiritus Sancti, à Sancto Athanasio dicatur Fons Filius: illius scilicet: (vt ex subsequentibus verbis patet:) quem Seraphim & Cherubim, vocibus illis, Sanctus, Sanctus, Sanctus, venerantur: in cuius nomine, æquè ac in nomine Patris & Filij baptizamur: & efficimur Filij DEI: *qui cum Pa-*

 tre &

tre & Filio est Dominus Sabaoth. Hunc autem esse personam Sanctissimæ TRINITATIS, Tertiam; (cuius ipsius Fons Pater, ab aliquibus Sanctis Patribus, esse dicitur,) manifestum est.

Hanc Sanctissimi Patriarchæ explicationem sequutus est, pari eruditione & Sanctimonia eiusdem Ecclesiæ Archiereus, Sanctus Cyrillus Alexandrinus: qui (Edit: Regiæ Lutetianæ, Anno 1637) libro primo de adoratione in Spiritu & Veritate, Fol. 9. ait. *Spiritus Sanctus, est Dei Patris & Filij: ille qui substantialiter ex ambobus,* (τὸ πνεῦμα οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν, ἤγουν ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ προχεόμενον) *nimirum ex Patre per Filium profluit.* Et Tomi Quinti parte Secunda, libro de recta Fide, *Fol. 34. B. Verbum quòd est, ex Deo Patre; Spiritum S.* ἐξ ἰδίας ἡμῖν ἀναπηγάζει φύσεως *ex propria nobis natura, quasi ex Fonte quodam transfundit.*

Eandem explicationem sequutus, Sanctus Basilius Magnus (Edit: Parisiens: *Anno Domini* 1638.) libro de Spiritu Sancto *Cap. 18. Fol. 334 B.*) ait. *Physica bonitas, & secundum naturam Sanctimonia, & regia dignitas, ex Patre, per Vnigenitum in SPIRITVM promanat.* En quàm claré profitetur: Filium, etiam ad intra, Fontem esse Spiritus Sancti: cùm dicit; Physicam bonitatem, & naturalem sanctimoniam, in Sanctum Spiritum promanare ex Patre per Vnigenitum.

Sequitur eandem Sanctus Chrysostomus: (Edit: Sonuillianæ) Homilia quæ incipit, Iterum nobis Dauid. Tomo 5. inserta; pag. 684; dicens. *Vides Fontem aquæ Viuæ esse Deum: aquam Viuam Spiritum Sanctum. Fons aquæ Viuæ, Pater est: Flumen ex Fonte procedens, Filius: Aqua Fluminis, Spiritus Sanctus.*

Denique ijsdem propè verbis, hæc verba Psalmi, explicat Clarissimus ille, Mediolanensis Antistes: quem Magnus Theodosius, solum suo tempore, nomine Episcopi dignum iudicauit: Sanctus inquàm Ambrosius: libro primo de Spiritu Sancto, Capite 19. *Apud te (inquit) Deus Omnipotens, Filius tuus, Fons Vitæ est: hoc est Fons Spiritus Sancti: quia Spiritus Vita est.*

Huic consimilis Sacræ Scripturæ locus est: Apocal: 22. ℣. 1. *Ostendit mihi Fluuium aquæ Vitæ, Splendidũ tanquam Crystallum, procedentem de Throno Dei & Agni.* Quibus verbis, reuelatam esse Processionem Spiritus Sancti à Patre & Filio, agnouit Andreas: Sancti Basilij in Metropoli Cæsareensi Successor. Hic in Commentario Apocal. inserto Tomo 4. Bibliothecæ magnæ, Edit. Colon. *Anno* 1618. hæc ipsa verba Fol. 540 explicans, ait.

Fluuius

Fluuius DEI, qui supernam Hierusalem largâ aquarum copiâ irrigat, est Spiritus Sanctus, qui ex Dei & Patris Throno per Agnum procedit. Eodem modo hæc verba explicat Sanctus Ambrosius, libro Tertio de Spiritu Sancto, *C.21.* Et Rupertus Abbas Tuitiensis: cui singulare explicandarum Scripturarum priuilegium, à Beatissima Deipara, collatum fuisse, satis graues testantur Hystorici.

Secundus Locus Sacræ Scripturæ est; Ioann. 14. ℣. 17. &c. 15. ℣. *26.* & ℣. 13. quibus locis, Spiritus Sanctus vocatur, *Spiritus Veritatis:* id est: *Productus, vel procedens à Veritate, quæ est Christus.* Ita enim hæc verba explicat, Sanctus Cyrillus Alexandrinus, Edit. citatæ, Tomo Quarto libro 10. Fol. 910. *Cum Spiritum Veritatis, hoc est suum dixisset; à Patre ipsum procedere ait: Vt enim est eius proprius Spiritus; naturaliter* (φυσικῶς) *& in ipso existens;* (ὑπάρχον) *& per ipsum proueniens: sic & Patris.* Et libro 11. Fol. 925. B. *Vide quàm Vigilans locutio. Nam cum dixisset venturum ad ipsos Paracletum; Spiritum Veritatis nominauit ipsum: hoc est sui ipsius. Ipse enim est Veritas. Non enim alienus ab Vnigeniti Substantia, Sanctus intelligitur Spiritus: proceditque naturaliter,* (φυσικῶς) *ex ea.* Reliqua eius testimonia infra afferentur,

Hoc ipsum verbis allatis, reuelatum esse; agnouit Didymus Alexandrinus, in insigni opere de Spiritu Sancto, à Sancto Hieronymo, Latinitate donato, eiusdemque operibus inserto. Hic libro secundo ita scribit: *Spiritus Sanctus, qui est Spiritus Veritatis, non potest Filio loquente, audire quæ nescit: cùm hoc ipsum sit, quod profertur à Filio: id est: Procedens à Veritate: Consolator manans de consolatore: Deus de Deo: Spiritus Veritatis procedens.*

Agnouit id ipsũ Sanctus Epiphanius, loco infra citando, hæresi 74. *Sanctus Spiritus (inquit) Vnus dicitur: à Patre & Filio:* (ἀπὸ τȣ̃ πατρὸς καὶ τȣ̃ ὑȣ̃:) *Vt pote Spiritus Veritatis: & Spiritus Dei.*

Tertius Locus est Ioann. 20. ℣. 22. ***Hæc cũ dixisset, insufflauit: & dixit eis. Accipite Spiritum Sanctũ.*** Quo loco Christum significasse; quòd Spiritus ab eo naturaliter & substantialiter procedat; docet primò: Sanctus Cyrillus Alexandrinus, in eius loci Commentario libro 12. in Ioann. *Fol. 1095 B. Sanctificat* (Filius Apostolos:) *proprium ipsis dans Spiritum, per manifestam insufflationem: Vt & nos credamus: quòd non alienus est à Filio Spiritus: sed ei consubstantialis: & per ipsum procedens à Patre.* Et infra: Fol. 1099. *Accipiunt ergo* (Apostoli) *Sancti Spiritus participationem: quandoquidem & insufflauit, eis dicens:* ***Accipite Spiritum Sanctum,*** *nec enim mentiri Christus potest, nec diceret Accipite, nisi daret.* Atque ex hoc præsupposito,

 Filium

Filium esse consubstantialem Patri, infert idem Sanctus Patriarcha libro 9. in Ioann. *Fol. 810. A. Quomodo (inquit) si Filius est alterius à Patre Substantiæ, Patris Spiritum tradit vt suum? Scriptum enim est: insufflasse discipulis dicendo:* **Accipite Spiritum Sanctum.** *Non ergò meritò credet aliquis? Filium, naturalium Dei Patris bonorum substantialiter participem; non aduentitium habere Spiritum, neque ab extrinseco, (furor enim est ita sentire:) sed quomodo vnusquisque nostrum, suum in seipso Spiritum continet: & ex intimis Visceribus profundit. Ideo enim Christus insufflauit: corporaliter ostendens: quòd sicut ex ore humano Spiritus prodit corporaliter: sic & ex Diuina Substantia* θεοπρεπῶς, *profunditur Spiritus, qui ex eo est.* Ne verò quis dicat, per illam insufflationem, sola gratiarum Charismata data esse, occurrit, *7. Dial. cum Hermia: Fol. 638. Non gratiæ (inquit) sed ipsius, Vnius & Sancti Spiritus, illa Saluatoris insufflatione, participes fuerunt Apostoli.* Satis ergò clarè Sanctus Cyrillus professus est, Processionem Spiritus Sancti, etiam à Filio, hoc loco Sacræ Scripturæ, esse reuelatam.

Neque hoc habuit à seipso: sed didicit à Magno Athanasio libro de Humana natura suscepta. *Fol. 600.* in fine, ita scribente. *Dominus inspirans in ora Apostolorum dixit.* **Accipite Spiritum Sanctum:** *Vt intelligeremus, quòd ex plenitudine Deitatis ipsius, ipse Spiritus existat, qui Discipulis datur.* Et Tomo Secundo Epistola ad Serapionem *Fol. 10. D. cum insufflasset in eos, dedit illum,* (**Spiritum Sanctum**) *EX SE Discipulis. Quomodo EX SE?* si non procedentem?

Eandem Veritatem, ex eodem loco deducit Sanctus Anastasius, Patriarcha Antiochenus *Lib. 1.* de dogmatibus Veritatis, inserto magnæ Bibliothecæ *Tomo 6. Fol. 697. C. Spiritus Sanctus, (inquit) cum Patre & Filio simul existit: tanquàm cum mente & Verbo. Etenim Dominus demonstrans,* δεικνὺς αὐτο ἐξ αὐτȣ̃ ὑπάρχειν *demonstrans (inquam) ipsum EX SE subsistere;* (ita enim aliqui apud Sanctum Damascenum Orat. de Sabbato Sancto τὴν ὕπαρξιν interpretantur:) *insufflans discipulis ait:* **Accipite Spiritum Sanctum:** *quem quidem, discipuli, adhibita precatione discipulis tribuebant: cum eâ differentiâ: quòd Apostoli Deo supplicantes, Spiritum Sanctum, ijs qui digni aduentu eius erant, veluti inducebant: Saluator vero noster præbebat eum ipsis, EX SEIPSO: tanquam ex Thesauro.*

Similis doctrina est Sancti Cyrilli Hierosolymitani Patriarchæ infra citandi. Nunc sufficiat testimonium, eiusdem Patriarchiæ Filij, Sancti Epiphanij: qui hæresi 74. Edit. Lat: Colō. *Fol. 242.* ait. *Vt ab ipsa sua diuinitate non extraneum esse Spiritum ostenderet, insufflauit in faciem discipulorum, &*

dixi.

dixit: *Accipite Spiritum Sanctum.* Et Hæresi 69. *Fol.* 179. *In alio loco non amplius petens, dat: sed propria authoritate, velut Fons existens ex Fonte; & Deus ex Deo, insufflauit in faciem eorũ: & dixit: Accipite Spiritum Sanctum.* E Constantinopolitana Patriarchia, hanc Veritatem, eodem loco reuelatam, agnouit Sanctus Basilius Magnus: idque significauit *Homil.* 17. de Baptismo *Fol.* 438. *A. Ad Baptismum accedens, meminerit Domini, qui Spiritum Sanctum insufflauit: perquè illam insufflationem significauit; quòd Spiritus Diuinæ essentiæ est.*

Quod dictum non alia ratione explicari potest: nisi per hoc argumentum. Quidquid procedit ex Deo, Diuinæ essentiæ est. Spiritus Sanctus insufflatus Apostolis ex Deo est. (Deus enim est Filius:) Ergo Spiritus insufflatus Apostolis Diuinæ essentiæ est.

Idem *Lib.* 5. contra *Eunom. Capite* de remissione peccatorum *Fol.* 780. in fine & sequentibus; ad probandum, quod Spiritus Sanctus sit Deus, hoc assumit argumentum. Qui potest per Apostolos dimittere peccata, est Deus: (cum nullius sit peccata remittere; nisi solius Dei:) Spiritus Sanctus insufflatus & datus Apostolis, potest per Apostolos dimittere peccata. Ergo est Deus. Hoc argumentum manifestè conuincit, illum ipsum Spiritum Sanctum, per illa verba, Accipite &c. Apostolis datum esse: non autem aliquod donum creatum: cùm aliquam creaturam dicere, & probare, esse Deum; Blasphemia, vel paganismus sit.

Quòd autem per illam insufflationem, significata sit Procesio Diuinioris Spiritus; præter eos quos attuli: docet insuper Sanctus Gregorius Theologus: Orat. 44. in Sanctam Pentecosten: (Edit. Antuerpien. *Anno* 1612.) *Fol.* 269. *A. Post confectum salutis nostræ negotium, Insufflatio, diuinioris procul dubio inspirationis, speciem habebat.*

Denique Sanctus Gregorius Nissenus (Edit: Parisien; *Anno* 1615.) in Oratione super illa verba: Tunc & ipse Filius subijcietur. &c. &c. *Fol.* 849 verba illa explicans: *Gloriã quã dedisti mihi dedi eis*: ita scribit. *Suam vt puto hic dicit gloriam, Spiritum Sanctum, quem dedit Discipulis, per insufflationem.*

Tot Orientalium Patrum testimonijs, Vnum ex Occidentalibus adijcio Sanctum Augustinum: magnâ semper veneratione, etiam ab Oecumenicis Orientalibus Synodis exceptum. Is Tractatu 99. in Ioann. ait. *Cur ergo non credamus quòd etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filij quoque ipse sit Spiritus? Si enim ab eo non procederet, certè Discipulis suis Dominus non diceret: Accipite Spiritum Sanctum.* Quod ipsum repetit Libro

 4. de Tri-

4. de Trinitate *Cap. 20. Non possumus dicere, quòd Spiritus Sanctus, & à Filio non procedat: nec enim frustra, idem Spiritus Patris & Filij dicitur. Neque video quid aliud Dominus significare voluerit; cum insufflans in faciem discipulorum ait: Accipite Spiritum Sanctum. Nec enim flatus ille corporeus, substantia Spiritus Sancti fuit: sed demonstratio per congruam significationem: non tantùm à Patre, sed & à Filio, procedere Spiritum Sanctum.* Eadem propè Verba repetit de Genesi ad literam *Cap. 10. Significatum (inquit) est, per illum flatum, sic à Filio procedere Spiritum Sanctum: quomodo ab eius corpore, flatus ille processit.*

Atque eapropter iudicet æquus lector, an non grauiter in Sacrum Patrum Orientalium (vt omittam Occidentales) Tribunal, deliquerit Theophilactus: dum in Commentario tertij Capitis Sancti Ioannis, talem horum verborum interpretationem, desipientiam vocat: leui ratiuncula, Theodori Mopsuesteni inductus: *Si (inquit) tunc dedit discipulis Spiritum, quando insufflauit: quorsum se postea, eum eis daturum promisit: & in die Pentecostes dedit?* Meminisse debuerat, hanc suam contradictionem, recensitam esse, in Concilio Quinto Oecumenico, inter errores Theodori, Capitulo 14. quem Vigilius Papa, in Constituto, proposito eidem Synodo, ita refutat: *Quod in eo Capitulo dictum est, quia Dominus Iesus Christus insufflans Apostolis, non dedit eis Spiritum Sanctum; sed dandum promisit;* (verba enim Theodori erant: si cum insufflasset, Spiritum Sanctum dedisset; superfluum esset dicere: *Vt expectarent promissum Patris*:) *Vt per hoc aut Veritas ipsa, quod absit, putetur mentita, dicendo: Accipite Spiritū Sanctū: quem non dabat: aut tanquam purum hominem, non habuisse quod daret: aut dare minimè potuisse: si hæc sapit; aut prædicat; anathema sit.* Hæc legisse par erat Theophilactum; ne se & alios, graui periculo exponeret obnoxios.

Ad suam dubitandi rationem, respondere deberet ipse. Quæro enim: Christus ante Baptismum in Iordane receptum, habuitne Spiritum Sanctum, an non? non nisi blasphemè diceretur secundum: si autem diceretur primum; quorsum ergo Spiritus Sanctus in baptismo descendit super ipsum? Sic: Virgo Deipara ante Pentecosten habuitne Spiritum Sanctum an non? Zacharias, Elizabeth, Simeon, habueruntne Spiritum Sanctum, antequam Christus esset glorificatus? Profectò eos ex Sacris Literis, plenos fuisse Spiritu Sancto didicimus. Præstiterat ergo huius nodi à Sanctis Patribus quærere solutionem; quàm tantis omnium Patriarchiarum Patribus, & Sancto Augustino, obijcere desipientiam. Rationis dubitandi, à Theodoro & Theophilacto allatæ, solutionem, qui velit; discat à Sancto Cy-

rillo Lib.

rillo Lib. 12. in Ioann. *Fol. 1097.* Sancto Augustino 4. de Trinitate *C 10.* Sancto Hieronymo Epistola ad Hedibiam *Quæstione 8.* vel ab interpretibus Sancti Ioannis, in hunc ipsum locum scribentibus: præsertim Toleto: & Maldonato: quorum hic, Theodori & Theophilacti sententiam, testatur damnatam, authoritate Quintæ synodi *Act. 3. C. 12.* & Edicto Iustiniani Imperatoris. Dico breuiter; in illa insufflatione, datum esse Apostolis Spiritum Sanctum, ad propriam eorum sanctificationem: quatenus erat necessaria, ad vtendum potestate remissionis peccatorum, quæ eis tunc per Spiritum Sanctum, tanquam effectus primariò intentus, conferebatur à Christo: qui illam potestatem morte obita obtinuerat: & vt Ecclesiæ caput, quibus volebat, poterat impertiri. In die vero Pentecostes; data est eis, visibiliter, & copiosiùs, plenitudo Spiritus Sancti, cum profusione gratiarum, gratis datarum: id est: cum dono miraculorum, linguarum, sermonis, scientiæ, & Sapientiæ: per quod effecti sunt, Magistri orbis sufficientissimi: & perfectissimi.

Quartus locus est Ioann. 16. ℣. 10. & seq. ***Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæ audiet loquetur.***

His verbis reuelatam esse, Spiritus Sancti Processionem à Filio, agnouit primò Didymus Alexandrinus libro secundo de Spiritu Sancto: ita scribens. *Nõ loquetur à semetipso: id est: non sine me: nec sine meo & Patris arbitrio: quia inseparabilis est à mea & Patris Voluntate: quia non ex se; sed ex Patre, & ex me est. Hoc enim ipsum quod subsistit; à Patre & me, illi est.*

Agnouit hoc ipsum Sanctus Cyrillus Alexandrinus Patriarcha *Dial. 7. ad Hermiam. Fol. 658. A. Vt Filius, Deo & Patri, cùm sit consubstantialis, & ipsius Verbum; quæ ipsius sunt loquitur;* (quem enim misit Deus, verba Dei loquitur, quia Filij voluntas alia non est, à Dei & Patris voluntate:) *ita Sanctus quoque Spiritus, Verba Christi loquitur: cum sit Spiritus eius.* Et Libro 33. Thesauri Fol. 344. *A. Neque cum hæc Saluator de Spiritu Sancto dicit; imperfectum eum esse ostendit: sed vt audientibus certiorem fidem faciat; eum cùm ex sua essentia sit, ait: nihil aliud loquuturum, quàm quod ipse vult.* Et infra C. *Cùm sit mens Christi, omnia quæ in ipso sunt eloquitur, non enim loquitur, aliena à Voluntate eius; Ex quo, & in quo est: & vt ex essentia eius naturaliter procedens.*

Sed multò clariùs & subtiliùs, Processionem Spiritus Sancti à Filio, concludit ex his verbis, Africanæ Ecclesiæ Sol, Augustinus: Tractatu 99. in Ioann. *Non loquetur Spiritus Sanctus à seipso: quia non est à seipso: sed quæ-*

cunq; audiet; loquetur: ab illo audiet; à quo procedit: audire illi ſcire eſt: ſcire vero eſſe. Quia ergo non eſt à ſe ipſo, ſed ab illo à quo procedit: à quo illi eſt eſſentia; ab illo ſcientia: ab illo igitur audientia. Quod verò in his Verbis, quæcunque audiet: intelligi debeat, à Filio; docet idem ibidem inferiùs: & ipſe hoc verborum contextus arguit: quia poſt ea verba, quæcunque audiet, loquetur; adduntur illa; *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet &c.* vt ita, idem, & ab eo, ſit Spiritui Sancto audire; quod & à quo accipere.

Accedit ex Orientalibus, teſtis omni exceptione maior, Sanctus Baſilius Magnus, qui Libro de vera Fide *Fol. 390. B.* ita ſuam profitetur fidem. *Credimus Spiritum Sanctum, Spiritum Veritatis: Spiritum quæcunque audierit à Filio, docentem &c.*

Vtrumque ſequutus Sanctus Fulgentius, vt vitæ ſanctimonia, ita ſtyli acrimonia, perquam ſimilis Sancto Baſilio, Libro 7. contra Fabianum, in Fragmentis, ita ſcribit. *In illa natura, vbi eſt ſumma ſimplicitas; in eo Filius videt, quod Pater facit, Spiritus Sanctus audit, quod cum Patre Filius dicit: quia communione naturalis eſſentiæ, & Filius de Patre natus extitit, & Spiritus Sanctus de Patre, Filioque procedit. Hoc ergo eſt Spiritui Sancto audire, quod eſt de natura Patris Filijque procedere.* Et ibidem. *Non ergo Spiritus Sanctus loquitur à ſemetipſo; quia non à ſeipſo; ſed de Patre & Filio habet naturalem locutionem: vnde naturaliter procedens, habet originis Veritatem.* Ex quibus omnibus hoc conficitur argumentum. A quo Spiritus Sanctus audit, ab eo procedit: (non enim aliud ei audire quàm procedere eſt.) A Filio Spiritus Sanctus audit. Ergo a Filio procedit.

Quintus loc• eſt. *Ille me clarificabit: quia de meo accipiet.* Ioannis eodem loco. Ex quibus Verbis, reuelatam Spiritus Sancti Proceſsionem à Filio, colligunt omnium Orientalium Patriarchiarum Patres.

Ex Alexandrina Patriarchia collegit hoc Sanctus Athanaſius; Sermone in illud: Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei: *Fol. 979. B.* his verbis id profeſſus. *Non hoc ideo loquitur; quaſi maior ſit Spiritus Sanctus &c. abſit: nam & antea docuerat: omnia quæ Pater habet, ea Filij eſſe: & Spiritum de Filio* (ἐκ τοῦ υἱοῦ) *accipere.*

Idem Oratione Quarta contra Arrian. *Fol. 495. B. Si admittas Spiritum Sanctum ſcire;* (diem iudicij) *multò magis Verbum, quatenus eſt Verbum, à quo etiam Spiritus accipit: nouerit eundem.*

Idem Libro de Communi eſſentia Patris, Filij & Spiritus Sancti, *Fol. 222.* ad finem, per hæc verba, *de meo accipiet*; probat: τὸ ἐξ Filio tribuendum eſſe: vt tribuitur Patri.

Idem

Idem Tomo Secundo, Epistola Secundâ, ad Serapionem; *Fol. 17. A.* hunc textum citans, ait: Spiritus Sanctus à Filio πάντα δέχεται: omnia recipit. Quæ Vox, expresiùs significat dantem & communicantem omnia: quòd in Diuinis aliter explicari non potest, nisi per originem.

Atque ea forte causa est: cur Sancti Athanasij, vtraque tam Comeliniana quàm Parisiensis editio, illa verba, ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, ita interpretatur: De me accipiet; eodem Secundo Tomo: in Epistola prima, ad Serapionem, ad eius initium.

Ex hoc testimonio, videant aduersarij: quàm valida contra eos erui possint argumenta. Ego id vnicum affero. A quo Spiritus Sanctus omnia accipit: ac inprimis notitiam diei iudicij: ab eo procedit. A Filio omnia, etiam notitiam diei iudicij accipit: vt Sanctus Athanasius docet. Ergo Spiritus Sanctus à Filio procedit. Hoc ipsum loquitur Sanctus Cyrillus Alexandrinus Libro 11. in Ioann. C. 1. *Fol. 929. E. Dicitur Spiritus Sanctus accipere à Filio: quia consubstantialis est Filio: & Θεοπρεπῶς procedit per ipsum: omnem ipsius in omnibus habens efficaciam. Et Fol. 930. B. Citra omnem ergo culpam dici potest: quòd Spiritus Sanctus aliquid à Filio accipiat. Procedens enim per ipsum Physicè, vt proprius ipsius, vnà cum omnibus, quæ perfectè habet, accipere dicitur, quæ eius sunt.*

Addit idem ibidem Capite secundo *Fol. 931. D. Nemo turbetur cùm hîc audit verbum accipiendi: sed sciat, nostro more enunciari res Diuinas: non sic tamen intelligi: sed modo nostrum captum excedente: atque ita nos dicere Spiritum Sanctum à Patre & Filio accipere: quæ eorum sunt.*

Ex hoc vltimo, ita argumentor. Quæcunque accipit Spiritus Sanctus à Patre, accipit per originem. Quæcunque Spiritus Sanctus accipit à Filio, eadem accipit à Patre. Ergo quæcunque Spiritus Sanctus accipit à Filio, accipit per originem. vel clariùs: Accipere Spiritum Sanctum à Patre & Filio, quæ eorum sunt, ~~est procedere~~ à Patre & Filio. Spiritus Sanctus accipit à Patre & Filio, quæ eorum sunt: Ergo Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio.

Ex Antiochena Patriarchia; collegit hoc ipsum; Primus, vel Secundus, à Sancto Petro, Patriarcha Antiochenus, Sanctus Ignatius Martyr: qui in Epistola ad Ephesios scripta, ita loquitur: *Sanctus Spiritus non sua propria loquitur: sed ea quæ sunt Christi: nec à seipso; sed à Domino: vt & Dominus, quæ à Patre accepit, annunciauit nobis. Sermo (inquit) quem audistis non est meus: sed eius qui misit me Patris. Et de Spiritu Sancto dicit: non loquetur à se: sed quæcunque audiet A ME: de se antè Patri; Ego te*

clarificaui super terrã. &c. & de Spiritu Sancto: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Addit, editio Oporiniana, quæ in alijs desiderãtur.

Vterq; ergo eorũ, ipsũ clarificat, à quo & accipit. Per quod testimonium, inprimis locus Sacræ Scripturæ quartus, efficaciter confirmatur. Nam à quocunq; Spiritus Sanctus audit, ab eo procedit. Sed à Filio audit: vt hîc disertissimè docetur: Ergo & procedit. Deinde, ex loco quinto infert, quod quærimus: nam à quo ita Spiritus Sanctus accipit quidquid loquitur, vt accipit Filius à Patre, quidquid annunciat; ab eo ita procedit Spiritus Sanctus, vt Filius à Patre gignitur. Sed Spiritus Sanctus accipit à Filio, quidquid loquitur. Ergo ita procedit à Filio, vt Filius gignitur à Patre.

Hoc ipsum ex eisdem verbis collegit, S. Anastasius Sinaita, Patriarcha Antiochenus: qui libro supra citato *Fol.* 544. *G.* ita docet. *Spiritus Sanctus ex Patre procedit, accipit autem à Filio, habente omnia Patris*: (ita in Græco textu est: λαμβάνει παρὰ τοῦ υἱοῦ) *: ad demonstrandum; vnam esse Substantiam accipientis : & eius à quo omnia accipit.* Vbi aduertendum: prudentissimè Sanctum Patrem, alia phrasi vti, in explicandâ Spiritus Sancti processione à Filio, quàm in explicandâ procesione eiusdem à Patre: vt scilicet, loqueretur verbis proprijs Sacræ Scripturæ: & vt significaret, Patrem & Filium, omnia Patris habentem, ita vnum esse Spiratorem; vt sunt vnus Deus: vnus Creator: vtquè innueret virtutem Spiratiuam in Filio, esse à Patre: & Spiritui Sancto non posse communicari essentiam à Patre, quin simul communicetur à Filio, omnia Patris habente.

Ex Hierosolymitana Patriarchia, hoc ipsum ex his verbis collegit Sanctus Cyrillus Patriarcha Hierosolymitanus: Edit Lutet. *Anno Domini* 1631. Catechesi 16. *Fol.* 187. *Pater dat Filio, & Filius communicat* (μεταδίδωσι) *Spiritui Sancto. Ipse enim Iesus est, qui dixit: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: & de Spiritu Sancto: Ille me glorificabit, quia de meo accipiet.*

Hîc manifestum est: in eo sensu dici Spiritum Sanctum accipere à Filio, vel Filium communicare Spiritui Sancto; in quo, Filio omnia sunt tradita à Patre: sed Filio omnia sunt tradita à Patre ad intra; seu per originem. Ergo & Filius Spiritui Sancto communicat, & Spiritus Sanctus à Filio accipit, ad intra: & per originem.

Id ipsũ agnouit Sanctus Epiphanius Ancorati, LatinæEditionis *Fol* 279. E. vbi ita scribit. *Cùm verò Christus ex Patre creditur, Deus de Deo: & Spiritus ex Christo: vel ex ambobus;* (ἐκ τοῦ Χριστοῦ ἢ παρ' ἀμφοτέρων) *vt loquitur Christus: qui ex Patre procedit: &; de meo accipiet. intelligo mysterium quod liberauit me.* Quo loco & similibus aduertendũ est, Sanctũ Epiphanium; pro

um; pro primo principio assumère, quòd idem sit; accipere ab aliquo, & procedere: & quòd Spiritus Sanctus accipiat à Filio. Hanc enim Conclusionem; Ergo Spiritus Sanctus procedit ex ambobus: id est ex Patre & Filio: ita probat. A quo Spiritus Sanctus dicitur in Sacra Scriptura procedere, vel accipere; ab eo procedit. Sed à Patre dicitur procedere; à Filio accipere. Ergo à Patre & Filio procedit. Idem, plusquam vigesies vtitur ea phrasi: Spiritus Sanctus à Patre procedit, & à Filio accipit. Sed de hoc pluribus infra.

Ex Constantinopolitana Patriarchia, his verbis, esse hoc reuelatum; docet primò, Sanctus Basilius libro tertio contra Eunomium: cuius verba infra referentur: nunc sufficiet quod idem Sanctus Metropolites, docens τὸ ἐξ tribui in Sacris literis Filio; hæc verba ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται explicat de Filio: libro de Spiritu Sancto. Cap. 5. *Fo.. 299. A.* & Cap. 18. *Fol. 333. E.* Quod ipsum facit, Sanctus Gregorius Theologus, Oratione 49. de Fide. *Filius Dei, sedens ad dexteram Patris: misit nobis Spiritum Sanctum, de propria sua, ex vnâ eademque substantiâ: Protectorem, Signatorem, Ductorem in vitam æternam: sicut scriptum est, ex voce Dei: Effundam de Spiritu meo super seruos meos.* Et infra. *Ipse Dominus Saluator noster: De meo (inquit) accipiet: Ex eo vtique quod est Filius, quia & Filius de eo quod Pater est.* Notent hîc aduersarij: ita, se referre debere ad Filium, quod accipitur à Spiritu Sancto; vti referunt ad Patrem, quod accipitur à Filio.

Tot Sanctis Patribus Orientalibus, liceat aliquos addere Occidentales. Primus sit Sanctus Hilarius, Episcopus Pictauensis, inuictus, in Oriente fidei Christianæ propugnator: atque eapropter à Socrate, Sozomeno, Nicephoro magnoperè laudatus. Is libro 7. de Trinitate *Editionis Colon. Anno Domini 1617. Fol. 44. E.* eadem Sancti Euangelij verba ita commentatur. *A Filio ergo (Spiritus Sanctus) accipit, qui ab eo mittitur, & à Patre procedit. Et interrogo: vtrum id ipsum sit à Filio accipere, quod à Patre procedere? Quodsi, nihil differre credetur, inter accipere à Filio, & procedere à Patre; certè id ipsũ atq; vnũ esse existimabitur, à Filio accipere; quod accipere à Patre. ipse enim Dominus ait: Quia de meo accipiet. Hoc quod accipiet, siue potestas est, siue virtus, siue doctrina, Filius à se accipiendum dixit.*

Secundus sit Sanctus Leo Magnus, quem Quarta Synodus Generalis appellauit (στήλην ὀρθοδοξίας) columnam rectæ fidei, quemque reliquæ sequentes Generales Synodi magnoperè prædicant. Is sermone secundo de Pentecos. explicans verba illa. *Adbuc habeo multa vobis dicere &c.* ita scribit. *Nunquid se Dominus intellIgi volebat, minùs aliquid didicisse à Patre quam Spi-*

quam Spiritum Sanctum? cùm ipse sit veritas, & nihil Pater possit dicere, nihil doceat sine Verbo: ideoque dictum sit, de meo accipiet: quoniam quod accipit Spiritus Patre dante; dat Filius.

Tertius, Sanctus Fulgentius libro 7. contra Fabianum. *De Filio ergo Spiritus Sanctus accepit: & omnia quæ habet Pater, Filij sunt, quæ Spiritus Sanctus accepit; quia non de solo Filio, sed simul de vtroque procedit.* Deniq; ipse Christus Dominus, vix non syllogisticè hoc ipsum concludit. Ita enim argumentatur. Cuius sunt, ea omnia quæ habet Pater; ab eo Spiritus Sanctus accipit, loqui, scire, eique identificatum esse. *Mea sunt omnia quæ habet Pater*: (ait Filius.) Ergo à me accipit Spiritus Sanctus, scire, loqui, esse. Hìc ab aduersarijs peto: vt deposito, erroris imbibiti, præiudicio; iudicent ipsi, an non se grauissimo hæreseos exponant periculo: qui negant hoc, quod hisce Christi Domini verbis, tanti Orientis & Occidentis Patriarchæ, esse reuelatum, & ad credendum propositum, verbis adeò expressis profitentur.

Videant etiam illi, qui hæc verba, *de meo accipiet*; explicant de Patre: an non proteruè contradicant Sanctis Patribus: qui disertè docent; hæc verba intelligi de Filio. Illi verò, qui huius lucis fulgoris, nubeculam nituntur obducere Theophilacti, ita hæc verba explicantis: *de meo accipiet*: id est; de meo thesauro; qui scilicet est Patris: meminisse deberent: ipsum Theophilactum, hanc explicationem non afferre vt certam, sed (vt fatetur ipsemet,) vt tantùm probabilem: eam ergo, tantorum Patrum disertissimæ explicationi præponere; non pertinaciæ est? deinde: Quid est thesaurus Christi, nisi eius essentia? vel ergo eadem est essentia Patris & Filij, vel diuersa: diuersam si dicitis; Arriani estis: eandem autem dicentes, fateri oportebit; Spiritum Sanctum quod sumit de essentia Patris, sumere de Essentia Verbi: & quod sumit de thesauro Patris, sumere de thesauro Verbi: cùm vnus & indiuisus vtriusque thesaurus sit. *Aliud* (inquiunt) *est de meo accipiet: aliud de me.* Respondeo. Negant id Sanctus Ignatius: S. Athanasius: & alij citati. Deinde. Distinguo: aliud hæc sunt in eis: in quibus distinguitur Meum & Me: non item in illis, in quibus hæc vnum & idem sunt. Verbum autem, cùm sit purus actus, non habet hæc distincta: sed perfectissimè vnum. Denique mirum est: quomodo saltem authoritati Sancti Gregorij Theologi pertinacia non cedit. Ait ille: *ex eo accipit Spiritus Sanctus quod est Filius*: quomodo ergo isti; verba hæc audent tribuere Patri? Nunquid illis (vt olim Sabellianis) Filius est Pater?

Amplius acutissimè aduertit doctissimus Cardinalis & Patriarcha Bessarion in

ſarion, in Opuſculo ſcripto ad Alexium Laſcarim: apud Græcos hæc verba, ἐκ τοῦ ἐμοῦ adiectiuè ſumpta, nunquam poni ſine ſubſtantiuo: ſecus per eam vocem, *De Meo*: tam rectè poſsit ſignificari hoſtis, vel ſeruus, quàm Pater. Senſus ergo ratiocinationis Chriſti eſt is, quem dixi: vel hic. Qui accipit ex eis, quæ habet Pater, accipit de Meis, vel de Meo: (*omnia enim, quæ habet Pater, mea ſunt.*) Spiritus Sanctus accipit de eis quæ habet Pater. Ergo accipit de Meis, vel de meo.

Denique his verbis, de Meo accipiet; adduntur hæc: Et annunciabit vobis. ex quo ita arguitur. A quo Spiritus Sanctus accipit ſapientiam, & vim illuminandi Apoſtolos, ab eo accipit eſſentiam. (idem enim Deo eſt ſapere & eſſe. A Filio accipit ſapientiam, & vim illuminandi: (vt veritas ipſa teſtatur:) Ergo à Filio accipit eſſentiam.

Quod autem Spiritus Sanctus ab eo producatur, à quo accipit eſſentiam, ita probo.

A quo datur eſſe Spiritui Sancto; hic eum producit: (nam in Diuinis idem eſt dare, quod producere: vt docet Sanctus Chryſoſtomus, explicans illa verba Euangelij; *Omne iudicium dedit Filio.*) A quo accipit eſſe Spiritus Sanctus, ab eo ei datur eſſe. Ergo à quo, eſſe accipit Spiritus Sanctus, hic eum producit.

Eſt ergo locus iſte, pro Spiritus Sancti à Filio proceſsione, tàm clarus: vt ille; *Qui à Patre procedit*: pro eiuſdem Spiritus Sancti proceſsione ex Patre. Vt proinde meritò, Sanctus Epiphanius, ex vtriuſque loci collatione; concluſerit Spiritum Sanctum, procedere ex vtroque.

Vnica ſupereſt difficultas. mihi à quodam Kiiouiæ obiecta: quod verba hæc; loquetur, audiet, accipiet, annunciabit; ſunt de futuro tempore. Ergo non ſunt intelligenda de æternà proceſsione, & ab intra: ſed de temporali, & ad extra.

Reſpondeo,: (vti etiam tunc reſpondi:) pridem hoc dubium ſolutum eſſe à Sancto Auguſtino: Tr. in Ioann. *Non moueat quenquam* (inquit) *verbum futuri temporis: illa quippe audientia ſempiterna eſt, quia ſempiterna ſcientia. In eo autem quod ſempiternum eſt, ſine initio & ſine fine, cuiuslibet temporis verbum ponatur; non mendaciter ponitur. Etſi enim, natura illa immutabilis, non recipiat, fuit & erit; tamen ob mutabilitatem temporum, in quibus verſatur noſtra mutabilitas, non mendaciter dicimus: & fuit: & erit: & eſt.*

Sextus Locus eſt: Secundæ ad Theſſalonicenſes Secundo, ℣. 8. *Quem D. Ieſus interficiet Spiritu oris ſui*: cui ſimilia loquitur Iſaias 11. v. 4. &

 Dauid pſ.

Dauid Pſ. 32. v. 6. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Hæc loca ſpeculatus, Sanctus Anaſtaſius Sinaita, Patriarcha Antiochenus, libro citato Orat. 1. *Fol.* 544. C. ait: *Verbum cùm ſit Filius, ſecum demonſtrat Spiritum Sanctum: Verbum enim non eſt abſque Spiritu, neque mens ſine Verbo. Mentem vero dicimus Patrem Verbi. Mentem dico: in quâ Verbum: cum quo Spiritus Sanctus eſt: qui Spiritus Oris Dei vocatur. Os namque Patris Filius eſt.* Et Folio 696. D. explicans mutuam connexionem Diuinarum perſonarum: ait: *Spiritus Oris eius; id eſt, Dei, dicitur Spiritus Sanctus: Os autem eſt Vnigenitus:*

Quocirca ſi Spiritus Sanctus eſt Oris Dei Spiritus, Os autem eſt vnigenitus Dei Filius; ita Θεοπρεπῶς Spiritus Sanctus procedit ex Ore Dei, quod eſt Filius, vt Spiritus noſter procedit ex ore noſtro. Et quia apud Sanctum Athanaſium, vel quendam alium Authorem *Dialogi* Primi de Trinitate, inſerti Tomo Secundo, Sancti Athanaſij; idem eſt eſſe Spiritum Oris Dei, & procedere ab Ore Dei; neceſſariũ eſt vt Spiritus procedens ab Ore Dei, procedat à Filio, qui eſt Os Dei. Hunc ipſum Titulum vni Filio, multis annorum centenis, ante Sanctum Anaſtaſium, tribuerat Sanctus Hilarius, Pictauenſis Epiſcopus in Commentario Pſalmi 118. *Fol* 264. *C. Os (inquit) Dei eſt ille: qui & Virtus, & Sapientia, & brachium Dei eſt, qui & imago Dei eſt: Deus ſcilicet, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus.*

Hoc ipſum innuit Sanctus Athanaſius, Patriarcharum Alexandrinorum clariſsimus, in Epiſtola ad Serapionem. *Fol. 181. A.* vbi citatis Apoſtoli verbis (ὃν ὁ κύριος Ἰησοῦς ἀναλώσει τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ) hæc verba ſubijcit: *Ecce quomodo Spiritus Sanctus in vniuerſa Scriptura certis notis deſcribitur.* Ibidem addit: ex additione articuli colligi; hæc verba dici de perſona Diuina Spiritus Sancti: ita vt hæc, ſit, Spiritus Oris Domini Ieſu. Ex his verbis SS. PP. patet: Spiritum Sanctum, ab eis Spiritum Oris Domini cenſeri: vt ex citatis locis, optimè ſic argumenter.

Quod eſt Os Domini, ex eo procedit Spiritus Sanctus.

Filius eſt Os Domini; vt probatum eſt. Ergo Spiritus Sanctus procedit ex Filio.

Sed præſtat Sancti Fulgentij diſertiſsimum audire ſermonem. Ita is libro de Fide ad Petrum Diaconum *Capite 11.* ſcribit. *De Filio quoque procedere Spiritum Sanctum, prophetica & Apoſtolica doctrina nobis commendat. Iſaias enim dicit de Filio:* **percutiet terram Virga oris ſui:** *& Spiritu labiorum ſuorum* **interficiet impium.** *Quem etiam ipſe vnicus Dei Filius, Spiritum Oris ſui*

ris sui esse significans; post resurrectionem insufflans in Apostolos ait: Accipite Spiritum Sanctum: De Ore vero ipsius Domini Iesu, ait Ioannes in Apocal. gladius vtraque parte acutus procedebat. Ipse ergo Spiritus Oris eius, ipse est gladius, qui de Ore eius procedebat.

Denique in eadem Sancti Pauli verba, scribens Oecumenius, (etsi ea sine nomine Iesu legat;) docet tamen: à Domino Iesu sublatũ iri Antichristum Spiritu oris eius: quem ibidem dicit esse Spiritum Sanctum: vt ideo meritò hoc testimonium Græcis obiecerit, ante annos 300. Barlaam Episcopus Hieracensis, Peloponesius genere; eisque exprobrauerit: vnâ cum Manuele Caleca: quòd veritatis odio, vocem Iesus, ex hoc textu eiecerint. Quod ipsum factum est. in Nouo Testamento Rußico edito Vilnæ: cùm tamen, ea vox Iesus, reperiatur in antiquo exemplari, edito à Ioanne Phædorouicio Typographo Moschouitico: Ioanne Basilide imperante, &Macario Metropolitano præsidente: quod Ostrogij vidi.

Septimus Locus est Ioann. 15. ℣. 26. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre &c.* Et C. 16. ℣. 7. *Si abiero mittam eum ad vos.* Et ad Galat: 4. ℣. 6. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem Abba Pater.* Hanc mißionem, Sanctus Gregorius Thaumaturgus sumit pro ἐκπορεύεσι: vt patet ex Homilia, *Tomo 7.* operum Sancti Chrysostomi *Edit: Sonuilli*; in appendice inserta: vbi ita loquitur Sanctus Pater: *Hic est, (Filius) qui mecum emisit Spiritum Sanctum: eundem in seipsum recipiens.* Et in Expositione Fidei quæ dicitur κατὰ μέρος Bibliothecæ Magnæ *Tomo 3. Fol. 37. B. Confitemur vnam substantiam Trinitatis esse: manente Patre ingenito: genito autem Filio, ex Patre; vera generatione: & Spiritu Sancto ex Substantia Patris per Filium æternaliter misso.*

Hic manifestissimùm est ἐκπέμψιν sumi pro ἐκπορεύεσι: siquidem hæc sola est ætern a mißio. Vnde & Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 37. quæ est Quinta de Theologia, *Editionis Billianæ Antuerpi: Fol. 230.* ad finem ea verba expendens, *Ego mittam eum!* & *Cùm venerit &c.* ait: *prioribus* οἰκεῖον ἀξίωμα, *propriam Filij authoritatem: posterioribus verò Spiritus libertatem ostendi.* Et Orat. 23. ad Heronem non procul à fine, ἐκπέμψιν *docet esse Spiritus Sanctus proprietatem:* vt ex vtriusque loci collatione pateat, eum per τὸ οἰκεῖον ἀξίωμα illud ipsum intellexisse, quo etiam, Filium, esse à Patre secundum; docet Sanctus Basilius *Libro Tertio* Contra Eunomium. *Edit. Citatæ Fol. 751.* quod ei scilicet sit principium & causa essendi. Confirmatur hoc, per verba eiusdem Sancti Theologi ex Oratione 49. de fide.

Filius misit

Filius misit nobis Spiritum Sanctum, de propria sua, & ex, vna eademque substantia. Quomodo verò Filius emittere aliquid posit ex propria & indiuisa Substantia, nisi per eius originatiuam communicationem?

Idem significauit Sanctus Athanasius: *Tomo* 2. Libro de Humana natura suscepta *Fol.* 601. *Ipse* (Filius) *ipsum Spiritum Sanctum desuper emisit vt Deus: & ipse eundem inferiùs excepit vt homo. Ex seipso igitur, in seipsum descendit.* Idem Oratione Secunda contra Arrianos *Fol.* 354. *C.* ita argumentatur. *Si (vt ipse Dominus locutus est) ipsius est Spiritus; Spiritusque de eo capit, & ab ipso emittitur; non vtique Verbum quatenus Verbum ab eo inungitur. &c.* Et Epistola ad Serap. *Fol.* 10. in fine. *Quemadmodum Pater ostendit Filium dicens; **Hic est Filius meus dilectus**; sic Filij est Spiritus. Emisit enim (inquit) ad Romanos Apostolus; **Spiritum Filij sui in cordibus nostris.** Et vt Filius dicit; quæ mea sunt, Patris sunt: sic Patris est Spiritus Sanctus; quemadmodum dictus est Filij: siquidem ipse Filius dicit: **Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam &c.*** Hîc patet: Spiritum Sanctum ideò dici Filij, quia à Filio mittitur: & ita dici Filij; vt est Patris: & proinde ob missionem non temporalem, sed æternam.

Alexandrino Patriarchæ addam Sanctum Anastasium Sinaitam Antiochenum Patriarcham: qui libro iam citato, *Fol.* 696. ita scribit. *Spiritus ex ipso (Filio) procedens, (Gracè est* ἐκπορὲυομενον ἐξ ἀυτȣ̃ *& missus non solùm à Patre sed & à Filio: sicut ait ipse Dominus: **Paracletus quem mittet vobis Pater: & iterum: Si abiero, mittam eum ad vos.***

Concludo verbis Sancti Fulgentij: Lib. Septimo ad Fabianum: in Fragmentis: vbi verba ea expendens: ***Ego mittam*** ita scribit. *En hic Paracletum: quem mittit Pater in nomine Filij; ipsum mittit Filius à Patre: mittit autem à Patre Spiritum Veritatis. Mittit ergo à Patre Spiritum suum: quia ipse est Veritas: mittit eum Pater in nomine Filij, quia vnus Spiritus est Patris & Filij: mittit eum Filius à Patre, quia sic procedit à Filio; vt procedit à Patre.* Et Libro 8. *Filius est à Patre missus, non Pater à Filio, quia Filius est à Patre natus, non Pater à Filio. Sic Spiritus Sanctus à Patre & Filio legitur missus: quia à Patre Filioque procedit.* Verba illa, ***Qui à Patre procedit***; an allatis Sacræ Scripturæ testimonijs aduersentur; & Spiritum Sanctum à solo Patre procedere probent; suo loco videbimus.

Ex his, quæ adduxi; liquidò constare potest: quam graui animarum suarum salutem exponant periculo: qui Spiritum Sanctum à solo Patre procedere; tot Diuini verbi Oracula, nihil morati, profitentur: magna æter-

ni verbi

ni Verbi iniuriâ. Ego eis, à Sanctissimo Spiritu, indignis licet precibus precor: eius vt septē charismatibus illustrati, veritatem, allatis Sacræ Scripturæ testimonijs, innixam, prout ea, à Sanctis Patribus explicata est, amplectantur: id quod nisi fecerint, grauiter eos periclitari necesse est. Quod duobus argumentis ostendo.

Primum est hoc. Non magis sunt clara Sacræ Scripturæ testimonia, quibus probatur Spiritum Sanctum esse Patri & Filio consubstantialem; quàm quibus probatur Spiritum Sanctum, procedere à Patre & Filio. sed illa, non obstantibus expositionibus, apparenter persuasiuis, faciunt rem de fide. Ergo & hæc, quæ attuli, non obstantibus expositionibus, Phocij vel Cerullarij, multò minus persuasiuis, & contra explicationem, Sanctorum Patrum Orientis & Occidentis nitentibus; faciunt dogma de processione Spiritus Sancti à Patre & Filio, de Fide.

Secundum hoc. Quod esse in Sacra Scriptura reuelatum, Sancti Patres Orientales & Occidentales agnouerunt, hoc sine hæresi negari non potest. Spiritum Sanctum procedere ad intra, à Patre & Filio, vel per Filium, Sancti PP. Orientales & Occidentales esse in Sacra Scriptura reuelatum agnouerunt: vti probatum est: (& si Sanctorum Patrum explicationi standum non erit, nullus verborum Sacræ Scripturæ sensus certus erit: nulla item explicatio, in quâ anima veritatis studiosa, fidei anchoram securè figere possit:) Ergo Spiritum Sanctum ad intra, procedere à Patre & Filio, vel per Filium, sine hæresi negari non potest. Qui igitur hoc pertinaciter negat; quem titulum mereatur; penes lectorem, veritatis, suæque & proximorum salutis Studiosum, iudicium esto.

QVÆSITVM II.

An Sancti Patres Orientales & Occidentales, in aliquo Oecumenico Concilio professi sint Spiritum Sanctum, à Patre Filioque procedere?

AFfirmo. Videri id possunt fecisse primò, in Concilio Nicæno: siquidem in Actis Concilj Nicæni Primi (editis à Gelasio Cisiceno, & iam olim. à Photio, eiusque interprete Balsamone, teste Baronio in *Anno 325.* numero *62.* receptis, &approbatis;) in disputatione Leontij Episcopi Cæ-

 sareæ

ſareæ Cappadociæ initâ, cum quodam Philoſopho; dicitur; *Spiritus Sanctus tanquam ex fonte ſcaturire ex Filio.* Quod teſtimonium Græcis, ante annos prope quadringentos, Ioannes Beccus Patriarcha Conſtantinopolitanus, & in defenſione Synodi Florentinæ, plures Græcorum doctiſsimi Antiſtites, & Theologi obiecêre. At quia in Concilio Nicæno de Spiritu Sancto non niſi ἐν παρέργῳ, actum eſſe, nulla adhuc inter Chriſtianos quæſtione, de eo motâ, teſtatur, Sanctus Baſilius *Epiſtola 325.* ad Epiphanium; & *Epiſtola 388.* ad Eupaterium: Et Sanctus Gregorius Theologus Orat. 52. ad Cledonium, & Sanctus Epiphanius, libro Tertio contra hæreſes, hæreſi 74. ad finem; ideo hâc authoritate non vtor, vt Synodali & Canonica; ſed vt priuata, & Didaſcalica.

Emmanuel Calecas, vir doctrinâ & Religionis ſtudiò excellens, *Libro Quarto* contra Græcorum erorres, ante annos 300. edito, docet: Damaſum Roman. Pontificem, ſtatim poſt ſecundam Oecumenicam Synodum Romæ côegiſſe Concilium: in eaque occaſione cuiusdam hæreſis υἱοπατρίας (cuius etiam meminit Sanctus Gregorius Niſſenus) quæ aiebat, Filium eſſe Patrem Spiritus Sancti, ſtatuiſſe: vt caneretur in Symbolo: *Qui à Patre Filioque procedit*: vt per hoc ſignificaretur Spiritum Sanctum, tam à Filio quàm à Patre procedere: non autem procedere à Patre: gigni vero à Filio: vt, hi Hæretici, blaſphemabant. Idem refert Ioſephus Methonenſis Epiſcopus, in Refutatione, Epiſtolæ Circularis, Schiſmatici Epheſij: & è Latinis Genebrardus *Libro Quarto* de Trinitate. ſed quidquid de hoc Symboli auctario ſit: quod probabiliùs eſt, multò poſteriùs in Eccleſiam Romanam inductum eſſe: illud certius eſt, quod Baronius in anno 447. ex actis Concilij Romani, editis à Creſconio refert: Damaſum, in illo Concilio; ſeu ad memoratam hæreſim tollendam, ſeu aliquâ aliâ de cauſa, in Confeſsione fidei, miſſa ad Paulinum Patriarcham Antiochenum, definiuiſſe: Spiritum Sanctum non tantùm eſſe Patris, ſed & Filij: & conſequenter, non tantùm de Patre, ſed & de Filio procedere: eò quòd ſcriptum ſit: *Qui à Patre procedit: & de meo accipiet.* Atque id ad ſummum probant teſtimonia Hiſtorica, ab Emmanuele, Ioſepho, Genebrardo citata.

Sed quia Theodoretus, verba huius Confeſsionis, corrupit: vt probat Card. Baronius in anno 867.; operæ pretium eſt, verba huius Confeſsionis, à Gennadio Patriarcha, prout è Græcis incorruptis codicibus deſcripta ſunt, mutuari. *Credimus*: (aiunt PP. in Concilio Romano tempore Conſtantinopolitani Primi, congregati); *vnam eſſe Diuini nominis Trinitatem: Pa-*

tem: Patrem, qui Filius non est, sed habet Filium; vtique Pater: Filium qui non est Pater, sed Filius Dei naturâ est: Spiritum vero Paracletum, nec Patrem esse, nec Filium, sed ex Patre & Filio procedentem: vide Baron. anno citato.

Clarius, hanc veritatem testatur, Concilium Ephesinum, eiusque Præses, & Summi Pontificis Cælestini Vicarius, Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus: idque ex eâ occasione. Scripserat Sanctus Cyrillus contra Nestorium, eiusque asseclas, nonum anathematismum: quo Anathema dicebatur, negantibus Spiritum Sanctum esse proprium Filij. Contra eum Theodoretus Cyrensis Episcopus, Nestorianus, ita scripsit. *Spiritum Sanctum esse proprium Filij, siquidem eiusdem cum eo naturæ, & ex Patre procedentem dixit; confitebimur: si verò tanquam ex Filio vel per Filium ὕπαρξιν ἔχον, existentiam habentem, hoc vt blasphemum & impium reijciemus.* Huius insolentiam, vt reprimeret Sanctus Cyrillus scripsit declarationem suorum anathematismorum; insertam Concilio Ephesino, & positam inter opera eius, citatæ Editionis *Tomo Sexto* à Fol. 154. &, in declaratione noni anathematismi, à Theodoreto impugnati, ita loquutus est. *Etsi vnigenitum Dei Verbum homo factum est: mansit tamen Deus:* (πάντα ὑπάρχων ὅσα καὶ ὁ πατὴρ: δίχα μόνου τοῦ εἶναι πατήρ: καὶ ἴδιον ἔχων τὸ ἐξ αὐτοῦ, καὶ οὐσιωδῶς ἐμπεφυκὸς αὐτῷ, πνεῦμα ἅγιον) *omnia existens, quæcunque est Pater, præter solum esse Patrem: Spiritumque Sanctum, QVI* Ex ipso: (est) *ipsique essentialiter inest, proprium habens; Diuinæ potentiæ signa operabatur.* Habentur hæc verba in Concilio Ephesino Parte 3. *Cap. 1.* In eodem Concilio, cùm Orientales Episcopi insimulassent Sanctum Cyrillum: quasi is negaret, Dominum eijcere dæmonia in Spiritu; in Apologetico respondens: inter alia hæc habet. *Proprius est eius Spiritus Sanctus, quemadmodum scilicet & Dei Patris: operatur autem, sicut Pater per Spiritum; ita & ipse.* Denique in Refutatione ipsius Theodoreti, ait. *Erat & est eius Spiritus, sicuti certè & Patris.* Et infra. *Procedit enim ex Deo & Patre Spiritus Sanctus: secundum Saluatoris vocem: sed non est alienus à Filio. Omnia enim habet cum Patre: & hoc ipse docuit loquens de Spiritu Sancto:* ***omnia quæcunque habet Pater mea sunt: propterea dixi vobis: quia de meo accipiet. &c.*** Hîc errorem Theodoreti & Nestorianorum, Sanctus hic Patriarcha, & gloriosissimus (vt loquitur Sanctus Prosper. *Lib. 7.* contra Collatorem) Catholicæ fidei defensor: refellit: primò cum ait; Filium omnia esse, quæ est Pater, solo excepto esse Patris. quare cum esse Spiritus Sancti productorem, non sit esse Patrē; (ne inde oporteat Spiritum Sanctum esse Filium;) necesse est Filium, omnia existentem, quæ est Pater; esse Spiritus Sancti pro-

ductorem. Secundò, cum dicit Spiriritum Sanctum, ita esse Filij, quomodo est Patris: cum ergo sit & dicatur Patris, non ob solam consubstantialitatem, sed & propter originem ab eo; sequitur vt etiam Filij sit, non ob solam consubstantialitatem, sed & propter originem ab eo: alioqui falsò diceretur esse ita Filij, vt est Patris, si non eo modo esset Filij, quo est Patris. Tertiò, cum Spiritum Sanctum dicit, ita procedere à Deo & Patre, vt tamen accipiat à Filio, omnia Patris habente. Per hoc enim, Processionem Spiritus Sancti à Filio significari; patet è testimonijs, præcedenti Quæsito productis. Quartò cum expressè dicit: *QVI EX IPSO EST.* Vbi de Filio sermonem esse, patet legenti. Ex eo enim dicitur esse, cui est ἐμπεφυκὸς, & qui in susceptâ carne, per Spiritum Sanctum, Diuina operabatur miracula. Idem docetur in Epistola ad Nestorium, nomine Concilij Alexandrini à Sancto Cyrillo scripta: & approbatâ, tùm à Synodo Ephesina: (cui etiam Parte Prima *C. 26. Edit. Binianæ* inserta est:) tum à Quarta Synodo Actione 5. & à Synodo Quinta actione vltima; & à Sexta Act. 17. & à Septima Act. 7. Eius Epistolæ (insertæ operum Sancti Cyrilli parti secundæ *Tomi Quinti*) verba Fol. 74. in fine sunt. *Etsi Spiritus in propria persona subsistat; eatenusque in se ipso consideretur; quatenus Spiritus est, & non Filius: non est tamen alienus ab eo: quandoquidem Spiritus veritatis nominatur: Christus autem veritas est: & perinde ab illo, atque à Deo & Patre procedit*: Vel (ad literam Græci textus) *profunditur*. Quod verò hæc vox profunditur, idem significet quod procedit, testatur ipse Sanctus Cyrillus, in expositione Symboli. Ait enim προχεῖται: ἤγουν ἐκπορεύεται: *profunditur: id est procedit*. Vnde etiam hâc voce προχεῖται vtitur, dum loquitur de Processione ex Patre: *Dial. 6.* cum *Hermia*.

Idem docetur alijs Sancti Cyrilli operibus, Synodo Ephesinæ Parte Primâ insertis: vt libro de recta fide ad Reginas. *Ex Patre prodit* (πεφηνὲν) *Filius per omnia illi æqualis, & consubstantialis, procedit autem per vtrosque* (δι' ἀμφοῖν) *& Spiritus viuificans.* Et Epistola ad Theodosium Imperatorem (ibidem Fol. 34) *Verbum quatenus ex Deo Patre procedit, emittit Spiritum Sanctum: & ex propriâ natura nobis tanquam ex fonte quodam profundit;* (ἀναπηγάζει) *imò virtute hâc, propter vnionem incarnatiuam, æqualiter quodammodo cum homine communicata, corporaliter quoque vt homo inspirat: insufflauit enim in Sanctos Apostolos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum. Sed neque ex mensura dat Spiritum, sed ipsemet E X S E eundem profundit: quēadmodum scilicet & Pater.*

Denique in libris contra Nestorium, in quibus contra eius hæreses, ar-

mis om-

mis omninò decretorijs, dimicat, sæpius hoc ipsum docet. Nam Libro Quarto *Fol. 98.* ait. *Intrinsecus igitur Filio: & (παρ' αὐτοῦ) ab ipso est Spiritus eius: cuius rei perspicuum est argumentum: quod etiam alijs illum tribuere potest. Et Fol. 99. Dominus (inquit) Iesus Christus, ex suâ plenitudine profundit Spiritum Sanctum: vt & Pater. Et Fol: 106. Qui Spiritum Sanctum efficiunt Seruum: impij sunt: ipsum quoque et consubstantiale Verbum dedecorant, cùm illum qui est ab ipso, & in ipso per naturam; & ipsius proprius; seruili mensurâ circumdant. Et Fol. 107. Nouerat probè Filius se esse ex natura Deum, simul cum Patre: & omnia quæ illius sunt se habere, præter solum esse Patris. Itaque etiam dicebat ad illum; **Omnia mea tua sunt, & tua mea**: & ad nos ipsos, cum de Sancto Spiritu verba faceret. **Omnia (inquit) quæ habet Pater, mea sunt: Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet.** Sicut enim procedit ex Patre Spiritus Sanctus: cùm sit ipsius secundùm naturam; eodem quoque modo per ipsum Filium: cùm sit naturaliter eius, ipsique consubstantialis.*

Aduertendum est hic primò: quæ dicta sunt Quæsito Primò, Loco Quinto; per ea verba confirmari. Ideo enim, (ait Sanctus Patriarcha) dixit Christus: *De Meo accipiet;* quia Spiritus Sanctus, vt procedit à Patre, ita procedit per Filium.

Aduertendum secundò: eodem hic argumento probari, Spiritus Sancti processionem à Filio, quo eiusdem à Patre probatur processio. Procedit (ait Sanctus Pater) à Patre, cùm sit secundùm eius naturam: Procedit per Filium: cùm sit eius naturaliter, eique consubstantialis.

Aduertendum tertiò: Sanctum Patriarcham, quotiescunque dicit Spiritum Sanctum perinde proprium esse Filij Physicè, vel secundum τὴν φύσιν, atque est Patris; toties innuere processionem Spiritus Sancti á Filio: quia causa quæ esse dicitur, cur Spiritus Sanctus procedat à Patre; quia scilicet eius est, secundùm naturam; toties exprimitur: quoties dicitur Spiritus Sanctus esse proprius Filij; vt est Patris. Nam si ita est Filij proprius, vt est Patris; proprius erit Filij secundùm naturam, vt est Patris: si verò est proprius secundùm naturam, vt est Patris; Ergo propter quam rationem dicitur à Sancto Cyrillo procedere à Patre; propter eandem debet dici procedere à Filio.

Aduertendum denique locis primò citatis, sufficienter innui: quòd Spiritus Sanctus non posset dari nobis à Filio: si non procederet ab ipso; vel si non ita eius proprius esset; sicuti est Patris.

Videat ergo, auitæ fidei, Patrum Orientalium, studiosa mens: vter, eorum fidei, & doctrinæ consonet magis? illene, qui cum Theodoreto, ab aliquot Oecumenicis Synodis, (quoad omnia contra Sanctum Cyrillum,

 eiusque-

eiusque præsertim Anathematismos scripta) damnato, credit Spiritum Sanctum, nec à Filio, nec per Filium ad intra procedere: an qui cum Sancto Cyrillo, (qui Magni illius Marci speciem, & habitum præferebat, teste Sancto Isiodoro Pelusiota Epistola 370.) Patribusque, eum, Ephesi & Chalcedone, & Constantinopoli, in Quinta & Sexta Synodo Oecumenica secutis, credit Spiritum Sanctum, etiam ex Filio esse; profundi: fontaliter procedere: Spiritum Sanctum ita proprium esse Filij: vt est Patris: & ita procedere per Filium, vt procedit à Patre: emitti ex Filio: procedere per ambos &c. Constat scripta Theodoreti omnia contra Sanctum Cyrillum edita, damnata esse: omnia verò Sancti Cyrilli contra Nestorium & Theodoretum opera, ab aliquot Concilijs, tanquam Θεόπνευστα recepta esse. Attendát ergo, ne grauissimum salutis æternæ incurrant discrimen, qui in re tanti momenti, Theodoretum toties damnatum, quàm Sanctum Cyrillum, & tot Oecumenica Concilia sequi malint.

Videat item æquus rerum Censor, an non ridiculus meritò censeri debeat Schismaticus Ephesius, cum & Sanctum Cyrillum, in eâdem fuisse cum Theodoreto sententiâ, & à Concilio Ephesino, approbatam esse Theodoreti doctrinam, probare in Synodo Florentina conatus est. Spiritum Sanctum, nec à Filio, nec per Filium procedere: aiebat Theodoretus. Quomodo ergo ei consentire censeri poßit Sanctus Cyrillus, toties professus; Filium ex se profundere & emittere Spiritum Sanctum: & Spiritum Sanctum ex Filio esse: fontaliter procedere: eodem modo per Filium procedere, quo procedit à Patre? Mirum est, quòd is Eridophilus in erroris Theodoreti communionem, non etiam trahat Sanctum Leonem Magnum, qui Theodoretum pænitentem, in fidelium societatem recepit. Atqui ego non dubito, non aliter Theodoretum, à Sancto Leone ab Anathemate absolutum esse, nisi vt, inter alios errores, reuocaret, & hunc de proceßione Spiritus Sancti: quem procedere à Patre & Filio expreßè docuit Sanctus Leo: vt videbimus infra.

Iam verò Concilium, satis diserté omnes errores Theodoreti damnauit, cùm omnia eius scripta, eumque ipsum Anathemati subiecit: quod ipsum fecit Synodus Quinta. Nec obstat quod nominatim hic error, damnatus non fuerit: perpetua enim Conciliorum consuetudo est: ea tantùm nominatim definire vel damnare: propter quæ Concilium indictum est: cætera vero aliqua communi clausula, vel approbare, vel damnare. Tempore Concilij Nicæni, non deerant, qui de Spiritu Sancto erroneè loquerentur: (vt patet ex Historia Ecclesiastica:) nec tamen Concilium quidquam

contra

contra hos ſtatuere voluit: vt potè indictum, ad tuendam conſubſtantialitatem Filij. Tempore Conſtantinopolitani Primi, erant Apollinariſtæ, Ipſiſtiani:(qui ſolum altiſsimum cum Iudæis colebant: tres vero perſonas negabant:) Trideitæ, qui tres perſonas dicebant αυτοθεες: & tria diſtincta rerum principia ſtatuebant: contra quos tamen nihil ſpeciale in Concilio ſtatutum eſt: quia collectum erat, contra ſolos Pneumatomachos: qui Spiritum Sanctum aiebant eſſe creaturam, per Filium factam, eumque negabant procedere à Patre: contra quos ideo adiectum eſt Symbolo illud: *Qui à Patre procedit.* Eodem ergo modo Synodus Epheſina, collecta ad tuendam Verbi cum Humanitate perſonalem vnionem: quæ eam concernebant, definire ſatis habuit: cætera verò vna quaſi ſecuri, anathematis in omnia ſcripta Theodoreti, Neſtorij, Mopſueſteni &c. &c. iacti, reſcidit.

Amplius: in Sexta Synodo, lecta, & approbata eſt, Epiſtola Sancti Agathonis Papæ, & Patrum Occidentalium 125. in Romana Synodo collectorum: ad Patres Orientales, Conſtantinopoli in Sexta Synodo congregatos: in qua Confeſsio Fidei, hæc verba habet, de proceſsione Spiritus Sancti: *Credimus in Spiritum Sanctum, ex Patre Filioque procedentem:* quæ verba authentica eſſe, probatum eſt in Synodo Florentina: & ante eam ab Emmanuele Caleca.

Amplius in Septima Synodo, id eſt Nicæna Secunda, Actione Quarta, adducitur ex Sancto Athanaſio Hiſtoria, de imagine Beritenſi à Iudæis confixa: vbi afferuntur hæc verba, Confeſsionis Iudæorum conuerſorum: *Vnus Deus Pater & ingenitus: Vnus Filius & ipſe Vnigenitus: quem Patres noſtri crucifixerunt, & nos ipſum agnouimus, verum Dominum. Vnus Spiritus Sanctus ab vtroque procedens.* Nec obſtat: quod hæc verba à Græco textu abſint: multa enim in illo, etſi duplici, deſiderari; ſpatia, à Typographis relicta vacua, teſtantur. In eodem Concilio, Seſsione vltima, hæc Fidei Confeſsio reperitur. *Et in Spiritum Sanctum & viuificantem: qui ex Patre Filioque procedit.* Ita habet vulgata verſio: & vetus tranſlatio Anaſtaſij Bibliothecarij, ad Ioann. VIII. conſcripta: &, Græci textus, in Synodo Florentina producti. Fecêre autem, hi Patres, hanc Fidei Confeſsionem: vt ſe teſtarentur non communicare Copronymitis: qui inter alios errores, aſſerebant Spiritum Sanctum procedere à ſolo Patre: vt teſtatur Baronius in *Anno 766.* & Acta Synodi Gentiliacenſis: in qua, ſuper hoc articulo, Galli, cum Græcis proſperè diſputârunt: à quibus etiam reprehenſus eſt Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus: quòd Actione Tertia, citatæ

Synodi

Synodi, dixisset: *Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, non à Filio*: quem tamen optimè Hadrianus Papa explicauit: & defendit.

Videant ergo Photiani, & Cerullariani, quem ducem suæ, de Spiritus Sancti processione, sententiæ habeant. Certè ex Historijs constat, ante Copronymum, solos eam docuisse Nestorianos: neque hi Patres, in tanto Concilio congregati, dixissent, Spiritum Sanctum procedere à Filio: vel per Filium: si suos Sanctos Patres, conformia Nestorianis, & Copronymo, de Spiritus Sancti processione, docuisse censuissent.

Similiter in Synodo Octaua, qua Sanctus Ignatius, Throno Constantinopolitano restitutus est; lectum est Symbolum cum his verbis: *Credo in Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedentem.* Quod tamen etiam Photius, hostis Romanæ Ecclesiæ, non reprehendit: vt ostensum est in Synodo Florentina.

Hoc ipsum definitum est in Concilio Lateranensi, quod erat sub Innocentio Tertio Papa *Anno Domini 1215.* præsentibus Patribus 1283. quorum Patriarchæ erant duo: Constantinopolitanus & Hierosolymitanus: Metropolitæ 70. Episcopi 400. Abbates 12. Legati Græci & Romani Imperij: & Oratores Regum, Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Cypri: in quo Græci, Ecclesiæ Romanæ complexi sunt vnionem, breui ab ea solitâ animorum mobilitate, recessuri.

Verba illius Concilij sunt. *Pater à nullo, Filius à solo Patre: & Spiritus Sanctus ab vtroque pariter: absque initio pariter & fine: Pater generans: Filius nascens: & Spiritus Sanctus procedens.*

Rursus in *Anno 1274* Gregorius X. in Concilio Lugdunensi, plurimum laborauit in Græcis Ecclesiæ Romanæ reuniendis. Interfuêre, ei Concilio Patres mille: & Constantinopolitanæ Patriarchiæ Legati; & (vt nonnulli scribunt:) ipsemet Palæologus Imperator: qui ibidem Græcorum repudiatis erroribus, Catholicæ Religionis complexus est veritatem; vnâ cum alijs Orientalibus: qui (vt refert libro 14. Calecas) communiter declarârunt, antiquissimam Ecclesiæ traditionem esse, & ad Sanctissimæ Trinitatis veram fidem, summè necessariam: Græcorumque & Latinorum Patrum doctrinâ roboratam, Spiritum Sanctum ex Patre & Filio, veluti ex vno principio procedere. In eo Concilio cantatum est Symbolum cum additione *Filioque*, ter Græcè: ter Latinè.

Denique hoc ipsum, ex consensu totius Ecclesiæ Catholicæ, Orientalium & Occidentalium Patrum, Spiritu Sancto assistente & dirigente, Sancta Synodus Oecumenica Florentina, definiuit: quam momentis re-

rum tra-

rum tractatarum, præsentia Orientis & Occidentis, doctissimorum Patrum, subtilitate & eruditione disputantium, nulli Oecumenicorum Conciliorum, cessisse; meritò & prudentissimè iudicauit, qui præsens interfuit, Constantinopolitanus Imperator.

Huius Concilij definitio hæc est: *profitemur: quòd Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter est: & essentiam suam, suumque esse subsistens, habet simul, ex Patre simul & Filio: & ex vtroque æternaliter tanquam ab Vno principio & vnica spiratione procedit: declarantes: quod id quod Sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum; ad hanc intelligentiam tendit; vt per hoc significetur: Filium quoque esse secundùm Græcos quidem causam: secundùm Latinos verò, principium subsistentiæ Spiritus Sancti: sicut & Patrem. Et quoniam, omnia quæ Patris sunt, ipse Pater, Vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem; hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet: à quo etiam æternaliter genitus est.*

Neque arbitror homines solidè doctos, (quales ego non dubitò esse, quibus hanc Controuersiam ad Tribunal Sanctorum Patrum Orientalium, expendendã offero:) nescio cuius tenebrionis Ostrogiani calumnijs locum daturos: qui ignorare nequeant, non solùm Historicos Græcos & Germanicos, (quorum ego, vnum exemplar, Norimbergæ impressum, proximè post Concilium Florentinum, Gedani in Bibliotheca *Rozrazeuiana* legi: alterum, Augustæ eodem propè tempore impressum; Kiiouiæ, in antiquissimo, clarissimæ Patrum Prædicatorum Familiæ, Conuentu, vidi:) non solùm inquàm Scriptores, illius æui Græcos & Germanicos testari: hoc Concilium, summo consensu Orientalium, & Occidentalium Patrum (vno reclamante Marco, vel vt loquitur Scriptor Græcus Concilij Florentini, vnâ corniculâ manente cornicula,) felicissimè finitum esse: in eoque non solum Græcos, sed & Armenos, Ecclesiæ Romanæ reunitos esse: sed etiam è Chronicis Poloniæ & Russiæ, Regijsque diplomatibus, (quorum aliqua in suo apparatu Tomo Secundo recenset Antonius Posseuinus:) haberi: hoc Concilium etiam à Rossis acceptatum esse; duce Beato Isidoro Metropolita Kiiouiensi: (qui ei Concilio interfuit, locum tenens Patriarchæ Antiocheni Dorothei:) alijsue eius successoribus: qui vnionem in ea Synodo receptam, constantissimè retinuerunt: vsque ad tempora Alexandri Regis: vt referunt ipsimet Rossi: rerum suæ Regionis & religionis peritissimi: quorum aliqui, nostra memoria, cum Sancti Spiritus lumine illustrati, à Sancto Cypriano didicissent, se extra Ecclesiæ Catholicæ vnitatem saluari non posse; dignitates & infulas, quibus inter suos, summo om-

D

mo omnium applausu & veneratione fulgebant, propriæ salutis discrimini posthabuerunt: & in Ecclesiæ Catholicæ gremio, abiecti; quàm in Schismaticis Cathedris, summi & venerabiles apparere maluerunt: quorum pro Concilio Florentino, præclaras lucubrationes, referre me, necesse non est: cum ea omnium versentur in manibus.

Duo tamen ijs quæ dixi addo. Primum. videri, admodum verisimile, hoc Concilium etiam à Moldauis, Valachis, & Litauis, esse receptum: eò quod ei subscripserint: Damianus Metropolita Muldoulachiensis: & Matthæus Metropolita Melenicensis. Secundum. Pro Synodo Florentina, contra eius obtrectatores, fortissimè dimicasse ipsosmet Græcos: nempe Gennadium Patriarcham Constantinopolitanum, etiam ab ipsismet Turcis (vt videre licet in Turco Græcia:) magnopere laudatum: Iosephum Metonensem Episcopum: & Bessarionem Metropolitam Nicænum, quorum vltimus in libro quem scripsit ad Alexium Lascarim, consanguineum Imperatorem ait. *Omnes sine vlla vi; Deum testor, consensimus: quotquot autem consentiri noluerunt: qui duo non ampliùs erant, non coacti, sed Domini suiipsorum, propriæque sententiæ remanserunt: iurene ac meritò; tu iudicabis postquam legeris authoritates, quas tibi mitto.* Et infra. *In omnibus ad nostrum arbitrium, causam disponebamus: nos eramus accusatores: Latini vero in dicendo, secundas partes tenentes, respondebant.*

Videat hîc lector Philalethes, quàm impudenter mentiantur: qui dicunt hoc Concilium, Græcis violenter extorsisse assensum.

Pergit idem. *Non Syllogismi, neque probationes; sed nuda dicta Sanctorum mihi persuaserunt: quæ cùm audiui & vidi, statim contendere desij: cùm priùs non parùm vrgerem & instarem. Existimaui enim Sanctos, cùm Spiritu Sancto locuti fuerint, non posse à vero declinare: & ægrè tuli, quòd eorum dicta non prius audissem. Nemo enim nostrum, Latinos tantam vim, ex dictis Sanctorum habituros esse arbitrabatur.* Iam verò ne quis obijceret ei, priuati commodi, vel honoris studium; ita in Epistola ad Constantinopolitanos data occurrit. *Scitis; satis nos ab ineunte ætate studijs imbutos esse: & penes vos nulli fuisse secundos: multoque studio adhibito, verum inuestigasse; & quod verisimile est elegisse: hominem à iuuentute modestè & humiliter educatum, qui multa de Vanitate mundi, de cruciatibus & præmijs futuris legerit, & expenderit: vt veram inuestigationem in fide amplecteretur. Quam profectò pluris nunc facio, quò iam senectute instante, morbi ingruentes, mortem mihi quotidie minantur. Quò tamen magis appropinquat mors, eò me magis solatur fidei candor: sperantem: quod ex operibus deest ad Salutem, compensatum iri assensu rectorum dogmatum: quorum causa etiam honores, quos inter vos habui maximos (nam*

mos, (nam inter primos ordine locabar, cùm tamen hîc inter Latinos, vix sim vnus è multis;) contemnens; totus hanc secutus sum veritatem. Habentur Opera eius in Aureis Opusculis Arcudij Romæ editis. Hæc prolixiùs retuli: tum ad tuendam Sancti Concilij Florentini authoritatem: tùm ad excitandos viros solidè doctos, vt eruditissimi Metropolitæ, sequantur exemplum. Quodsi verentur notam inconstantiæ; meminerint: zelosissimum Græcorum rituum, Metropolitam, Monembasiensem Dositheum, qui sessione 25. mori se malle aiebat, quàm Latinizare; tandem authoritate Sanctorum Patrum, à Latinis & Græcis productorum, conuictum; veritati dedisse manus: Synodoque, loco, inter Metropolitas, primo, subscripsisse: idemque fecisse Dorotheum Metropolitam Mitylenensem: qui se à puerò Latinos oppugnasse, omneque cum eis certamen habuisse, nec vnquam à disputando cessâsse, in eadem Synodo professus est. Prudentis nimirum est mutare sententiam, vbi eam à veritatis tramite exorbitare adverteris.

Oecumenicis Concilijs, addo aliqua Prouincialia: præsertim quibus ea ipsa, vel aliæ de Sanctissimâ Trinitate controuersiæ, trutinatæ sunt.

Talis est primò: Barensis Synodus. *A. D.* 1097. circiter, peracta: in qua Sanctus Anselmus, Cantuariensis Archiepiscopus Vrbani II. Pontificis iussu, cum Græcis de eodem articulo felicissimè disputauit: cuius postea disputationis compendium descripsit.

Talis Synodus Anglicana *Anno 679.* (vt refert eo anno Baronius) ex venerabili Beda libro 7. *C 17.* occasione hæreseon in Oriente excitatarum habita: præside Patre, sui æui eruditissimo, genere Græco, Theodoro Britãniæ Archiepiscopo, in qua fidei professio, ea exhibet verba. *Suscipimus Sanctas & Vniversales Synodos: glorificantes Deum Patrẽ sine initio:* (anarchõ Græcus à Græcis didicerat:) *& Filium eius vnigenitum: Spiritum Sanctum ex Patre & Filio inenarabiliter procedentem: sicut prædicauerunt hi, quos memorauimus Sancti Apostoli, Prophetæ, Doctores.*

Talis Toletana prima, quæ in professione fidei, ita loquitur: *Credimus Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec sit Pater ipse, nec Filius, sed à Patre Filioque procedens.*

Talis Toletana Tertia: in quâ Gothi & Sueui ad Fidem Catholicam accessêre: hæc in fidei professione ait: *Spiritus Sanctus à nobis confitendus & prædicandus est à Patre & Filio procedere: & cum Patre Filioque vnius esse Substantiæ. Eadem propè repetit Quarta, Sexta, Octaua.* In vndecimâ verò hoc inter alia legitur decretum. *In relatiuis personarum nominibus; Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad vtrosque refertur: quæ cum relatiue Tres*

uè Tres personæ dicantur : vna tamen naturalis substantia creditur. Et in Confessione fidei sic docetur. *Quod Pater est, non ad se sed ad Filium est : & quod Filius est ; non ad se, sed ad Patrem est : similiter Spiritus Sanctus, non ad se, sed ad Patrem & Filium relatiuè refertur in eo, quod Spiritus Patris & Filij relatiuè predicatur.* Hic plane scholasticè ostenditur : Spiritum Sanctum ab eo spirari, cuius dicitur Spiritus : quia ergo Spiritus dicitur Patris & Filij ; à Patre eum & Filio spirari, necesse est.

Iam ô Reuerendissimi Cœnobiarchæ, & venerabiles Hieromonachi, suspenso, tantisper præconceptæ sententiæ præiudicio ; iudicate : rectenè suæ aliorumque consulant saluti : qui Spiritui Sancto, gubernatoribus Ecclesiæ, maximè in Conuentibus Synodalibus, assistere solito, & præesse, tam clarè in tot Concilijs, suam à Filio, vel per Filium processionem testato ; & manifestissimè professo ; fidem negare præsumant : sequique malint Nestorianos, vel Copronymitas, quàm Spiritum Sanctum in tot Concilijs, se à Filio vel per Filium procedere, testatum. Certè cùm apud eos vnus Ephesius, tantum habeat pondus ; non video, cur maius habere non debeant ; tot Toletana Concilia, cum Concilio Anglicano, Græco Archiepiscopo præside, peracto : in quibus expressè legitur : Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere. Si vbi fuerint duo vel tres congregati, in nomine Domini Iesu ; eum ipsum habent assessorem ; quomodo eundem, vna cum Spiritu Sancto omnem docente veritatem, non habeant, totius alicuius regni, vel ex Oriente & Occidente congregati Patres ? Et quomodo verisimile est, Spiritum Sanctum ita vni adhæsisse Ephesio ; vt reliquos totius Ecclesiæ Pastores, Metropolitas, Archiereos deseruerit ? sanè credibilius est id fuisse in Synodo Florentina, Ephesium, quod in Nicæna fuit Arrius : in Constantinopolitana prima Eunomius : in Ephesina Nestorius : in Chalcedonensi Dioscorus & Eutyches : in Synodo Sexta Macarius & alij : atque ideo par est ; vt sicut veritatis studiosæ mentes, commenta Arrij, Nestorij, Dioscori, Macarij, Sanctis Synodalium Patrum definitionibus, posthabuerunt : ita nunc eiusdem veritatis cultores animi, plus apud se valere velint, tot doctissimorum Patrum Orientalium & Occidentalium definitiones, quàm vnum, non Sanctum, sed Schismaticum & seditiosum Marcum.

QVÆSITVM III.

An Ale-

An Alexandrinæ Patriarchiæ Patres docuerunt Spiritum Sanctum procedere à Filio.

AFfirmo. Primus qui id Alexandrinos docuit, est Sanctus Marcus Euangelista; qui in Liturgia sua, (insertâ *Tomo 10.* Magnæ Biblio thecæ) talem reliquit euchologiam. *Te rogamus generis humani amator bone, vt emittas ex alto Sancto tuo, ex incircumscriptis sinubus tuis ipsum Paracletum, Spiritum veritatis &c. qui vbique adest, tibi consubstantialis ex Te, Filioque procedens, in throno regni tui tecum sedens &c. &c.* Vbi si lectio legitima est, irrefragabile est veritatis Catholicæ testimonium. Huc reuocari potest fidei Symbolum, quod reperitur in Missa Aethiopum, quæ Canon vniuersalis dicitur, & in Missa Indica, ex Syriaca in Latinam conuersa, & in Missa Muzarabum: relatis in Supplemento magnæ Bibliothecæ. In quibus omnibus fidei Symbolum canitur, cum illis verbis. *Et in Spiritum Sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit*: vt videre licet *Fol. 730.* & *Fol 788.* & *Fol. 793.*

Secundus idem docuisse videtur Dionysius Patriarcha Alexandrinus; apud Sanctum Athanasium libro de sententia Dionisij *Fol. 561. Spiritus Sanctus (inquit) est in ipsorum* (Patris & Filij) *manibus, neque à mittente, neque à ferente potens separari.*

Alludere videtur ad hoc, quòd Spiritus Sanctus in Sacris literis vocetur Dei digitus, quem vt significet, non solum esse à Patre, sed etiam à Filio, ait: eum esse, non in solius Patris, sed in vtriusque manibus.

Tertius eiusdem propè ætatis, est Didymus Alexandrinus: in libris de Spiritu Sancto, quos Sanctus Hieronymus, licet Origenistarum, inter quos Didymus fuit, hostis; magnis extulit laudibus. Is præter ea, quæ supra citaui; libro secundo docet: *Spiritum Sanctum accipere à Filio, id quod suæ naturæ est: & quòd vt Filius, non est quid aliud, exceptis ijs, quæ dantur ei à Patre; ita nec alia est Substantia Spiritus Sancti, præter id, quod datur ei à Filio.*

Sed multò illustrius huic veritati testimonium dedêre, duo Sanctissimi & Illustrissimi Patriarchæ Alexandrini: Sanctus Athanasius & Sanctus Cyrillus.

Et quidem Sanctus Athanasius, testatur id primò; *Tomo 1.* in Epistola ad Serapionem, in qua specialiter disputat de Spiritu Sancto: vbi *Fol. 189. A.* ita docet. *Trinitas indiuisa est, & ubicunque Pater dicitur, vna est cum eo, & ipsius Verbum, & in Filio Spiritus. Si autem Filius nominatur; in Filio est Pa-*

lio est Pater: nec Spiritus est extra Verbum: vnâ enim gratiâ, ex Patre per Filium in Spiritu Sancto consummatur. Hic videre licet: eam coniunctionem cum Filio, tribui Spiritui Sancto, quæ est Patris cum Filio. Vt ergo coniunctio Filij cum Patre, præter identitatem Substantiæ includit originem, ita & coniunctio Spiritus Sancti cum Filio. Et *Fol. 193. C. Cum Pater fons sit; Filiusque proinde flumen appellatur: nos qui inde bibimus, Spiritum Sanctum perhibemur bibere: potantes autem Spiritum, Christum bibimus.* En respectu eius ipsius Spiritus, Filius dicitur flumen, respectu cuius Pater dicitur fons: vt igitur Pater propter originem dicitur fons: ita ob eandem, Filius è fonte emanans, dicitur Spiritus Sancti flumen; cum ita necesse sit, aquam profluere è flumine; vt flumen profluit è fonte. Et *Fol. 194. C. Tanta vnitate existente in Trinitate; quis segregauerit aut Filium à Patre; aut Spiritum Sanctum à Filio, vel eius Patre? aut quis dicat alterius essentiæ Patrem à Filio, aut Spiritum Sanctum alienigenam (ξένον) à Filio?* Rursus aduertatur: Filium dici inseparabilem à Patre: & Spiritum Sanctum à Patre & Filio: etsi æquè Filius sit inseparabilis à Spiritu Sancto, vt à Patre. Cur ergo ita dicitur? Non alia mihi occurrit causa: quàm quòd hic sermo sit de inseparabilitate fluente ex origine. Quia ergo Filius à solo Patre ducit originem; ideo dicitur inseparabilis à Patre, nulla factâ mentione Spiritus Sancti: quia verò Spiritus Sanctus ducit originem à Patre & Filio, vel per Filium; ideo dicitur inseparabilis à Filio, & eius Patre. Iam verò quomodo Spiritus Sanctus non est alienigena à Filio, vel hospes Filij (eum enim propriè significat ξένος) si Filio aliundè aduenit? et si ab ipso Filio non spiratur? Et *Fol. 195.* in fine ait. *Eiusmodi ordinem & naturam habet Spiritus ad Filium, qualem habet Filius ad Patrem.* Quæ verba repetuntur ab eodem Sancto, in alia Epistola ad Serapionem, Tomo Secundo *Fol. 10.*

Ex quibus ita arguo. Qualem ordinem & naturam habet Filius ad Patrem, talem habet Spiritus Sanctus ad Filium. Sed Filius ad Patrem, habet producti ordinem, ad productorem: vel originati ad originantem. Ergo & Spiritus Sanctus ad Filium, habet ordinem producti ad productorem, vel originati ad originantem,

Idem Oratione Secundâ contra Arrianos *Fol. 357. B.* explicans, quomodo peccatum in Filium commissum, sit remissibile; commissum vero in Spiritum Sanctum sit irremissibile; ea verba subdit. *Nec Iudæis locutus est Dominus: discipulis vero Diuinitatem suam exhibens: non iam minorem se Spiritu (ἀλλὰ μείζονα, καὶ ἴσον ὄντα συμφαίνων) sed maiorem & parem se exhibere significans, dabat Spiritum Sanctum; & dicebat: Accipite Spiritum*

Sanctum

Sanctū : *&*; *Ego ipsū mitto* : *&*; *ille me glorificabit*. Et infra G. *Per quem autem, & à quo tandem oportuit,* (ἔδει) *Spiritum Sanctum dari, nisi per Filium, cuius Spiritus est?* Ex hoc loco ita argumentor. Non potest alia Maioritas, Filij supra Spiritum Sanctum, in Diuinis dari, nisi Maioritas Originis: (quâ etiam Patrem esse maiorem Verbo, docent aliqui Sancti Patres Græci: præsertim Sanctus Basilius, & Sanctus Gregorius Theologus, cuius notandus Canon ex Orat. 36. Edit. citatæ *Fol. 226.* *Perspicuum est maioris vocem ad causam pertinere, æqualis autem ad naturam.*) Ergo, cùm à Sancto Athanasio, Filius, quâ Deus, dicitur maior Spiritu Sancto, & par; dicitur simul esse principium originatiuum Spiritus Sancti, & eandem cum eo habens naturam.

Hunc locum & argumentum ex eo deductum, cum Kiouiæ proposuissem Reuerendo Domino Rectori Collegij Mohilæani; videns is, præclusum hîc sibi solitum asylum, operationis ad extra, cum sine manifesto Arrianismo, in operationibus ad extra, vna persona diuina non possit dici maior alterâ: nouum quid commentus est: respondit enim, Filium: dici maiorem Spiritu Sancto: quia per principaliorem originandi modum, nempè per intellectum originatur: sed hoc commentum facile euersum est: ostensumque aduersari Sanctis Patribus: qui nullam aliam maioritatem in Diuinis agnouêre præter eam, quam Sanctus Gregorius Theologus vocat maioritatem (τῆς αἰτίας) originantis: Sanctus verò Basilius maioritatem ordinis & axiomatis: quamque Latini vocant prioritatem originis. Et verò, seclusa maioritate relatiua originum; omnia sunt æqualia in Diuinis: neque est ratio, neque vllus Pater, ob cuius authoritatem dici possit, maior & principalior esse modus originandi per intellectum, modo originandi per voluntatem. Nunc addo: directè & (vt loquimur) in terminis, hoc commentum reiectum esse, à Sancto Basilio Magno libro contra Eunomium *Fol. 724.* vbi ita loquitur. *Nullus alius* (notet Reuerendus Domin. Rector) *relinquitur maioritatis modus, nisi qui à nobis dictus, qui est secundùm causam, & originem.*

Reijcit idem commentum, Sanctus Gregorius Nazianzenus, tùm loco supra citato, tùm Orat. 40 *Fol. 253.* vbi docet vocem maioris, non ad Naturam sed ad Causam referendam esse. Reijcit & Sanctus Ioannes Damascenus Libro 1. de Fide Cap. 9. docens: *Patrem nulla re alia esse maiorem Filio, nisi sola causa: quia scilicet Filius à Patre genitus est, & quia Pater naturaliter Filij causa est.* Ergo eodem modo Filius, nulla alia re, maior est Spiritu Sancto nisi quòd Spiritus Sanctus à Filio est: & quia Filius vnum cum Patre Spiritus Sancti principium est. Non possunt igitur allata Sancti Athana-

cti Athanasij verba aliter explicari; nisi vt dicatur; Filium quâ Deum, Spiritu Sancto dici maiorem: in eo ipso sensu, in quo Patrem maiorem esse Filio, Sancti Patres Orientales aliqui docuerunt: nimirum quoad rationem principij & originis. Idem Sanctus Athanasius Oratione Quarta contra Arrianos *Folio 467. C.* habet hæc verba. *Sacra Scriptura talia exempla, affert: quibus & proditores Iudæos confundere: & Græcorum calumnias refellere possemus. Non enim tria principia, aut tres Patres introducimus; sicuti Marcionistæ: & Manichæi: cùm non tres Soles ad comparationem adducamus: sed vnum Solem: eiusque splendorem: vnicamque ex ambobus lucem &c. &c.* Hîc manifestum est: ita se habere, Spiritum Sanctum ad Patrem & Filium, vti lux ad Solem & splendorem. Vt ergo lux non à solo Sole, sed etiam per splendorem, vel à splendore est: ita Spiritus Sanctus non est à solo Patre, sed à Patre & Filio, vel per Filium. Idem eadem Oratione *Fol. 477.* ait. *Spiritus non copulat verbum Patri: sed potius* παρὰ τοῦ λόγου λαμβάνει, *à Verbo accipit.* Et infra C. *Ipse* (Filius) *Spiritum largitur: & quæcunque habet Spiritus, hæc,* παρὰ τοῦ λόγου ἔχει: *à Verbo habet.* Hunc item locum, cùm Reuerendo Domino Rectori exhibuissem; respondit is, hæc intelligenda, de eis, quæ Spiritus Sanctus habet ad extra. At ostensum est: tùm è verbis absolutè prolatis, *Quæcunque habet Spiritus*; tum ex verbis antecedentibus & consequentibus, sermonem ibi esse, de eis quæ habet Spiritus Sanctus ad intra. Ostensum item futile hoc effugium esse: ex eo; quòd Spiritus Sanctus à nemine quidquam habere possit, nisi per originem: per quid enim aliud? Certe vim, & operationem creatiuam, sanctificatiuam, illuminatiuam, (etsi sint ad extra) non nisi per eam ipsam originem accepit, per quam habet vt subsistat. Idem in Refutatione hypocrisis Meletij, & aliorum *Fol. 573. Impossibile est, in Trinitatis gloriá, Spiritum glorificari si non processiuo modo* (προοδικῶς) *naturam habeat,* (vel ad literam si non existat) *ex Deo per Filium.* Hîc clarissimè docetur, vt Spiritus Sanctus à Patre & Filio conglorificetur, omnino necessarium esse, vt habeat naturam, vel esse, à Deo per Filium.

Iam verò Tomo Secundo in Epistola ad Serapionem *Folio 10.* vt probet Spiritum Sanctum, non esse creaturam, passim hoc assumit, pro primo principio: quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio. Sic enim v. g. argumentatur: Qualem proprietatem nouimus habere Filium ad Patrem, talem reperiemus habere Spiritum Sanctum ad Filium. Sed Filius ob proprietatem, quam habet cum Patre, non est creatura. Ergo & Spiritus Sanctus ob proprietatem, quam habet cum Filio, non est creatura. Hîc maior propositio, vt efficax sit; supponit tale esse, accipere Spiritum Sanctum à Filio,

Filio, per proprietatem relatiuam Spiratoris & Spirati: quale esse accipit Filius à Patre, per proprietatem Genitoris & Geniti.

Rursus idem sic arguit. Halitus Filij non est creatura. Spiritus Sanctus est halitus Filij. Ergo non est creatura. Hîc minor propositio, supponit: Spiritum Sanctum ita procedere à Filio, vt procedit halitus ab ore.

Ampliùs sic argumentatur. Forma Filij non est creatura: (quia Filius cum sit in forma Patris, non est creatura:) Spiritus Sanctus est forma Filij: (in eo vtique sensu, in quo Filius est in forma Patris.) Ergo non est creatura. Idem ibidem *Folio 14. B.* ait. *Non est extra Verbum Spiritus Sanctus: sed in Verbo existens, per ipsum in DEO est.* Quomodo verò Spiritus Sanctus posit esse in Deo per Verbum, nisi per spirationem actiuam ei cùm Patre communem?

Idem ibidem, hæreticis, ex verbis illis *de meo accipiet* inferentibus, Spiritum Sanctum esse Filium Filij, & nepotem Patris, responsurus; sola vtitur retorsione, dicens: *directè eis respondere non esse tutum:* cùm tamen tutissimum fuisset, dicere Spiritum Sanctum non esse Filium Filij, si ab eo non procederet. Denique hoc ipsum Sanctus Patriarcha docet, in illo, per totum orbem clarissimo, à se edito Symbolo: *Filius à Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Vbi, etsi non adiecisset vocem Filio; per hoc ipsum, quòd diceret Filium à solo Patre; non diceret autem Spiritum Sanctum esse à solo Patre; manifestè significaret: Filium esse à solo Patre, Spiritum verò Sanctum non à solo Patre.

Maneat ergò probatum: Sanctum Athanasium (illum virum qui ad diuinarum rerum intimos sensus eximiè penetrauit: teste Sancto Isidoro Pelusiota Epistola 323) & credidisse, & docuisse: Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedentem: à Filio habentem quidquid habet: esse lucem ex sole, qui Pater, & ex splendore, qui Filius est, promanantem: & Filium quâ Deum, esse eo non naturâ; (absit: blasphemia irremissibilis est:) neque originis principaliore modo, (vt probatum est:) sed vt Sanctus Basilius Magnus loquitur (τάξει καὶ ἀξιώματι) ordine & authoritate maiorem: siue (vt Latini loquuntur) prioritate solius originis. Maneat item probatum: non posse, iuxta Canones Sanctorum Conciliorum, Spiritum Sanctum cum Patre & Filio simul adorari, & conglorificari, nisi Spiritus Sanctus naturam habeat, (vel vt in Græco ad literam est, nisi sit,) ex Patre per Filium.

Iam quomodo, Sanctus Cyrillus feruentissimi Catholicæ fidei propugnatoris, dignissimus successor, eandem veritatem professus sit, videamus.

Pluribus is modis Spiritum Sanctum à Filio procedere docet.

Primò : cùm ait eum procedere, vel accipere ex ambobus. Ita loquitur Libro 1. de adoratione, *Folio 9.* ad finem: *Mutabilis (inquit) nullo modo Spiritus est : si quidem est Dei & Patris, & Filij, (τὸ οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν) ille, qui substantialiter ex ambobus : nempe ex Patre per Filium profluit Spiritus ;* (ἐκ πατρὸς δὶ υἱοῦ προχεόμενον πνεῦμα. Eodem modo supra citaui loquutum, in libro ad Reginas.

Secundò : profitetur hoc ipsum ijs locis, quibus eum expresè dicit accipere, vel procedere à Patre & Filio. Priori Phrasi vtitur libro 11. in Ioann. C 2. *Folio 931. E. Accipere dicimus Spiritum ex Patre & Filio, quæ sunt ipsorum :* & in Ioelèm C 2. *Folio 227. Quâ Deus est Filius, proprius eius ; & in ipso, & ex ipso* (*ἐξ αὐτοῦ*) *Spiritus est : vt & in ipso intelligitur Deo & Patre.* & in Thesauro *Cap. 34. C.* Quòd Spiritus Sanctus sit ex essentia Patris & Filij *Fol. 345.* ait. *Cùm Spiritus Sanctus procedat ex Patre & Filio ; manifestum est ex Diuinâ essentia ipsum esse : substantialiter in ipsa & ex ipsa procedentem : sicut Spiritus qui ex humano Ore procedit : etsi humile & indignum tantâ re videatur exemplum.*

Hîc quæso aduertant Græcorusi : non solùm expresè dici Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio : sed etiam probari. Probatur enim, Spiritus Sanctus esse ex essentia Patris & Filij per hoc : quia procedit substantialiter ex Patre & Filio. Ergò supponit tanquā certius & notius principium : Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio : alioqui probaret ignotum per ignotum : & id quod (etiam inter Phocianos) est certum, per (eis) incertum : imò secundùm eosdem falsum & hæreticum.

Aduertant item : hoc argumentum eneruе fore, nisi in hoc resoluatur principium. A quocunque procedit Spiritus Sanctus, ei est consubstantialis. Ideo enim dicitur esse ex essentia Patris & Filij, quia procedit à Patre & Filio : si ergò non procedit à Filio ; non est ex essentia Filij, & consequenter non est consubstantialis Filio.

Tertiò : locis illis, quibus Spiritus Sanctus, esse à Filio expresè docetur, vt Capite 34. Thesauri *P. 350. C. Filius ostendens manifestè, quòd Spiritus ex ipso existens, verba quoque ex ipso administraret ; non loquetur (inquit) ex seipso : sed quæcunque audierit loquetur : quia de meo accipiet. Perinde est, ac si, mel, de qualitate naturali, sibi innata dicat : nihil ex seipso gustantium sensui immittet : sed ex meo accipiet : transeunte scilicet naturaliter substantiarum qualitate, in ea, quæ inseparabiliter ex eis procedunt.* Ex quo euidens eruitur argumentum.

In eo sensu Filius de Spiritu Sancto dixit, *de meo accipiet* : in quo hæc ipsa verba

ipsa verba diceret mel, de dulcedine ex se inseparabiliter procedente. Sed mel, hæc verba diceret, de dulcedine, vt ex se naturaliter & essentialiter procedente: (vtraque propositio est Sancti Cyrilli: vt patet legenti:) Ergò iuxta Sanctum Cyrillum, tam certum est Spiritum Sanctum procedere ex Filio, quam certum est, dulcedinem procedere ex melle. Idem Folio 354. *B.* ita docet. *Cùm Christus leges ferat, Spiritus quoque Sanctus vt in ipso, (Christo) & ex ipso,* (καὶ ἐξ αὐτοῦ φυσικῶς ὑπάρχων) *Physicè subsistens, leges fert.* Et Folio 358. A. *Necesse est Spiritum fateri ex substantia Filij esse:* (ὡς γὰρ ἐξ αὐτοῦ κατὰ φύσιν ὑπάρχων:) *vt enim ex ipso secundùm naturam existens,* (vel vt aduersarij, τὴν ὕπαρξιν, interpretantur, *subsistens* :) *& in creaturam ab ipso missus renouationem operatur.* Idem docet locis illis, quibus dicitur Spiritus Sanctus habere à Filio omnem vim & operationem. Ita dicitur Cap. 33. Thesauri *Fol 338. B. Necesse est confiteri* : *Spiritum Sanctum existere, (vel subsistere,* ὑπάρχειν, *)ex essentia Filij & Dei: omnemque ipsius vim & efficaciam habere.*

Denique hoc ipsum docet: plurimis locis, quibus Spiritus Sanctus dicitur esse ex Substantia Filij: & proprius Filij, quæ passim occurrunt.

Pateat ergo Sanctum Cyrillum (quem Sanctus Anastasius Sinaita, Patriarcha Antiochenus, Tomo *6.* Bibl. in Odigo, Capite primo, vocat, omnium Patrum signaculum:) nunquam (quod ei falsò imponit Marcus) in Theodoreti & Nestorianorum de Spiritu Sancto sententiam declinâsse: sed semper Spiritum Sanctum ex Patre & Filio vel per Filium esse; & procedere; credidisse; & docuisse.

Horum procul dubio Sanctorum Patriarcharum Alexandrinorum authoritas fecit, vt Aegiptij, Copti, Abassini: etsi à temporibus Dioscori; à Sancta Apostolica Romana sede alieni, constantissimè docuerint Sanctum Spiritum à Patre Filioque procedere. Id quod nostrorum Parentum æuo testatus est Illustrissimus & Reuerendissimus Gabriel Patriarcha Alexandrinus: qui in suæ fidei professione, per Iosephum & Abdelmessiam Monachos Sancti Macarij, & Præsbyteros, Clementi Octauo Pontifici Maximo, & Cardinalibus oblâta, ita profitetur. *Corde credo & ore confiteor: quòd vnus est Deus verus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: vnus in essentia, trinus in personis: Pater ingenitus, Filius à solo Patre genitus, Spiritus Sanctus à Patre & Filio æternaliter procedens: non vt à duobus principijs, aut duabus spirationibus, sed ab vtroque: vt ab vno principio, & vnica spiratione.*

QVÆSITVM IV.

An Patriarchiæ Antiochenæ, SS. Patres, agnouerint Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio.

AGnouerunt. Agnouit, & testatus est hoc, Sanctus Ignatius in Epistola ad Ephesios, *Quæsito* primo citata. Idem docuit Sanctus Anastasius Patriarcha Aatiochenus, locis ibidem citatis : & insuper *Orat. 3.* de Incircumscripto : in fine. *Quid opus est (inquit) pluribus verbis? siquidem ipse, à quo Spiritus Sanctus procedit; de se ipso apertè veritati testimonium præbet : qui se ipsum & quod in se est cognoscit. Ipse enim* (ait Euangelista) *sciebat quid esset in homine.* Cuius Sancti Patriarchæ testimonium, eò plus in Orientali Ecclesia habere debet momenti : quò illustriori elogio, eius authoritas commendata est, in Sexta Oecumenica Synodo, in qua Theodorus Episcopus Melitines aiebat : *Sanctum vocat totus Oriens, hunc Sanctæ memoriæ Anastasium : quem qui non recipit; Deus eum anathematizabit :* & omnes vna voce dixerunt, Amen.

Idem docuit Sanctus Ioannes Damascenus. (Damascus intra Diæcesim Patriarchiæ Antiochenæ est.) Hoc eum expresè docuisse in Hystoria Sanctorum Iozaphat & Barlaam Capite 19. his verbis : *Et vnum Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedentem agnoscens;* testatur sollertissimus Bibliothecarum scrutator Antonius Posseuinus : Tomo Secundo Apparatus sacri : quem aliqui recentiores secuti sunt. Sed quia in Editione Billiana Parisiensi *A. D. 1619.* euulgata; non reperitur hæc vocula, Filioque; testimonium hoc in medio relinquo.

Certius est hoc eum docuisse, locis illis quibus dicitur Spiritus Sanctus procedere per Filium. Id quod fit primo libro 1. de Fide C. 15. *Fol. 229. D. Pater est Verbi genitor; explanantisque* (ἐκφαντορικοῦ) *seu splendifici Spiritus, per Verbum productor.* Et infra. *Spiritus Sanctus Patris potentia est : à Patre quidem per Filium procedens, non tamen gignendi modo.* Et ibidem in fine. *Spiritus Filij dicitur, non vt ex ipso sed per ipsum ex Patre procedens* : in Dialogo contra Manichæos *Fol. 700. C. Pater semper Filium suum ex se genitũ, itemq; Spiritum Sanctum, per Verbum ex se procedentem, habuit.* Et in Epistola de Trisagio in fine. *Spiritus Sanctus ex Patre per Filium & Verbum progressus, non tamen Filiationis modo* : vbi additum hoc; non tamen filiationis modo : optimè occurrit effugijs Photianorum. Et in hymno cani à Græcis solito, citato à Gennadio Patriarcha Constantinopolitano, in defensione Synodi

Florentinæ,

Florentinæ, Seſsione tertia; *Spiritus, bonitatem communicans, ex Patre per Te procedens.*

Ex his locis ita arguo. Quando Sanctus Damaſcenus (quod ipſum, dictum eſto, de alijs Sanctis Patribus, dicentibus Spiritum Sanctum procedere per Filium) ait; Patrem eſſe (προβολέα) productorem per Verbum, Sancti Spiritus; & Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium; vel ſenſit eum produci & procedere per Verbum, vt per miniſtrum, aut famulum: aut cauſam ſecundam; & hoc dici non poteſt: quia ſecus Sanctus Damaſcenus eſſet Arrianus: quòd falſum eſt: vel ſenſit eum procedere per Filium: vt per conſubſtantialem: & neque hoc: nam primò: Si ob conſubſtantialitatem diceretur, Spiritus Sanctus procedere per Filium: tam verè & rationabiliter diceretur Pater & Filius procedere per Spiritum Sanctum, quàm verè iuxta Græcos dicitur Spiritns Sanctus ob conſubſtantialitatem procedere per Filium: cùm tam perfectè; ſit Spiritus Sanctus conſubſtantialis Filio, quàm Filius Spiritui Sancto: & tamen Filium quâ DEVM, procedere per Spiritum Sanctum; eſt hæreſis.

Secundò: procedere, tàm verè & propriè dicitur produci; ſeu, per productionem ſpiratiuam exiſtentiam habere; quàm verè & propriè, gigni; dicitur produci: & per generationem habere exiſtentiam. Quare cùm actiuus influxus, quem neceſſario ſupponit, proceſsio per Filium, nullo modo poſsit in Conſubſtantialitatem referri, eò quòd, actiones ſint Suppoſitorum: manifeſtè patet: cùm Sanctus Damaſcenus, dicit Spiritum Sanctum procedere per Filium; non referre id in conſubſtantialitatem, ſed in actiuum influxum, communem Patri cum Filio.

Tertiò: ſi Sanctus hîc Pater, alijque Orientales, cùm dicunt Spiritum Sanctum procedere per Filium; per τὸ *PER* intelligerent conſubſtantiatem; adhuc remaneret quæſtio: quid ſit procedere aut produci per Filium, vt per conſubſtantialem. Nam hoc procedere, vel ſignificat produci per eum, qui eandem eſſentiam habeat cùm Patre & Spiritu Sâncto: vel aliquid aliud: ſi primum; habent Romani, quod intendunt: nempe quòd Filius, quâ eſt omnia Patris habens: ſeu quâ eſt vnum cùm Patre, Spiritum Sanctum producat: non ſine Patre: (quia vt quæcunque habet Pater, ſunt Filij, exceptâ Paternitate, ita quæcunque habet Filius ſunt Patris, excepta Filiatione, iuxta illud Chriſti verbum: ***Omnia mea tua ſunt, & tua mea:***) nec ante Patrem: (quia ante eum, Filius, nec eſt, nec operatur:) nec poſt Patrem: (quia ſic actum ageret:) ſed vna & indiuiſa operatione ſimul cùm Patre. Si verò non ſignificat produci per Filium; explicare debent Græci, quod hactenus non fecerunt: quid interſit, inter

procedere per Filium, & produci per Filium: cùm idem, etiam apud eos, sit; procedere à Patre: & produci à Patre: vel denique Sanctus Damascenus & alij senserunt: procedere Spiritum Sanctum per Filium; vt per principium, cum Patre simul, vna & indiuisa vi & operatione spiratiua, productiuum: & sic, cum Romanis credidêre: Spiritum Sanctum procedere non à solo Patre, sed & à Filio omnia Patris habente: voluêreque per interpositionem huius particulæ, denotare: Filium esse Spiritus Sancti principium; virtute non à se habita, sed accepta per originem à Patre: vt à causa procatarctica: ad quem intellectum transmittit particula *PER*, de quo fusius alibi.

Quod ad præsens attinet: dico: Sanctum Damascenum plurimum aduersari: tàm illis, qui Spiritus Sancti processionem per Filium, à Sancto Patre assertam, explicant de largitione donorum temporali: quàm illis quibus procedere per Filium, idem significat, quod cum Filio.

Aduersatur primis: tùm locis omnibus adductis: quibus dicitur Spiritus Sanctus per Filium procedere, non gignendo, nec filiationis modo: sed inenarrabili: (quod conuenit soli processioni ad intra:) tum loco: quo dicitur Pater semper habuisse Filium, & Spiritum Sanctum, per Verbum, ex se procedentem: quod item, soli æternæ, &ad intra processioni, conuenire; manifestum est: tum denique cùm *C. 15.* in fine, verbis illis, Spiritus Sanctus procedit per Filium; addit illa: solus enim Pater αἴτιος author est. Hîc, si verba illa, Spiritus Sanctus procedit per Filium, de missione ad extra explicaueris, debebis rationem á Sancto Damasceno allatam sic explicare: *Nam solus Pater operationum ad extra causa & principium est*: quod tamen sine hæresi dici non potest. Certum enim de Fide est, omnium actionum ad extra, æquè Filium & Spiritum Sanctum esse causam, atque est Pater. Perspicuum igitur est Sanctum Damascenum hoc loco, esse loquutum de processione ad intra; quarum respectu (in sensu infra explicando) solus Pater αἴτιος est.

Aduersatur idem posterioribus: per hoc, quod dicit, Verbi genitorem, per Verbum esse Spiritus Sancti productorem. Nam si, hîc per particulam διὰ (*PER*) velint adusrsarij significari σὺν id est Cùm; sensus erit, Verbi genitorem, esse cum Verbo, Spiritus Sancti προβολεα productorem: quod iugulum petet aduersariorum ictu ineuitabili. Addo: nunquam aduersarios ostensuros, hac particula διὰ (*PER*) vsos vnquam Sanctos Patres pro σὺν: seu pro Cum: Romanos autem & Græcos Catholicos sæpius ex S. Basilio, Athanasio, Cyrillo, ostendisse. particulam διὰ vel *PER*, idem in Sacris eloquijs significare, quod Ex. Neque obstat (quod mihi Kiiouiæ

à quodam

à quodam obiectum est) quòd exempla quæ afferunt SS. Patres, docentes idem valere διὰ quod ἐξ, solas significent operationes ad extra : id enim ideo fit, quia Sacra Scriptura, ex qua illa exempla afferuntur; vix bis aut ter, loquitur de actionibus ad intra, cum particula ex: id quòd à DEO summa prouidentia factum est.

Si enim ex hoc, quod scriptura respectu actionum ad extra, Patri tribuit particulam *EX*; Filio vero *PER*; intulêre Arriani, Filium esse heterusion Patri: quantò magis id ausi fuissent: si in explicandis actionibus ad intra, vsa fuisset particula *PER*? quanquam verba illa, quibus aliquot Epistolas orditur Apostolus, ***Paulus Apostolus IESV Christi per voluntatem Dei:*** (vbi particulam διὰ idem significare quod ἐξ docet Sanctus Basilius, libro de Spiritu Sancto capite quinto:) significant actionem internã Dei. Atq; ideo cùm Sanctus Basili⁹ libro proximè citato, Cap. 25. & 27. explicauerit particulam *CVM*; ostenderitque accuratè in quo differat, ab In; neque tamen vllibi significauerit, τὸ διὰ (*PER*) idem significare quod σὺν; (*CVM*); palam est; nouitium hoc Phocianorum commentum, ad authoritates Sanctorum Patrum Orientalium eludendas confictum, nullum in Sãctis Patribus habere fundamentum. Neque satis mirari possum, etiam homines eruditos, hoc futile commentum in sui erroris patrocinium trahere. Quid dicent isti; cum legerint apud Sanctum Cyrillum & apud Sanctum Epiphanium Spiritum Sanctum procedere per ambos? an hic etiam explicabunt eum, procedere cum Patre & Filio? Denique si *PER*; idem significat quod *CVM*; quid causæ est quod Sancti Patres nunquam dixerint Filium procedere per Spiritum Sanctum; etsi (iuxta Phocianos) ita à solo Patre immediate Spiritus Sanctus originetur, atque Filius? Certè si Spiritus Sanctus ideò dicitur procedere per Filium, quia simul cum Filio producitur à Patre; deberet etiam dici, per Spiritum Sanctum procedere Filius, quia simul cum Spiritu Sancto producitur ab eodem Patre. Quod cum, nulla ratione dici posit; patet: Sanctum Damascenum non negasse Filio influxum spiratiuum in hypostasim Spiritus Sancti: sed dixisse Spiritum Sanctum procedere per Verbum: vt à productione Spiritus Sancti nec Patrem excluderet; (vt fecêre Eunomiani) nec Filium; (vt faciunt Phociani:) simulque significaret; Spiritum Sanctum produci à Filio: non tanquam à principio anarchico, sed vt à principio omnia Patris habente, suaque omnia ad Patrem referente.

Idem Sanctus Hieromonachus, eandem veritatem profiteri visus est; cum ait; Spiritum Sanctum ita esse imaginem Filij vt Filius Patris: lib. 1. de Fide C. 13. C. & libro 3. de imaginibus Fol. 770 in fine & Fol. 771. *A. Similis &*

milis & certiſſima imago Filij eſt, Spiritus Sanctus; ea ſolum re differens quòd procedit. Quia ergo in diuinis vnam perſonam ex eo ipſo dici alterius imaginem, quod eſt ex eâ cuius dicitur imago; docet Sanctus Gregorius Theologus Orat. 36. Fol. 223. (*Imago* (*inquit*) *dicitur Filius : vt conſubſtantialis Patri : & quia ex illo eſt; non autem ex hoc Pater. Hæc ſiquidem imaginis natura eſt; vt ſuum archetypum imitando referat* :) ideo nunquam Sanctus Damaſcenus ſtudioſiſsimus Sancti Gregorij aſſecla, toties dixiſſet: Spiritum Sanctum eſſe imaginem Filij, niſi eum cenſuiſſet, eſſe ex Filio, cuius dicitur imago. Idem innuit: cum lib. 1. de Fide Capite vndecimo docet, perſonas diuinas diſtingui, ſecundum rationem, τῆς αἰτίας καὶ τοῦ αἰτιατοῦ: & cùm Oratione contra Manichæos, & Orat. 3. de imaginibus, Folio citato, diuinas perſonas, aſſimilat plantæ roſæ, flori, & vtriusque odoris ſuauitati & cùm lib. 1. de Fide C 7. ait : *à pietate abhorrere, dicere quod Spiritus Sanctus Verbo extrinſecus adueniat* : (vti adueniret, ſi ab eo non procederet) & cum ibidem ait : *neque Patri Verbum, neque Verbo Spiritum vnquam defuiſſe*, & cum libro eodem Cap. 18. ait; *Spiritum Sanctum per Filium, cùm Patre copulari*: & cum 1. Fidei Cap. 9. & Oratione de Natiuitate Beatiſsimæ Virginis, & in hymno, de Pentecoſte, Filium vocat *Solum de Solo*. In hymno ita canit : ἄναξ ἀνάκτων, οἶος ἐξ οἴου, μόνος λόγος, προελθὼν πατρὸς ἐξ ἀναιτίου Rex Regum, ſolus ex ſolo, ſolum Verbum, proueniens ex Patre improducto.

Hîc Filius, vocatur Rex Regum: ſolus ex ſolo : quod falſum eſſet : ſi etiam Spiritus Sanctus procederet ex ſolo Patre : non enim Filius, poteſt dici, ſolus Rex Regum, cùm etiam Spiritus Sanctus ſit Rex Regum, vt pote, poteſtate & dominio, Patri & Filio coæqualis. Non poteſt ergo aſſignari alius ſenſus horum verborum, præter hunc : quòd Filius, ſit Rex Regum, ſolus productus à ſolo Patre.

Satis igitur conſtat : S. Ioannem Damaſcenum multis locis patrocinatum eſſe veritati Catholicæ : etſi præpoſitione ἐξ (ob cauſas infra afferendas) abſtinuerit : Græcorum verò vel potiùs Neſtorianorum & Copronymitarum errori, negantium, Spiritum Sanctum ad intra per Filium procedere, ῥητῶς aduerſari. An autem, teſtimonia à Phocianis obijci ſolita aliquid faciant, contra Catholicam veritatem; videbimus infra. Nunc ſolùm dico : nullibi Sanctum Damaſcenum docuiſſe : Spiritum Sanctum procedere à ſolo Patre : ſed potiùs docuiſſe; Verbum, eſſe Regem Regum *Solum ex Solo* : nullibi item dixiſſe ; Spiritum Sanctum non procedere per Filium, ſed potius diſerté teſtatum eſſe : & Patrem eſſe, προβολέα, productorem Spiritus Sancti per Verbum : & Spiritum Sanctum procedere per

Filium.

Filium. Neque obstat: quòd Romanorum Doctorum aliqui scripserint, Sanctum Damascenum fuisse in communi errore Græcorum: id enim scripsêre Phrasium quarundam intuitu, quas apud eum legerunt: alioqui (si omnia eius opera accuratiùs expendissent) non negaturi; Sanctum Damascenum à Catholico dogmate sola dissentire phrasi: re autem omnino consentire: & Filio influxum actiuum in Spiritum Sanctum tribuere: vt potè qui ab eo dicatur procedere, & produci per Filium: copulari Patri per Filium: esse imaginem Filij: esse suauitatem odoris: à Patre vt à planta, & à Filio vt à flore procedentem.

Præterea, Spiritum Sanctum procedere à Filio; ex eadem Patriarchia, Oratores Armeniorum in Concilio Florentino professi, vnionemque cùm Ecclesia Romana, complexi sunt.

Denique Patrum nostrorum memoriâ, Moses Mardenus, Assyrius, Patriarchæ Antiocheni legatus, suo suique Patriarchæ nomine, Romæ *Anno 1552.* de Spiritu Sancto, ita in solemni fidei professione loquutus est: *Credo in Patrem genitorem: Filium genitum & non genitorem: Spiritum Sanctum procedentem ex Patre & Filio sine vlla diuisione in substantia ipsorum.* Suid verò vel Sulaka, electus Patriarcha à Nestorianis, in abiuratione Nestorianismi, & fidei professione facta Romæ; *Anno D. 1553.* ita loquutus est: *Credimus in Spiritum Sanctum: DEVM perfectum: qui ex Patre Filioque procedit: & cum Patre & Filio adoratur: & gloriosus prædicatur.*

QVÆSITVM V.

An SS. Patres, Hierosolymitanæ Patriarchiæ agnouerint & docuerint SPIRITVM S. procedere à Filio.

ITa est. Agnouit hoc & docuit: primò S. Martialis ex Tribu Beniamin, Stephani Prothomartyris consanguineus, à Sancto Petro Christi iussu baptizatus: in epistola ad Burdegalenses capite decimo: vbi ita scribit. *Spiritus Domini non genitus non factus non creatus est: sed procedens à Patre & Verbo. Verbo Domini cæli firmati, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Secundò: idem docuit Sanctus Cyrillus Patriarcha Hierosolymitanus Catehesi 18. *Vnus tantùm est & idem Spiritus Sanctus, viuens & subsistens: qui vbique Patri & Filio adest: non qui ab ore & labijs Patris & Filij, loquendo formetur,*

formetur, vel effletur; aut in aerem diffundatur: sed persona perfectè subsistens. Vbi eo planè modo quò Sanctus Anastasius Sinaita, docet Spiritum Sanctum procedere ex ore Patris & Filij: non humano modo: sed θεοπρεπῶς.

Tertiò: hoc ipsum docuit Sanctus Epiphanius, genere Palæstinus, Episcopus Cypri: qui Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio docuit: primò locis illis; quibus eum ab ambobus esse professus est: quod fecit primò, loco supra in Quæsito primo relato, Ancorati N. 67. Edit. verò Latinæ Colonien. *Fol. 279. E.* Item Num. 71. Editionis Latinæ *Fol. 280. E. Vita est totus Deus: igitur vita ex vita est Filius: Spiritus autem Sanctus ab ambobus.*

Hic apertè docet, ita ex vtroque esse Spiritum Sanctũ; vt Filius, est vita ex Deo.

Idem docet ibidem, Num. 72. Editionis Latinæ eodem *Folio F. Si Filium vocat eum, qui est ex ipso; Spiritum verò Sanctum qui ex ambobus; quæ solùm fide intelliguntur à Sanctis, lucidam sanè operationem habent. &c.* En ita Spiritum Sanctum esse docet ex ambobus, vt est Filius ex Patre. Locis ergo citatis, loquitur de emanatione Spiritus Sancti interna & æterna: in quantum opponitur, generationi æternæ Filij ex Patre.

Secundò, docet idem ijs locis, quibus ait Spiritum Sanctum procedere ex essentia Patris & Filij: vel à Patre & Filio: quomodo eum loquutum audiuimus in Quæsito primo. Eodem modo loquitur Ancorati Num. 7. Edit Latinæ *Fol. 265. E. Spiritus Sanctus semper non genitus non creatus, non confrater, non propater, non nepos, sed ex eadem essentia Patris & Filij. Spiritus enim est Deus.* Cum ergo sacra Synodus Nicæna decreuerit idem significare, esse ex essentia Patris; & esse vel produci à Patre; esse quoque ex essentia Patris & Filij, idem necessario significare debebit; quod esse, vel produci à Patre & Filio. Quod repetitur libro 3. contra hæreses hæresi 74. *Fol. 214. G.* Idem docet Ancorati Num. 8. Editionis Latinæ *Fol 265 F. Spiritus Dei & Spiritus Patris & Filij, non compositione, vt in nobis anima & corpus; sed in medio Patris & Filij: ex Patre & Filio.* Et infra H. *Deus est ex Patre & Filio Spiritus: cui mentitus est, qui de precio aliquid detraxit.* & *Fol. 280. F. Filius veri Patris est lux de luce; Spiritus Sanctus, Spiritus veritatis, est lux tertia: à Patre & Filio.* Et infra *Folio 281.* cum multa de varijs Spiritibus dixisset, conclusissetque multos esse Spiritus adoptione aut appellatione; subdit. *Sanctus Spiritus solus apellatur qui à Patre & Filio: Spiritus veritatis, Spiritus Dei, & Spiritus Christi &c.* Similiter loquitur libro secundo contra hæreses, hæresi 62. Num. 4. Edit. Latinæ. *Fol. 122. Spiritus Sanctus non alienus à Patre & Filio: sed ex eadem essentia: ex Deitate: ex Patre & Filio.*

Tertiò

Tertiò, idem docet locis illis; quib⁹ dicit Spiritū Sanctū simul procedere ex Patre, & de Filio accipere. Ita loquitur hæresi 62. citatæ loco eodem. *Spiritus Sanctus, Christum seipsum nunquam nominauit: Sed Spiritum Christi: & qui per Christum datur, & à Patre procedit, & à Filio accipit.* Notetur hic aliud esse Spiritum Sanctum per Christum dari, aliud ab eo accipere. Et infra F. *Spiritus Sanctus (inquit) semper cum Patre & Filio: non confrater Patri, non genitus, non creatus, non Frater Filij, non soboles Patris: verùm ex Patre procedens: & de Filio accipiens.* Et hæresi eadem *Fol. 123. D. Pater verè qui genuit Filium: & Filius verè genitus ex Patre: & Spiritus Sanctus verè ex Patre & Filio: homousios ex Patre procedens: & de Filio accipiens: semper vnus Deus, primus, & qui postea.* Et hæresi 69. *Fol. 180. B. Solus Spiritus Sanctus ex Patre processit, & ex Filio accepit.* Et Fol. 185. D. *Quomodo creatus fuerit SPIRITVS; de quo dicitur, quòd ex Patre procedit; & à Filio accipit?* Hîc erubescant; qui verba hæc *de meo accipiet* explicare non verentur, de dono creato, cum tamen Sanctus hic, & Thaumaturgus antistes, Spiritum Sanctum, probet esse Deum, æquè ex eo, quòd à Filio accipit, atque ex eo quòd à Patre procedit. Eodem fere modo loquitur libro 3. hæresi 74. *Folio 211. C. Et Fol. 214. E.* Et hæresi 76. *Fol. 218. G.* vbi ait. *oportet vnum scire Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi: ex quo etiam Spiritus, Sanctus ex Patre procedens: & de Filio accipiens. Et hæc est vna Deitas, vnus Deus.* Et contra eandem hæresim *Folio 229.* & *231. 232. 233.* & Ancorati *Fol. 265.* & ad finem Ancorati *Fol. 291.* in professione fidei, hæreticis, ex Synodo Nicæna, quòd nihil de diuinitate Spiritus Sanctus egerit; inferentibus; Spiritum Sanctum non esse Deum; offerenda, ita loquitur: *Et in Spiritum Snnctum credimus. Sic autem credimus in ipsum; quod Spiritus Sanctus (sit) Spiritus DEI, Spiritus perfectus, Spiritus paracletus increatus; ex Patre procedens: & de Filio accipiens.* & sæpè alibi.

Videant iam quibus honor æterni verbi, animarumque salus, cordi est; quòd sub tàm multiplici loquendi modo, Sanctus iste Pater, verbis & factis (vt loquitur Sanctus Anastasius Synaita, libro 7. Anagogicarum contemplationum) beatissimus; tam clarè professus sit Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio; vt nullus tergiuersationi locus relictus videatur. Dicit enim expressè, ita Spiritum Sanctum ex Patre & Filio, vel ex ambobus esse; vt Filius est ex Patre: per quod obstruit aditum solitis ad processiones extraneas effugijs.

Locis idem satis multis dicit Spiritum Sanctum procedere à Patre: accipere à Filio: clarissimè innuens id ipsum accipere Spiritum Sanctum à Filio, quod accipit Filius à Patre: & idem in sacris eloquijs esse; procede-

re & accipere. Et cùm tam accuratè omnes hæreſes contra Spiritum Sanctum, & contra principiorum multiplicitatem perſecutus ſit, nullibi ſignificauit, hæreſim vel errorem eſſe; dicere: Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio: ſed potiùs apertè ſæpius profeſſus eſt; eum eſſe à Patre & Filio: ex Patre per Filium ſubſiſtere: & eſſe. &c. Vt huius Sancti Metropolitæ, teſtimonia, meritò ſufficere debuerint, ad euertendum eorum errorem, qui magnâ æterni Verbi iniuriâ, docent: Spiritum Sanctum ita à ſolo Patre procedere: vt nec à Filio nec per Filiũ procedat. Quodſi quis huius Sancti Patris authoritatem eleuare præſumpſerit; meminerit eum à Sancto Damaſceno Orat. 2. de Imaginibus *Fol.* 751. & 752. vocari virum admirabilem: & diuinum. Meminerit item eundem Sanctum à Sancto Anaſtaſio Synaita, in Odigo, numerari inter eos Patres: quos qui non ſequuntur; damnati dicuntur: & à Chriſto alieni. Meminerit denique: ab eodem Sancto Patriarcha ibidem C. 7. grauiter reprehendi Seuerianos: quòd contempſerunt Sanctum Epiphanium, qui Spiritus malignos in ſtuporem rapuit.

Liceat his addere duos: in Occidentali quidem plaga natos: diuturnâ tamen in Palæſtina manſione, dignos, qui inter Palæſtinos Patres numerentur: Sanctum ſcilicet Hieronymum, & Ruffinum; quorum ille in ſermone de TRINITATE (citato à Gennadio Patriarcha Conſtantinopolitano, in defenſione Concilij Florentini *Cap.* 1. *Sect.* 7.) ſic ait: *Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedens: per omnia Patri & Filio æqualis, colitur: & æternus eſt.* Hic vero in expoſitione Symboli Apoſtolici citati à Bellarmino, in hac Controuerſia ita loquitur. *Spiritus Sanctus de vtroque procedens & cuncta ſanctificans.*

QVÆSITVM VI.

An Conſtantinopolitanæ Patriarchiæ SS. Patres agnouerint; & docuerint Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, vel per Filium.

AGnouêre: ſuamq; eâ ſuper quæſtione ſententiam, literarũ monumentis traditam, poſteris tradidêre: plures multò quàm in alijs Patriarchijs: quia

chijs: quia plurium ex Patriarchia hâc Scriptorum lucubrationes, ad nos peruenêre: eò quòd singularis prouidentia DEI, præuidens in hac Patriarchia, plurimos fore qui docturi essent, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere; voluit eis plures erroris huius redargutores obijcere: tantò grauius habituris iudicium; quantò plures contra se habituri sint testes, ex ea ipsa Patriarchia: quam fidei Magistram; profiterentur.

Horum primus sit: Sanctus Basilius Magnus, Græcorum Patrum facilè primas; cuius doctrina de Spiritu Sancto, magnoperé collaudata est à Synodo Chalcedonensi. Hic Tomo 1. Edition. Parisien. Homil. 17. contra Sabellium &c. &c. *Folio 523. D.* ita scribit. *Vt Pater Filium glorificat: ita & Filius Spiritum Sanctum in suiipsius ac Patris communionem* παραλαμβάνει, *assumit.* Hæc verba, euidentissimè tribuunt Filio vim productiuam Spiritus Sancti. Quomodo enim aliter, Spiritus Sanctus assumi posit, à Filio, in communionem Patris & Filij, quàm per originem?

Idem, in fine libri Secundi contra Eunomium; asserentem, Spiritum Sanctum produci à solo Filio, ita eum impugnat. *Nihil est in rebus; quod Filio insit, & à Patre alienum sit. **Omnia enim** (inquit) **mea, tua sunt, & tua mea.** Quomodo ergo soli Vnigenito Spiritus* αἰτίαν *attribuit? &c. &c. Si ergo duo principia in oppositum inter se ducens; hæc ait; cum Manichæo & Martione conteretur: si verò ab vno principio dependere omnia putat, quod à Filio factum esse dicitur; ad primam refertur causam.* Et in fine. *Dominus qui veritas est, Spiritum veritatis dicit:* καὶ παρὰ τοῦ πατρός, *à Patre quoque procedere: hic vero (Eunomius) Spiritum à Patre remouet.* Hîc videre licet: quantopere Phociani, à Sancto, & verè magno Basilio, dissideant. Nam hi ex his verbis, ***Quià Patre procedit***, concludunt: Spiritum Sanctum à solo Patre procedere: Sanctus verò Basilius, solùm infert: à *Patre quoque procedere.* Iudicent ipsi: quantùm distent hæ propositiones: *Procedit à solo Patre*; & *procedit quoque à Patre*: prior est exclusiua: altera copulatiua: prior excludit Filium, à principio originatiuo Spiritus Sancti, altera eum necessariò includit. Ampliùs: Sanctus Basilius pro comperto assumit: vnigenitum esse τὴν αἰτίαν Spiritus Sancti: atque inde, Patrem quoque esse τὴν αἰτίαν Spiritus Sancti, infert ex vnitate potestatis & operationis: discursu in formam Dialecticam ita collecto. Quidquid operatur Filius, operatur Pater. (iuxta illud ***Omnia mea tua sunt: & tua mea:***) Filius producit Spiritum Sanctum. Ergo eundem producit Pater. At Phociani, cum negent vnigenitum esse τὴν αἰτίαν Spiritus Sancti, omnem vim, discursus Basiliani euertunt. Ampliùs: Sanctus Basilius, per hoc, saluat vnitatem principij in Diuinis, si quod producatur à Filio referatur ad Patrem, ut pote à quo habeat Fi-

beat Filius, quidquid sit: at Photiani inclamant, dualitatem poni Principiorum: si dicatur ad intra producere aliquid Filius, quod producit Pater: nihil morati, relationem vel ordinationem producentis Filij in Patrem, vt in primam causam. Denique si Sanctus hic Archiereus sensisset; Spiritum Sanctum produci à solo Patre: omnino hîc, suum sensum aperuisset, reuera enim, id Controuersia summoperè exigebat. Sic enim vno verbo os obstruxisset Hæretico: si ex verbis illis, *à Patre procedit*, conclusisset: tantùm abesse, vt Spiritus Sanctus à solo producatur Filio; (quod Eunomius asserebat:) vt potiùs dicendum sit, Spiritum Sanctum nec à Filio nec per Filium, sed à solo Patre, immediatè produci: quod cum Sanctus Pater neque hîc, nec vsquam alibi fecerit; manifestum est: tantùm, eum à Phocianis differre, quantum differunt procedere à solo Patre, &, à Patre quoque procedere. Alia duo, ex eodem Tomo loca, in Synodo Florentina trutinata, quia ab aduersarijs negantur; infra expendam.

Idem Tomo Secundo libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium Cap. 17. *Fol.* 331. Titulum hunc præfigit. *Quomodo se habet Filius ad Patrem: ita ad Filium Spiritus, secundum traditum in baptismate, à Deo Verbo ordinem.* Quod ipsum docet libro 5. contra Eunomium. *Folio* 787. *Sicut (inquit) Filius ad Patrem se habet: ita Spiritus Sanctus ad Filium, ideoque Spiritus Sanctus, Verbum dicitur Filij, vt Filius est Verbum Patris.* Quare cum idem Sanctus, Verbi denominationem, prouenire ex processione, expressè doceat, in explicatione initij Euangelij Sancti Ioannis *Folio* 435. *(propter quid (inquit) Verbum dicitur? quòd ex mente procedat:)* perspicuum est eum nunquam fuisse dicturum: Spiritum Sanctum esse Verbum Filij: nisi eum credidisset ita procedere ex Filio, vt Verbum Patris procedit ex Patre.

Idem eodem libro 5. contra Eunomium C. 8. *Folio* 784. quærit. *An Spiritus Sanctus sit vera & Physica imago Filij; vt Filius est imago Patris; & affirmat:* id quod etiam docuit supra ibidem: *Folio* 783. *Imago (inquit) Dei Christus; imago verò Filij Spiritus.* Talem autem imaginem in Diuinis personis esse non posse, nisi quæ sit consubstantialis, & producta ab Archetypo; ex mente Sancti Gregorij Theologi, ostendi supra in Quæsito quarto. Nunc addo: etiam ipsum Sanctum Basilium, libro Secundo contra Eunomium, clarè demonstrare: veram & Physicam imaginem, etiam in creatura dari non posse, nisi producatur ab eo, cuius est imago. Idem, Libro quinto eodem Capite duodecimo, quærit: Cur licet DEI imago sit Christus, Christi verò Spiritus Sanctus, tamen Spiritus Sanctus non vocatur Filius Filij: & respondet. *Factum id non quod non sit ex Deo per Filium; sed ne TRINITAS, putetur multitudo infinita: dum Filios ex Filijs habere, vt*

sit in homi-

sit in hominibus, existimetur. Facile enim esset, existimare: si Filius ex Filio natus sit, etiam ab isto alium esse genitum, & ab hoc rursus alterum &c. &c. vbi;

Aduertendum est primò: si tempore Sancti Basilij, orthodoxa veritas esset, Spiritum Sanctum procedere à solo Patre, nullum fuisse futurum locum, quæstioni; cur Spiritus Sanctus non dicatur Filius Filij: siquidem nec haberet esse à Filio, nec per Filium. Ridiculus enim esset; qui quæreret; cur Abel non esset Filius Cain: etsi vterque, esset productus ab Adam.

Aduertendum Secundò: quòd cùm ibi scopus Sancti Basilij esset, dare rationem: cur Spiritus Sanctus, etsi imago Filij, seque ita habeat ad Filium vt Filius ad Patrem; non sit, nec dicatur Filius Filij: facillimeque Sanctus Præsul, huic molesto quæsito, satisfacere potuisset; dicendo Spiritum Sanctum, nec esse à Filio; nec per Filium; seu, quod idem est, Spiritum Sanctum produci à solo Patre; noluit hâc ratione vti: imò eam vt falsam (ne alicuius menti per errorem obreperet) reiecit: atque aliam assignauit: eo ipso testatus; Spiritum Sanctum originem ducere à Patre & Filio: vel: (vt Libro citato Quinto, contra Eunomium *Fol. 790.* loquitur) esse ex Deo per Filium.

Aduertendum tertiò: quod τὸ διὰ (*PER*) apud S. Archiereum, non significet: Cum si enim τὸ διὰ significaret Cum, ineptè admodum Sanctus Pater, reijceret hanc rationem: vt ex ea quis ineptè, sic argumentaretur: Spiritus Sanctus cum Filio producitur à Patre. Ergo Spiritus Sanctus est Filius Filij. Quis non taliter argumentãtem desipere diceret? Non ergo in hoc soluendo argumento laborare, necesse esset, Sanctum Basilium: causasque assignare: quare Spiritus Sanctus non esset Filius Filij: siquidem vel rudissimo homini compertum est: duobus ab vno Patre originem ducentibus, Fratrum tantùm conuenire nomen: vnum autem alterius Filium dici, impossibile esse.

Aduertendũ deniq;, in ratione quàm Sanctus Basilius assignat, cur Spiritus Sanctus non dicatur Filius Filij, apertè significari: Spiritum Sanctum habere esse à Filio: non enim hîc periculum esset multiplicandæ Trinitatis, ex eo quod Filius ex Filio esset; posito quòd Spiritus Sanctus neque ex Filio, neque per Filium procederet: in ea siquidem hypothesi, nullus esset ad intra ordo, huius ab illo: consequenter non esset periculum, esse aliquem Filium à Spiritu Sancto: si ipse non haberet esse à Filio: & proinde neque per imaginationem probabilem posset concipi Filius Filij. Apparet ergo: Sanctum Basilium, semper credidisse Spiritum Sanctum, habere esse à Filio; atque ideo iustam habuisse causam, assignandæ rationis:

quare Spi-

quare Spiritus Sanctus non sit Filius Filij: etsi habeat esse à Filio: alioqui non est assignabilis ratio: quare tunc, Sanctus Basilius, & alij, SS. Patres laborauerint in reddenda ratione, cur Spiritus Sanctus non sit Filius Filij. Ex his optimè colligitur: immeritò alia duo testimonia, in Synodo Florentina, producta; ab Ephesio reiecta esse.

Primum est Homil. 17. de Baptismo: *Folio 440. C.* vbi ait. *Spiritus non est Filius, nec Filius nominatur: quia non accipimus à Spiritu aliqua: quomodo à Filio Spiritus.* Græcus textus ita habet: οὐ γὰρ παρὰ τοῦ πνεύματος τινὰ λαμβανόμεν: ὥσπερ παρὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα. Quem textum, ita vt retuli, ante annos trecentos, interpretatus est Leonardus Aretinus. Eamque interpretationem, præsentibus versionibus præferendam esse; rectè à Ioanne Theologo probatum est. Nam cum ei Synodi Florentinæ nouus Dioscorus, obiecisset; verba Græca ita vertenda esse: *Nec enim à Spiritu Sancto aliqua accipimus; vt à Filio Spiritum: cum à Filio accipiamus Spiritum Sanctum, qui alius est in hypostasi à Filio: ab ipso vero Spiritu Sancto, non accipiamus alia, præter ipsum Spiritum, sua in nobis charismata operantem,* vrsit Ioannes contra. *Dona* (aiebat) *creata non sunt ipsa persona Spiritus Sancti; sed à Spiritu Sancto accipimus dona creata: (nempe communicationem Diuinitatis: participationem Filiationis, & arrhabonem hæreditatis:) Ergo accipimus à Spiritu Sancto aliqua: ita distincta à Spiritu Sancto: vt distinguũtur creata & creator: quomodo ergo verum erit, nos à Spiritu Sancto non accipere alia; præter ipsum Spiritum Sanctum: cùm habitus charitatis, pietatis, sapientiæ &c. sint accidentia; Spiritus verò Sanctus sit substantia perfectissima?* Hâc instantiâ pressus Dioscorus, obmutuit. Deinde, accipere Spiritum Sanctum charismata operantem; est accipere Spiritum Sanctum cum donis; vel dona cum Spiritu Sancto. Atqui Spiritum Sanctum cum donis, vel dona cum Spiritu Sancto, ita accipimus à Spiritu Sancto, vt à Patre & Filio: (cùm quidquid creaturæ accipiamus, omnibus tribus personis acceptum æqualiter debeamus: iuxta commune principium Theologorum: Actiones & effectus ad extra, sunt communes omnibus personis Sanctissimæ Trinitatis:) Ergo Spiritum Sanctum charismata operantem, ita accipimus à Spiritu Sancto, vt accipimus eundem à Patre & Filio. Quocirca vel dicemus, nouo quodam modo, nos, Spiritum Sanctum accipere à Patre & Filio, quo eum non accipimus ab ipso Spiritu Sancto; nempe originatum ad intra à Patre & Filio, non autem originatum à seipso; & sic vera quidem erit cõmunis versio ita explicata; sed ex ea inferetur, nos Spiritum Sanctum accipere originatum à Patre & Filio: vel retinebimus citatam in Florentina Synodo versionem; & inde fortiùs concludemus: Spiritum Sanctum accipere alia

pere alia à Filio, quàm nos ab ipso: nosque ab ipso accipere dona creata, Spiritum verò Sanctum, à Filio accipere esse increatum, & diuinum. Sensus rationis, à Sancto Patre allatæ, recidit in sensum rationis allatæ in libris contra Eunomium loco citato. Id enim hîc dici videtur. Si Spiritus Sanctus esset Filius Filij; acciperemus aliquam personam ab illo procedentem, vt accipimus productam à Filio: (hoc enim est: nos accipere alia à Spiritu Sancto, quomodo Spiritus Sanctus accipit à Filio.) atqui non accipimus aliam personam productam à Spiritu Sancto, vt accipimus productam à Filio. Ergo Spiritus Sanctus non est Filius Filij. Hic tenor argumenti, & est planissimus; & recidit in illam rationem, ne in Diuinis nos oporteat, admittere, Filios ex Filijs, in infinitum. Sensus vero à Marco allatus, satis ineptus videtur. *Per Filium dantem nobis Spiritum adoptionis (inquit) in Filios, Patri adoptamur: à Spiritu verò non alia quædam accipimus, præter ipsum Spiritum: sicut à Filio Spiritum, qui alius ab ipso Filio est. Ergo Spiritus non est, nec nominatur Filius.* Vbi & consequentia penitus nulla: & Antecedens falsum. An enim Spiritus Sanctus, cum sua nobis dat dona, non dat etiam seipsum? non in hoc sibimet, contradicit Marcus? deinde adoptari nos in Filios, est actus ad extra: quî ergo fieri potest, vt non sit communis omnibus personis? Certè Filiatio nostra, sanctificatio est; Ergo non æquè sanctificamur per Spiritum Sanctum atque per Filium? Quid hæresis est, si hoc, non est?

Alter locus, æquè vel magis, controuersus est, ex libri tertij contra Eunomium, initio; vbi in vetustissimis codicibus, hæc reperiuntur verba: ex antiqua Georgij Trapezuntij versione. *Cur necesse est, si dignitate & ordine tertius est Spiritus Sanctus, naturâ quoque ipsum tertium esse? dignitate namque ipsum, secundum à Filio, (cum ab ipso esse habeat, & ab ipso accipiat, & annunciet nobis; & omnino ab illa causa dependeat;) pietatis ratio tradit: naturâ verò tertiâ vti, nec à Diuinis Scripturis docti sumus: nec à dictis, possibile est, consequenter ratiocinari. Nam vt Filius ordine quidem à Patre secundus est; quoniam ab illo est; & dignitate, quoniam origo & causa essendi Pater ipsi est; & quoniam per ipsum accessus & adductio est ad DEVM Patrem: naturâ vero nullo modo secundus: quoniam in vtroque vna est Deitas: ita & Spiritus Sanctus, etsi dignitate & ordine secundus à Filio est; non tamen verisimiliter alienæ ipsum esse naturæ, inde consequetur.* Et cùm similitudine ab Angelis ducta probasset; vnitatem naturæ, consistere cum diuersitate ordinis, & dignitatis; ita denique concludit. *Sic profectò, dignitate quidem ordinis tertius est Spiritus Sanctus: accepimus enim ipsum tertium à Patre & Filio numeratum; cùm ipse Dominus in traditione salutaris baptismi, ordinem tradiderit his*

rit his verbis : Euntes baptizate : In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. In naturâ autem, tertium à Filio & Patre deiectum Spiritum, nullibi audiuimus. Ita hæc Sancti Basilij verba, à Græco homine, vtriusque idiomatis perito, multò ante Synodum Florentinam, edita sunt : & ita edita in codice Coloniæ impresso *Anno 1623.* Cracouiæ legi : & ad verbum descripsi. Ita item, in Synodo Florentina, producta sunt à Ioanne Theologo : & felicissimè defensa contra aduersarij contradictiones. Exhibuit enim ille duos vetustissimos codices : quorum alter erat Præsulis Mitilenensis, alter verò à Nicolao de Cusa Cardinali Constantinopoli allatus, membranaceus, & scriptus ante annos sexcentos : eo nimirùm tempore, quo nulla erat inter Græcos & Latinos de Spiritus Sancti processione controuersia. Et verò hunc textum, sine vllis dubitatiuis particulis (*fortasse : vt hoc concedamus : vt aiunt :*) habent etiam codices manuscripti Regiæ Bibliothecæ Parisiensis : teste eruditissimo Patre, Dionysio Petauio, Tomo Secundo Dogmatum Ecclesiasticorum. Deinde doctissimus Metropolita Nicænus, & deinde eminentissimus *S. R. E.* Cardinalis, & Patriarcha Constantinopolitanus, Bessarion, fortissimis argumentis, in Epistola ad Constantinopolitanos data probat : hunc textum, ita vt à Trapezuntio versus, & in Synodo Florentina productus est, esse legendum.

Primò : quia ex sex Operum Sancti Basilij exemplaribus, quæ secum Græci tulerant ad Synodum Florentinam, quinque carebant dubitatiuis parenthesibus : solùm sextum chartaceum eas habuit.

Secundò : quia ipse Bessarion Constantinopolim reuersus, diuturna & accurata lectione comperit : (vt ipsemet eâdé Epistolâ testatur) omnes Sancti Basilij libros contra Eunomium, Schismate Græcorum antiquiores, eodem modo, integerrimam Sancti Basilij sententiam exhibere : in eis verò qui Schisma subsequuti sunt, verba illa addita ; *fortasse : vt hoc concedamus &c.* illa vero subtracta ; *cum ab illo esse habeat : & ab ipso accipiat &c.*

Tertiò : quia inter libros Monasterij, Soteris Panopti, reperit idem, duos antiquos codices : quorum alterius vetustatem ipsa facies & color membranæ testabatur : alterum verò fuisse ante annos trecentos, id est circa *Annum Domini 1100.* scriptum ; annus in calce libri subscriptus, significabat. Eorum vtriusque fidem conati sunt deprauare Cerullariani : ferro in innocentem membranam grassati : sed prohibente DEO, tantam lucem nebulis obduci ; in vno exemplari non potuêre, ita omnia eradere verba ; quin dimidiæ Syllabæ apparerent, audaciamque & maleuolentiam corruptoris Cerullariani testarentur : in altero verò totaliter quidem deleta sunt illa verba : (*cum ab illo esse habeat, & omnino ab illa causa dependeat*) sed ta-

at) ſed tamen locus ipſe, membranæ raſuram paſſus; euidens erat teſtimonium, maleuoli, & agnitæ veritatis, oſoris animi Cerullarianorum.

Quartò: quia ſententia ita producta, tantam eloquentiam, rotunditatem, & Atticam gratiam exhibet: vt genus ipſum & elegantia ſcribendi, teſtetur, tam elegans ſcriptum, non niſi ab ipſo Sancto Baſilio prodire potuiſſe.

Quintò: Quòd eodem teſtimonio ita integrè citato, ſub tempus Concilij Lugdunenſis, Ioannes Beccus, doctiſsimus Patriarcha Conſtantinopolitanus, contra Schiſmaticos vſus fuerit, è vetuſtiſsimis codicibus producto: quod ipſum eodem tempore fecit Manuel Caleca: & poſt Synodum Florentinam, Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Denique concludit idem Beſſario: in recentioribus exemplaribus, verba Sancti Baſilij, corrupta eſſe, non à Latinis, ſed à Græcis, veritatis Catholicæ inimicis: qui huius ſplendoris iubar æquis ferre oculis non poterant: & ibidem adiectas Paranthefes, alienas eſſe à mente Sancti Baſilij, probat ex epiſtola 300. ad Canonicas: vbi omnino exigit, vt inter Diuinas perſonas, Spiritus Sanctus ſit tertius ordine: vtque is ordo inuiolatus ſeruetur. Quod confirmatur ex libro Septimo Hiſtoriæ Georgij Pachimeris Schiſmatici (qui vixit 13 ſeculo,) vbi hæc verba ex Sancto Baſilio citãtur: δευτερένει μὲν ὁ ὑιὸς τȢ̃ πατρὸς τῷ αἰτίῳ: δευτερένειγε καὶ πνεῦμα τȢ̃ ὑιȢ̃: κατα τὸν τῆς αἰτίας λόγον. *Secundum locum habet Filius à Patre: vt à cauſa: ſecundum verò locum habet, & Spiritus à Filio, quoad principij vel cauſæ rationem.*

Ab eo ergo diſcere potuit, Synodi Florentinæ cornicula: (ita enim in Actis Synodi appellatur:) Sancti Baſilij & Sanctorum dogma fuiſſe; quòd Spiritus Sanctus ſit ordine & axiomate ſecundus à Filio: & ideo rectè illam cauſalem à Sancto Baſilio adiectam eſſe: *eò quod ab illo eſſe habeat &c. &c.* Quod vero is ita pertinaciter negabat, hoc dogma Sancti Baſilij & Sanctorum eſſe, vt non dubitaret profiteri, ſolius Eunomij hanc fuiſſe ſententiam; aut ruditatem incuriamque ſuam, aut maleuolentiam prodit. Nam Sanctus Baſilius libro 1. contra Eunomium *Fol.* 720. Edit. Pariſien. citatæ ita ſcribit.

Ait (Eunomius) *non oportere dicere ordinem eſſe in Deo, quoniam ordo ordinante poſterior eſt. Illud verò, aut non animaduertit: aut conſultò occuluit: quoddam ordinis eſſe genus, non noſtra conſtitutum diſpoſitione, ſed ipſius naturæ vi conſequens, cuiusmodi eſt ignis & lucis quæ ab ipſo eſt. Nam in ijs priorem cauſam eſſe dicimus, poſterius vero quod ab ipſa eſt: non interuallo hæc ab inuicem dirimentes, ſed cogitatione, cauſato præconcipientes cauſam &c. Cur ergo in Deo, ordinem reſpuit? Nos autem ſecundùm relationem cauſarum, ad ea, quæ*

 ex ipſis

ex ipsis sunt; præponi Filio Patrem dicimus: naturæ verò diuersitate nequaquam: neque temporis excessu. &c. Addit idem Sanctus: *Folio* 721. in fine. Eunomium solere præmittere, aliqua quæ concedi possunt: vt ex eo, quod bene in ijs sentit, de reliquis quoque ipsi faciliùs credatur.

Ex his intelligitur: hanc propositionem. *Spiritus Sanctus, est à Filio ordine & axiomate secundus*; non fuisse Eunomianam, (cùm Eunomius negaret dari talem ordinem in Diuinis, qualem cum Sancto Basilio Catholici agnoscebant:) sed ab Eunomio assumi solitam, ad probandum; Filium & Spiritum Sanctum esse diuersæ à Deo Patre naturæ. Atque hoc est, quod Sanctus Basilius dicit: *cùm contemnat opinionem multorum, quâ Spiritum Sanctum glorificant, dicendo Spiritum Sanctum consubstantialem esse Patri & Filio: etsi sit ordine & axiomate secundus à Patre, tertius à Filio*; (Filium enim quâ Deum, Spiritu Sancto Maiorem profitebatur Sanctus Athanasius: Orat. contra Arrianos supra citata: & Sanctus Basilius: tùm à Pachymere citatus, tum locis illis, quibus, Spiritum Sanctum vocat imaginem, vel Verbum Filij, vt Filius est Patris: & quibus, ait, talem ordinem habere Spiritum Sanctum ad Filium, qualem Filius ad Patrem: & quo, dicit Spiritum Sanctum assumi à Filio, in communionem essentiæ Patris, & suam:) *Sanctorum se doctrinam conseruare simulat*: (fingendo, se admittere in Diuinis talem ordinem qualem admittebat Magnus & Sanctus Basilius: Sanctus Athanasius: & citari ab eis soliti Sancti: reuera tamen eum negando: atque ex doctrinâ communi, vt ex principio irrefragabili inferendo: Spiritũ Sanctũ esse diuersæ naturæ à Patre & Filio:) *nunc* (in Serm. de Spiritu S.) *etiã ea ipsa faciens, quæ cum de vnigenito loqueretur, facere demonstratus est.*

Aduertat hîc lector studiosus veritatis: Sanctum Basilium expresè profiteri: Eunomium eadem loqui solitum fuisse de Spiritu Sancto quæ loquebatur de Filio: cùm ergo inter Patrem & Filium, non agnosceret ordinem naturalem, τȢ αἰτίȢ καὶ τȢ αἰτιατȢ; (vt expresè testatur Sanctus Basilius libro primo:) patet eundem ordinem non agnitum ab eo esse, inter Filium & Spiritum Sanctum: atque ideo non potuisse hoc, ab vllo, tribui Eunomio, nisi cum graui nota, ignorantiæ, & incuriæ, aut certè maleuolentiæ & dissimulationis agnitæ veritatis.

Accedit: quòd Quarta Synodus Oecumenica, expresè cõfessa sit, à Sancto Basilio exactam esse traditam doctrinam, de Spiritu Sancto: quod tamen dici non posset: si ita legeretur textus, vt à Marco productus est. Nam si hæc propositio, *Spiritus Sanctus est ordine & axiomate secundus à Filio*: non est Catholica; sed Eunomiana: nec potuit, neque debuit dubitari & dici à Sancto Basilio, quòd *fortasse sit pietatis sermo*. Quod enim à Catholica re-

ca religione alienum est, hoc non esse pietatis sermonem, certo certius est. Quomodo ergo Sanctus Basilius diceret *fortasse pietatis sermonem?* quomodo id concederet, vel transire sineret, quod sciret assumi pro primo principio ab Hæreticis? quomodo exactam reliquisset de Spiritu Sancto doctrinam; si hanc propositionem nullibi determinasset? omnesque orthodoxos, in dubio, sitne hoc pium dogma, reliquisset?

Præterea; Sanctus Basilius expresse hoc ipso loco indicat: quid illud esset quod Eunomius non potuit probare, esse Sanctorum doctrinam: indicat inquam: cùm ait: *Natura verò tertiá, uti; neque ex Sanctorum* (τῶ ἁγιῶν γραφῶν.) *Scriptis edocti sumus: neque ex antecedentibus*, (quæ scilicet assumebat Eunomius) *possibile est consequenter inferri*.

Quod verò Ephesius, ordinem à Sancto Basilio assignatum, vult solam esse connumerationẽ; ideoq; dici Epistola 43. scripta ad Sanctum Gregorium Nyssenum; *Spiritum Sanctũ à Filio dependere; quia cum Filio numeratur: & sine ulla disiunctione percipitur; seu quia in eodem in quo est Filius ordine ponitur; ita ut cum Filio una apprehensione percipiatur;* graui se hæreseos exponit periculo. Sic enim argumentor. Quæ persona Diuina connumeratur Filio, vel in eodem ordine ponitur cum Filio, dependet à Filio: Pater connumeratur Filio, & in eodem ordine ponitur cum Filio, & cum Filio una apprehensione percipitur: (ut passim loquuntur SS. Patres Orientales, quorum aliqui citabuntur: in explicatione verborum illorum; *Qui à Patre procedit*:) Ergo Pater dependet à Filio.

Videtis Domini, rectè à Sancto Basilio dictum esse in Epistola ad Canonicas; inuersionem huius ordinis, quo Pater dicitur prima persona, Filius secunda, Spiritus Sanctus tertia, esse fidei Christianæ abnegationem. Manifestum profectò est: quòd hæc propositio, *Spiritus Sanctus dependet à Filio*, multò faciliùs explicetur per hoc; quòd Spiritus Sanctus habeat esse à Filio: cùm dependere ab aliquo, & habere esse ab aliquo, Synonima videantur: neque dari possit ratio, cur nequeat dici Pater dependere à Filio & Spiritu Sancto, nisi vocis huius (dependet) nostra significatio retineatur.

His ideò prolixiùs immoratus sum: ut æquus rerum arbiter agnoscat: tum quàm immeritò, textum hunc ex libro tertio contra Eunomium, in Synodo Florentina productum, Marcus sit calumniatus esse deprauatum: tum quàm apertè tantus Græciæ Antistes professus sit Spiritum Sanctum habere esse à Filio: ab eoque pendere ut à causa.

Reliquos eiusdem veritatis testes, eiusdem Patriarchiæ indigenas, breuiùs referam. Sit ergo.

Secundus eiusdem dogmatis assertor, Frater Sancti Basilij, Sanctus Gregorius

gorius Nyssenus, Hic Edition. Lutet. apud Sonnium libro decimo contra Eunomium *Fol. 164.* ita scribit. *Hic ipse nobis, & de Sancto Spiritu sermo est: in solo ordine differentiam habens. Nam vt coniungitur Patri Filius, & ex illo esse habens; non est posterior secundum existentiam; sic & Spiritus Sanctus ab vnigenito pendet. sola ἐπινοίᾳ secundum rationem τῆς αἰτίας præcognoscibili, S. Spiritus hypostasi.* Notetur ergo, quòd hîc instituatur comparatio, inter Patrem & Filium, & inter Filium & Spiritum Sanctum: dicaturque, ita Spiritus Sanctus coniungi Filio, vt Filius Patri. Et quia dicit, non alia ratione Filium coniungi Patri, quàm quia ab illo habet esse: eo ipso innuit; etiam Spiritum Sanctum habere esse à Filio: cùm eum docet ita coniungi, vel proximè adhærere Filio: vt Filius Patri. Idem in Epistola ad Ablauium, Editionis Niuellanæ, Tomo Secundo *Folio 459.* sic loquitur. *Nos qui diuinam naturam differentiæ expertem confitemur; non negamus, eam quæ (κατὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατὸν) secundum originans & originatum consideratur differentiam. ἐν ᾧ μόνῳ; In quo solo; alterum ab altero discerni censemus: quòd scilicet credamus alterum esse τὸ αἴτιον principium: vel originans: alterum ἐκ τοῦ αἰτίου originatum: vel id quod à Principio, & eius quod est, ἐξ αἰτίας; alterum agnoscimus, quod est, προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου; proximè & immediatè ex primo: alterum quod est, διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, per eum qui est immediatè ex primo: vt & vnigeniti proprietas indubitatè in Filio maneat: & ex Patre Spiritum esse non dubitetur: ipsa Filij mediatione, & ipsi Filio, esse vnigeniti conseruante: & Spiritum à naturali ad Patrem relatione non arcente.* Hîc videant Cerullariani: quàm apertè eis aduersetur, hic Sanctus Antistes. Asserunt illi: Spiritum Sanctum, esse immediatè ex solo Patre: hic expresè negat: dicitque per mediationem seu interpositionem Filij, conseruari Filio, esse vnigeniti; quasi diceret: quòd, si Spiritus Sanctus immediatè esset originatus ex solo Patre, esset Filius; atque ideo Verbum non esset vnigenitus Filius. Asserunt illi: Filium & Spiritum Sanctum, posse sufficienter distingui, per Relationes disparatas, vel per diuersos originandi modos: quod Sanctus Pater expresè negat: expresè affirmans, per solam differentiam τοῦ αἰτίου καὶ αἰτιατοῦ Personas Diuinas distingui. Asserunt illi τὸ διὰ significare Cum: at Sanctus Pater expresè profitetur, per τὸ διὰ significari μεσιτείαν, quam vtique non significat Cum. Idem citatus ab Euthymio; Panopliæ Parte secunda. Titulo 12. ait. πνεῦμα τὸ ἅγιον τάξει δεύτερον τοῦ υἱοῦ, καὶ ἀξιώματι πνεῦμα γὰρ υἱοῦ λέγεται. *Spiritus Sanctus secundus ordine est à Filio: quin & axiomate. Spiritus enim Filij dicitur.* Per quod confirmatur; Sanctum Gregorium vnâ cum Sancto Basilio sensisse; *Spiritum Sanctum esse à Filio, secundum ordine & axiomate*: siue (vt Roman

Thelogi

Theologi loquuntur:) posteriorem origine. Idem Homilia, in Orationem Dominicam quæ incipit, *Quando Magnus Moyses*; citata à Ioanne Becco, & Manuele Caleca, & Bessarione, & Gennadio, docet: *Patrem à Filio & Spiritu Sancto distingui quòd Pater sit* ἄνευ αἰτίας *sine principio, Filius verò & Spiritus Sanctus* αἰτιατά: *Filium vero & Spiritum Sanctum in hoc esse conuenientes, quòd ambo sint* αἰτιατά :*per hoc distingui: quòd Filius sit à Patre,* μέχρι τούτου, *tantùm ab ipso: at Spiritus Sanctus ex Patre & Filio.* Hæc homilia, etsi tot testes habeat, suppressa est ab eis, quibus oculos fodicabant verba illa: Spiritus Sanctus, ex Patre & Filio.

Tertius eiusdem dogmatis testis, est Sanctus Gregorius Nazianzenus, ob celsitudinem Diuinioris doctrinæ κατ᾽ ἐξοχὴν dictus Theologus.

Indicauit id primò: cùm personas Sanctissimæ Trinitatis comparauit, Adamo, Euæ, & Setho, vtriusque pignori: quod fecit Orat. 37. quæ est quinta de Theologia de Spiritu Sancto: Editionis citatæ *Folio 226.* & Orat. 39. in sacra lumina *Folio 238.* & in versibus de Spiritu Sancto: vt aduertit, Sancti Theologi versuum interpres, Cyrus, Episcopus Dadybrēsis, Editionis eiusdem *Folio 697.* Num. 10. & Nicetas in Orationes citatas.

Innuit idem secundò: locis illis: quibus vocat Filium principium de principio: quod facit Orat. 38. de Natali Christi. *Folio 234.* vbi eundem vocat terminum & (λόγον,) rationem Patris: (quem vtrumq; titulum tribuit Filio:) etiam Oratione 42. *Folio 257.* Quæ verba explicans Nicetas Metropolita Heracleensis *Folio 549.* ait. *Principium omnium quæ sunt, Pater est causa: principium quoque est Filius, vt causæ consors: ad Patrem enim Dauid verba faciens ait: Tecum principium &c. est ergo Filius principium ex Principio: id est ex Patre.* Hæc ille.

Idem Sanctus Theologus, Orat. 32. *Folio 196.* ait. *Nomen Anarcho Pater: principio Filius: ei quod cum principio, est Spiritus: vna autem his tribus natura est.* Hîc omnino videtur, Filius dici principium, respectu eius, quod cum eo & Patre vnam naturam habet: vocat autem Sanctus Theologus, Spiritum Sanctum σύναρχον, vel cum principio: ne si eum diceret esse à principio, quod dixit esse Filium, videretur cum Eunomianis docere Spiritum Sanctum à solo Filio esse: aut certè (vt interpretatur Nicetas *Folio 445.*) *Spiritus Sanctus dicitur esse cum Principio: quia nec Patri vnquam Filius defuit, nec Filio Spiritus Sanctus.*

Idem docere videtur Orat. 44. de Pentecoste *Fol. 269. Spiritus Sanctus in linguis igneis apparuit, propter eam quam habet cum Verbo, cognationem.* Idem innuit Orat. 50. de Fide Nicæna. *Credimus* (ait) *in Spiritum Sanctum: non ingenitum, neque genitum, non creatum, nec factum, sed Patris & Filij: semper*

cum Pa-

cum Patre coæterno veneramur. Sanctorum autem Phrasi, idem dicitur Spiritus Sanctus Patris & Filij; quia à Patre & Filio est: vt in testimonijs S. Cyrilli Alexandrini patuit: & insuper probabitur infra. Denique idem docet Orat. 37. *Fol. 226. Spiritui Sancto vt dicatur Filius; nihil deest: neque enim Deo quidquam deest. Emanationis verò (vt ita loquar) vel mutuæ internæ relationis differentia, diuersa Nomina ipsis quoque fecit.* Ita omnino vertendum esse (vt de facto vertit, interpres Manuelis Calecæ, Ambrosius Calepinus;) probat: tum additio illa, (vt ita loquar:) cuius nullus vsus esset, si nomine ἐκφάνσεως sola intelligeretur, extrema & temporalis manifestatio: tum quia hæc vox, vt infra probabitur, æternam & internam personarum Diuinarum emanationem significat.

Aduertendum hîc est: duas à S. Theologo rationes dari, cur Spiritus Sanctus non dicatur Filius. Prima est, diuersimoda ἐκφάνσις, siue illam vertas emanationem, siue editionem, siue manifestationem: quâ etiam voce significari æternam processionem, eruditè probat doctissimus Bessario Orat: dogmatica de Vnione: insertâ Tomo 2. Synodi Florentinæ Cap. 6. ex quo aliqua infra delibabimus. Altera verò, est relatio mutua Filij ad Spiritum, & Spiritus ad Filium; eam enim significat σχέσις non ad Patrem sed πρὸς ἄλληλα ad inuicem: atqui nulla mutua relatio inter Filium & Spiritum Sanctum assignari potest, nisi quæ est inter producens & productum: (quæ enim alia? certè si dicas eam, quòd Spiritus Sancti dicatur Filius, contradices S. Gregorio Nisseno, expressè docenti: Spiritum quidem Sanctum esse Filij, non tamen è conuerso; nec enim Filius dicitur Sancti Spiritus:) Ergo non aliud restat, nisi vt Filius tanquam spirans, referatur ad spiratum: & Spiritus ad Filium tanquam ad spiratorem. Spiritus enim spiranti, & passiua spiratio actiuæ spirationi respondet. Vnde Sanctus Athanasius in citata Epist. ad Serapionem, Spiritum vocat, Filij (πνοὴν) halitum: (vel) vt vertit Bessarion, spirationem.

Quartus testis est, Sanctus Gregorius Thaumaturgus: hic in expositione Fidei, (quam eum per reuelationem, à Sancto Ioanne Euangelista, hortante Beatissima Deipara accepisse, testatur Sanctus Gregorius Nissenus in eius vita, & S. Antiochus Presbyter Hierosolymitanus: Homilia inserta Tomo 2. Bibliothecæ, sic ait. *Vnus est Deus Pater Verbi viuentis: is Pater Filij Vnigeniti: Vnus Dominus, solus ex solo: Deus de Deo &c. Vnus Spiritus Sanctus ex Deo existentiam habens: & per Filium* πεφηνὼς *id est editus;* vel (vt alij vertunt) *manifestatus, scilicet hominibus: imago Filij, perfecti perfecta: Sanctificationis largitor.* Idem in altera expositione Fidei, quæ κατὰ μέρος dicitur, (præter ea quæ ex eo, in Quæsito primo; loco 7. citaui) *Fol.*

363. ita

363. ita loquitur. *Sicut Pater Filium misit: ita Filius Spiritum Sanctum mittit.* Et infra. *Principiũ, inquit, Domini est Pater, qui ex æternitate eum genuit; & Dominus est prototypus Spiritus Sancti.* Ab hoc S. Patre, plerosque modos loquendi de Spiritu Sancto, sumpsêre alij SS. Patres. Ab eo didicere: Filiũ esse Prototypum Spiritus Sancti: & Spiritum S. esse imaginem Filij: quomodo eum appellant S. Athanasius, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Damascenus, S. Basilius, S. Epiphanius, & alij: atque ideo cùm Prototypus, in Diuinis, ea sola persona dici posit, quæ suam imaginem producit: (cùm alia asignari nequeat causa, quare Spiritus Sanctus non posit dici Prototypus Patris & Filij: & Pater vel Filius imago Spiritus Sancti; nisi quòd nec Pater, nec Filius à Spiritu Sancto producantur:) eo ipso S. Thaumaturgus profitetur; Filium esse productorem Spiritus Sancti: quod eum appellat eiusdem Prototypum. Ab eodem didicêre: Solum Verbum esse ex solo: quâ phrasi vsi sunt vt vidimus multi: quibus addo S. Basilium Lib. 4. contra Eunomium *Folio 776. Vnigenitus est Filius. Quia solus de solo generatur.* Et S. Epiphanium hæresi 36. *Fol. 228. Pater generando non est priuatus essentia sua, neque ipsius qui genitus est solus ex solo; & Sanctus ipsius Spiritus.* Non dicitur hîc solus Spiritus ex solo. Imò potiùs hæresi 69. *Fol. 380.* dicitur: *Solus Spiritus est, qui de Patre procedit: & ex Filio accipit.* Addo & S. Maximum in Dialogo cum Anomæo: citato à Gennadio Patriarcha, in responso dato ad Encyclicam Ephesij. *Quandoquidem (inquit) Solus ex Solo Filius &c.* Hæc prolixiùs retuli: primò ad refellenda Ephesij verba: qui cùm inferre vellet ex verbis illis; *Qui à Patre procedit:* Spiritum Sanctum à solo Patre procedere; hoc vtebatur argumento. *Cùm dicitur Filius ex Patre natus ante omnia secula, nunquid addit quispiam ex solo? & tamen hoc intelligimus, & si quando opus fuerit exprimimus.* Vtinam potiùs è citatis Sanctis Patribus, quàm ex Palama, vel Cabasilla, fidei dogmata discere voluisset; facile reperisset, etiam plura, quàm citauerim testimonia: quibus à SS. Patribus Filius dicitur *Solus ex Solo:* cùm tamen de Spiritu Sancto nullibi legatur quòd sit de Solo. Secundò: vt veritatis studiosæ mentes considerent, & inquirant: cur nullibi Spiritus Sanctus dictus sit *ex Solo:* cùm tamen magna & frequens fuerit occasio huius alicubi exprimendæ propositionis; nam de Filio nemo vnquam dubitauit: quòd fuerit ex solo Patre: at verò Spiritum Sanctum Eunomiani & Ariomanitæ dicebant esse à solo Filio. Si ergo verum esset, Spiritum Sanctum procedere à solo Patre; vt verum est, Filium ex solo eo procedere; non neglexissent SS. Patres, alicubi dicere, non solum Filium, sed & Spiritum Sanctum esse ex solo. Quod cum non fecerint, sed potiùs apertè docuerint;

solum Filium esse ex solo Patre; non nisi summâ pertinaciâ, & cæcitate defenditur: Spiritum Sanctum esse ex solo Patre.

Ab eodem Sancto Patre, didicêre SS. Patres phrasim illam de Spiritu Sancto: vt per Filium dicatur πεφηνῶς: (id est vt communiter vertitur manifestatus:) vel potiùs editus, prodiens, existens, emanans: vt ex Lexico Roberti Constantini, & Henrici Stephani explicatione, verti posse colligitur. Vnde cùm Sanctus Gregorius Nissenus, Lib. contra Eunomium, citato à Bessarione in Orat. dogmatica ad Synodum Orientalem, ait; Spiritum Sanctum per hoc à Filio distingui, quòd ex Patre non μονογενῶς id est non μόνος ἐκ μόνου subsistat: & quòd per ipsum Filium manifestetur: significatur ab eo Spiritus Sancti à Patre, per Filium, æterna processio. Stringere enim τὸ πεφηνέναι ad temporalem mundo factam manifestationem non conuenit: quia SS. Patres Græci, non raro dicunt: Spiritum Sanctum dici Filij, quod per Filium sit πεφηνῶς: quo supposito; si Vox πεφηνῶς significaret temporalem manifestationem, sequeretur vel Spiritum Sanctum non fuisse ab æterno, Spiritum Filij: sed tum primùm eius esse coepisse; cùm per eum est mundo manifestatus: vel SS. Patres irrationabiliter esse ratiocinatos. Accedit quod Sanctus Gregorius dicat Spiritum Sanctum à Filio distingui per τὸ πεφηνέναι. Quare cùm commune id esse Spiritui Sancto esse non possit; per quod ab eo distinguitur Filius; & cùm manifestatio temporalis ad extra, sit Patri & Filio (vt omnis actio ad extra) communis; non potest per hanc manifestationem, distinctiuam Filij à Spiritu Sancto, intelligi manifestatio temporalis, sed interna & æterna. Confirmatur: quia Sanctus Basil. Homilia de Spiritu Sancto *Fol. 291.* ait. *Spiritus Sanctus nihil in seipso aduentitium, habet: sed omnia ab æterno possidens, vt Spiritus Dei:* καὶ ἐξ αὐτοῦ πεφηνῶς. (vt vertit ibi interpres) *existens*. Neque obstat quòd Sanctus Gregorius Thaumaturgus dixerit; Spiritum Sanctum hominibus manifestari per Filium, quia (vt benè aduertit Bessario) temporalis manifestatio non repugnat æternæ: sed eam supponit: quod fortasis facit vt τὸ πεφηνῶς tam significet manifestationem internam, quàm externam. Quanquam ego multis authoritatibus inducor: vt existimem, vocem hanc πεφηνῶς apud SS. PP. potiùs significare editum, existentem, emanantem, quàm manifestatum. Certè S. Cyrillus Alexandrinus, passim hanc vocem vsurpat ad explicandam æterni Verbi productionem. Aliqua afferre suffecerit. Lib. 1. cont. Nestorium Cap. 8. dicitur *Filius ex Deo* πεφηνῶς, *Homo factus*. & Lib. 5. circa medium ait. *Humiliauit semetipsum ad exinanitionem se deijciens, quamuis ille Vnigenitus Deus, ex natura esset; & ex Deo Patre* πεφηνῶς. Et Lib. de Recta Fide ad Theodosium

dosium Imperatorem Num. 35. dicitur. *Quicunque Verbum ex Deo natum* ἐκ θεοῦ πεφηνότος λόγον subsistentia spoliant, mendacium putidissimum effutiunt.

Hoc ipsum significatur voce ἐκλάμψας, apud Proclum Constantinopolitanum Patriarcham, & S. Gregorium Nissenum Epist: de differentia essentiæ & Hypostasis *Fol. 463.* & sæpè eiusmodi voces vsurpantur à SS. PP. qui scripserunt tempore Arrianorum abutentium voce generationis : vt ideo maluerint SS. PP. vti vocib⁹ expressiuis talis processionis, qualis est luminis de lumine. Quod cum ita sit; ex plurib⁹ allatis capitib⁹ constat: Sanctum Gregorium Thaumaturgum docuisse: Spiritum Sanctum procedere à Filio : vt imaginem á prototypo : per eumque esse manifestatum : vel potiùs ortum, editum, existentem, emanantem.

Quintus testis esto, Sanctus Ioannes Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus : qui in Commentario Capitis 3. Episto. ad Ephesios sic ait, *Deus dedit Filium suum pacis & induciarum pignus : & Spiritum Sanctum qui ex ipso est.* Et homilia de Incarnatione Domini : *Christus nobis dedit Spiritum Sanctum qui ex ipso est : assumpsitque corpus nostrum.* Clarius id docuit in vtraque expositione Symboli Apostolici Tomo 5. Editi. Venetæ, ante annos 97. editæ, & in Editi : Parisiensi. In prima ; verba eius sunt. *est Spiritus Sanctus ex Patre Filioque procedens, qui diuidit propria dona singulis prout vult.* In Secunda verò ; *Istum Spiritum Sanctum dicimus Patri & Filio esse coæqualem , & procedentem de Patre & Filio.*

Sextus testis sit, S. Tharasius item Patriarcha Constantinopolitanus, qui in Epistola ad Episcopos & Sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, & S. Ciuitatis ; ait : *Se credere in Spiritum Sanctum qui ex Patre per Filium procedit : ipseque Deus esse cognoscitur.*

Septimus testis sit, Sanctus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus : cuius Cathedræ occupandæ gratiâ Photius Schismatis vexillum extulit. Hic in sua fidei Confessione, professus est : Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere ; vt patet ex Actis Concilij octaui contra Photium congregati : è Bibliotheca Bauarica, à R. P. Mathæo Radero Societatis IESV editis, & Latinitate donatis. Eius S. Patriarchæ authoritatem cùm magno Viro cuidam Kiiouiæ obiecissem, negauit is eum, esse Sanctum. At in hoc suam prodidit vel Menologij Græci imperitiam : vel maleuolentiam : nolens, solius Catholicæ veritatis odio, eum agnoscere Sanctum, qui Orientalium Sanctorum fastis, legitur inscriptus die 23. Octobris.

Octauus testis est, Sanctus Maximus Cænobiarcha & Martyr, qui exponens quid sibi velit illud Zachariæ Prophetæ aureum candelabrum, & quod

ſupra illud; inter alia, ait: *Spiritus Sanctus quemadmodum naturâ ſecundùm eſſentiam Dei & Patris eſt; ita & Filij ſecundùm eſſentiam eſt; tanquam ex Patre eſſentialiter, per Filium, ineffabiliter natum, procedens.* Aduertendum hîc: præter S. Martyris verba; quibus apertè profitetur; Spiritū Sanctum procedere à Patre per Filiū; ipſum eiusdem diſcurſum, multum ad propoſitum facere. Aſsignat enim hîc Sanctus Pater rationem quare Spiritus Sanctus ita ſit ſecundum eſſentiam Filij, vt eſt Patris: quia ſcilicet ex Patre eſſentialiter per Filiū, ἐκπορεύεται, procedit. Aduertendum ſecundò: excludi hîc Photianorum effugia: cùm enim dicitur eſſentialiter per Filium procedere; atque ideò, eſſe naturâ, (non dono, non beneficio, non beneplacito) ſecundùm eſſentiam Filij, vt eſt Patris; non poteſt explicari per actionem ad extra ſine manifeſto errore. Cùm verò dicitur, ἐκπορεύεται, non poteſt dici per τὸ διὰ ſignificari Cum: ſenſus enim eſſet: quòd Spiritus Sanctus cum Filio ſpiretur, vel producatur ἐκπορευτῶς: quod falſum eſt: cùm ita Spiritui Sancto approprietur ἐκπόρευσις; vt Filio generatio.

Nonus teſtis eſt, Philo Carpathiorum Epiſcopus: qui in vita S. Epiphanij vocatur Vir Sanctus. Is Tomo 4. Bibliothecæ in Caput 1. Cantici Canticorum ita ſcribit *Fol. 560. Os Dei Patris eſt Filius: propterea cùm & ipſe ſit Deus, æqualis naturâ Patri; Verbum appellatur: quia quæcunque vult Pater, per eundem Filium loquitur & creat: vnâ cum Diuino illo Spiritu, qui à Patre Filioque procedit.*

Decimus eſt, Apollinarius in Catena Græcorum Patrum interpretantium Euangelij S. Ioannis Caput 16. & illa verba, ***de meo accipiet***: *Spiritus (inquit) energiâ & doctrinâ in meam* (Filius loqui inducitur) *cedet gloriam: quia à me Spiritus procedit:* (vel ad literam ὁρμᾶται) *progreditur: vel ortum trahit.*

Vndecimus eſt, Ammonius: qui in eadem Catena in Cap. 20. S. Ioannis in illa verba ***Inſufflauit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum***, ita ſcribit. *Quòd Filius inſufflando Spiritum præbuerit; oſtendit ſibi conſubſtantialem eſſe: & minime alienum, vt qui per eum procedat ex Patre.*

Duodecimus eſt, Leo Conſtantinopolitanus Imperator: ob ſublimitatem ſapientiæ dictus Philoſophus: hic in opere de Fidei Chriſtianæ veritate, ad Omarum Regem Saracenorum, conſcripto, & inſerto Supplemento Bibliothecæ *Fol. 243.* ita ſcribit. *Moiſi dixit Deus* ***Ego ſum Dominus Deus tuus***, *Creator tuus, lumen de lumine, Verbum de Patre, ex quibus Spiritus Sanctus procedit.*

Decimus

Decimus tertius est, S. Theophanes: cuius hymni in Græcis Ecclesijs canuntur. Hic (apud Gennadium) Ode 6. in die Pentecostes cani solita ait. *Tu flumen Deitatis ex Patre per Filium procedens.*

Decimus quartus, Simeon Metaphrastes alijs dictus Logothetes, qui in Græcis plerumque legitur Ecclesijs: in Vita S. Dionisij Areopagitæ, ita scribens: *Meus ad cælos euehitur Christus: & Patriam redit in Sedem: & Spiritum qui ab illo procedit, (ἐκπορευόμενον) ad gentes infideles instituendas, mittit in discipulos.*

Decimus quintus, Sanctus Philotheus Patriarcha Constantinopolitanus in Euchologia Vespertina pro Festo Pentecostes in Libris Sclauonicis ita loquitur: *Spiritus veritatis, Spiritus Principalis, qui à Paterna Hypostasi, & à Diuino ore eius, compersonaliter (Sohypostatnie) spiraris.* Vbi per os Dei, æquè ac apud Sanctum Anastasium, aliosque PP. supra citatos, Filium intelligi, manifestum est.

Hactenus allati sunt testes: qui ex Constantinopolitana Patriarchia, clarioribus verbis professi sunt, Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio: vel per Filium. Non erit, nisi fallor, otiosum, etiam quosdam adducere: qui id videntur, verbis licet obscurioribus docuisse. Ex his, primo loco pono Achaiæ Clericos, vitæ S. Andreæ scriptores, qui se à S. Andreâ edoctos scribunt: *vt credant in Spiritum Sanctum à Patre procedentem: & in Filio permanentem: vt ostendatur; vnus Spiritus esse in Patre & Filio: & hoc esse vnigenitum Filium; quod est ille qui genuit. Hanc fidem didicimus à S. Andrea Apostolo Domini nostri Iesu Christi.* Et quidem, si verum est, quod scribit eruditissimus Cardinalis Baronius, hæc verba (in Filio permanentem deesse à vetustissimis codicibus Manuscriptis Græcis, & si eorum loco, sunt hæc; *vt credant in Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedentem:* quod quidem verbis consequentibus admodum cohærere videtur: *vt ostendatur Spiritus esse in Patre & Filio: & hoc esse vnigenitum Filium, quod est ille qui genuit:*) irrefragabile testimonium est veritatis, quam tuemur. Quia tamen Græci, & Rossi mordicus tuentur hæc verba; *in Filio permanentem & quiescentem*; conabor ostendere, verba hæc, etiam ita vti volunt aduersarij, lecta; esse testimonium Processionis Spiritus Sancti à Filio.

Sic igitur argumentor, primò: Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio sed à solo Patre; impossibile esset Spiritum Sanctum permanere in Filio. Atqui permanet: Ergo & procedit. Sequelam Maioris probo. Si Spiritus Sanctus procederet à solo Patre, non posset permanere in Filio, nisi transiret à Patre in Filium: sed Spiritus Sanctus non potest transire à Patre in Filium: Ergo si Spiritus Sanctus procederet à solo Patre non posset per-

manere in Filio. Maior videtur clara; neque aliter est perceptibile: quomodo Spiritus Sanctus procedens à solo Patre, posit esse in Filio, nisi in eum transeat ex Patre. Perspicuitatis tamen gratia; addo probationem. Vel communicatur per generonnem Filio simul cum essentia, esse Spiritus Sancti; vel non: si communicatur; Ergo prius supponitur spiratus Spiritus Sanctus; quàm genitus Filius; quòd S. Gregorio, S. Basilio, S. Epiphanio alijsq; repugnat Sanctis Patribus, qui grauiter eos damnant: qui Spiritum Sanctum dicunt priorem Filio, & Patre; quales essent; qui Spiritum Sanctum dicerent; prius ordine produci, & tum demum generari Filium: qui enim, Spiritum Sanctum supponit ante genitum Filium, supponit eundem, ante generantem Patrem: cùm Patrem esse absque Filio, sit imperceptibile. Si non; Ergo non potest concipi Spiritus Sanctus alio modo esse in Filio, nisi à spirante Patre, transeat in Filium.

Confirmatur. Quod transit à termino à quo, ad terminum ad quem non potest esse in termino ad quem, nisi ad eum transeat à termino à quo: Spiritus Sanctus à solo Patre spiratus, (iuxta Photianos) habet se tanquam id quod transit à termino à quo; nempe à principio vel causa, quæ est Pater; ad terminum ad quem, qui est Filius. Ergo Spiritus Sanctus non potest esse in Filio, nisi in eum transeat à Patre. Iam quod nequeat Spiritus Sanctus transire à Patre in Filium; probo. Non potest Spiritus Sanctus transire à Patre in Filium; nisi deserto Patre: (quia impossibile est, aliquid transire à termino à quo ad terminum ad quem; nisi deserto termino à quo:) sed impossibile est, vt Spiritus Sanctus deserat Patrem. Ergo impossibile est, vt Spiritus Sanctus transeat à Patre in Filium. Minor; est dogma fidei: passim à S. Patribus affirmatum. Ergo cum impossibile sit, Patrem à Spiritu S. deseri, impossibile est eundem in Filium transire; vt in eo quiescat, vel permaneat. Quærenda ergo alia ratio est eiusdem: per quam saluetur Spiritus Sancti permanentia in Filio, cum inseparabilitate à Patre.

Argumentor Secundò; Impossibile est, actionis immanentis terminum recipi in aliquo alio, quàm in eo à quo producitur: (cùm hæc sit definitio, actionis immanentis: & distinctio ab actione transeunte:) Spiratio, est actio immanens. Ergo eius terminum, qui est Spiritus Sanctus, impossibile est esse in aliquo, à quo non producitur. Si ergo Spiritus Sanctus non spiratur à Filio: impossibile est eum esse in Filio.

Argumentor tertiò: ex verbis consequentibus. Ideo dicitur Spiritus Sanctus permanere in Filio; *vt pateat: quòd idem sit, Spiritus in Patre & Filio: & quòd hoc ipsum sit vnigenitus Filius, quod genitor Pater.* Atqui neutrum horum pateret; nisi ita in Filio permaneret Spiritus Sanctus, vt permanet in Patre;

in Patre: nempe vt ab vtroque procederet: & in vtroque, tanquam vnius actionis immanentis terminus, permaneret. Ergo vt pateat quòd dictũ est; debet supponi, Spiritum Sanctum ab vtroque procedere: & vtrique immanere. Sic enim verè vnus vtriusque Spiritus est; cùm vnus ab vtroque spiratur. Sic; hoc ipsum est vnigenitus, quod genitor; quia vti genitor est Spirator, ita est vnigenitus.

Ne autem hoc videatur commentum esse meum; sisto tres, qui id ante annos compures, verbis, quàm ego attulerim, clarioribus expresserint.

Primus est: Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis, qui floruit ante annum 906. in illa psalmi 44. verba, *propterea vnxit te Deus*, scribens: eaque non de Filio quà Deo, sed quâ homine, scripta esse probans; Tomo 9. Bibl. parte secunda *Fol. 1244.* ita loquitur.

Non potuit Diuinitas Filij Spiritum Sanctum accipere: cùm ipse Spiritus Sanctus sic procedat à Filio. sicut procedit à Patre: & sic detur à Filio, vt detur à Patre. Et infra, *Nullibi dubium est quin totus Spiritus Sanctus de Patre procedat & Filio, & totus in Patre maneat & Filio: quia sic manet vt procedat: sic procedit vt maneat.*

Secundus est Pelegrinus vel Peregrinus: Episcopus Laurensis: qui vixit circa annum 910. id est ante annos, prope 700. hic Tomo 10. Bibl. in Symbolo fidei, ita profitetur. *Credo in Spiritum Sanctum, vnum, & coæqualem, cnm Deo Patre & Filio, esse Deum: vnius substantiæ: nec tamen genitum, vel creatum: sed à Patre Filioque procedentem: amborum esse Spiritum.*

Nec enim procedit de Patre in Filium; nec de Filio tantùm procedit ad Sanctificandam creaturam; sed ab vtroque procedere monstratur: quia charitas siue sanctitas amborum esse cognoscitur: & nec Patris tantùm; nec Filij tantùm, sed simul Patris & Filij Spiritus dicitur.

Tertius Guitmundus Archiepiscopus Auersanus qui vixit temporibus Cerullarij. Hic in Libro de Sanctissima Trinitate Tomo 11. Bibl. *Fol. 373.* ita scribit. *Constat ergo: quòd à Patre procedit Amor ad Filium: & à Filio procedit ad Patrem. Iste amor est Spiritus Sanctus: qui ab vtroque ita procedit; vt semper in vtroque maneat: & ita semper in vtroque manet; vt ab vtroque semper procedat. Coæternus Patri & Filio est Spiritus Sanctus, quia amborum vnam substantiam, ipse Amor inseparabilis, semper vniuit.* Eum nisi teneant Photiani sensum, locutionis illius; *Spiritus Sanctus in Filio permanet vel quiescit*; nunquam poterunt permanentiam Spiritus Sancti in Filio, componere, cum eiusdem inseparabilitate & intransferibilitate, à Patre. Nunquam item explicare poterunt; quâ ratione Spiritus Sanctus Filio non adueniat ἔξωθεν; nec sit ei ξένος, (iuxta frequentem Sancti Cyrilli Ale-

xandrini phrasim) si non est à Filio ab intra; sed ei aduenit, Spiratus à Patre. Nunquam item ostendent Spiritum Sanctum ita omnino esse Filij vt est Patris: si non secundùm eundem modum, erit vtriusque: vel si in Patre erit vt ab eo Spiratus: in Filio verò vt ei ἔξωθεν ab alio adueniens. At nos, in sensu, à Citatis Patribus adducto, facilè explicamus: qua ratione Spiritus Sanctus permanet in Filio; absque eo quod transeat à Patre in Filium. Cùm enim, dicimus: Spiritum Sanctum ab vtroque, vt ab vno spiratore spirari; tam facile intelligitur; Spiritum Sanctum permanere in Patre & Filio; vt intelligitur, aliqua intellectio, in eo permanere intellectu, à quo producta est: & aliqua volitio, in ea permanere voluntate; vel potiùs, animâ; à quâ elicita est. Facilè item explicamus: *quomodo vnus sit vtriusque Spiritus Sanctus*: cùm dicimus vnum eandemque ab vtroque, vt ab vno Spiratore spirari: *& Filium idem esse quod est Pater*: cùm, vel ea ipsa de causa, Filiũ agnoscimus Spiratorem eundẽ esse cum Patre; quia omnia quæcunque habet Pater Filij sunt: vel quia Filius, est vnum cum Patre.

In hoc sensu, explicata illa verba, efficaciter confirmant Catholicæ Ecclesiæ dogma. Vnde qui eis vtuntur; (quales inter plurimos sunt, S. Germanus, ex Ciziceno Episcopo, Patriarcha Constantinopolitanus: (Tomo 8. Bibliothecæ, in Theoria rerum Ecclesiasticarum) & Andronicus Commenus ex Imperatorum Orientalium familia: (libro contra Iudæos, inserto Tomo 14. Bibl. Cap. 10.) testibus Catholicæ veritatis connumerari debent.

Eandem processionem Spiritus Sancti à Patre & Filio, docuisse videtur Synesius Episcopus Cyrenes, hymno quarto num. 100. cùm Spiritum Sanctum vocat centrum genitoris: & centrum Filij: quod repetitur hymno 5. N. 65. & cùm hymno 3. Num. 228. vocat Spiritum Sanctum, terminum naturarum generantis & genitæ. Idem docere censendus est, cùm hymno Sexto, vocat Filium solum ex Solo Patre θορόντα, productum. Centrum Patris & Filij, non aliter potest intelligi Spiritus Sanctus, nisi quòd ad eius productionem, vis spiratiua, vtrique insita, tanquam ad vnum eundemque terminum, tendat. Cùm verò Spiritus Sanctus, dicitur terminus naturarum generantis & genitæ; innuitur: quòd, ita Spiritus Sanctus quiescat in Filio: vt non iam ad ampliorem terminum, vis spiratiua, naturæ generanti & genitæ insita, se extendat. Similis loquendi modus est: antiquissimi Patris, Athenagoræ, Philosophi Atheniensis, in Legatione pro Christianis ad Imperatores Romanos scripta: Tomo secundo Bibli. *Fol. 131. G. dicimus Spiritum Sanctum à Deo emanare: ad ipsum reflecti: vt emissi à Sole radij reciprocant.* Videtur omnino id dicere: Amorem

Patris, ter-

Patris, terminatum ad Filium, reciproco Filij amore, in Patrem reflecti; siue, quod idem est; vnum eundemque amorem, qui est Spiritus Sanctus, à Patre in Filium, à Filio in Patrem tendere: atque adeo, vnica voluntatis communis operatione, ab vtroque produci Clariùs hoc ipsum exprimit *Fol. 136. C. Filius est mens Patris; Verbum; & Sapientia: & (ab eodem) Spiritus, vt lumen ab igne profluit.*

Idem innuit Sanctus Dionysius Areopagita in epistola ad Titum: *In Dei* (inquit) *generatione, quæ omnem essentiam superat; ventrem Dei corporis instar, Deumque generantem, effingimus: & Verbum in àëra fusum ex viri corde, quod illud eructat: Spiritum ex Ore prodeuntem.* Quare cùm Oris nomine, alij SS. Patres, intelligant Vnigenitum; verisimile est, eum quoque censuisse, Spiritum Sanctum, & Spiritum Oris Dei, quod Filius sit; ex Filio procedere.

Eiusdem fidei, de processione Spiritus Sancti, fuisse; duos clarissimos Sancti Gregorij Theologi interpretes; Nicetam Metropolitam Heracleensem, & Eliam Metropolitam Cretensem, existimo. Nicetam quidem: quia in Commentario Orat. *51. N. 14.* Spiritum Sanctum vocat imaginem Filij. Fatetur autem idem, in Commentario Orat. *42.* imaginem in Diuinis, supponere processionem à prototypo. *Filius (inquit) imago Patris dicitur, quia ex Patre est, non autem contra Pater ex ipso.* Eliam verò: tùm ob ea, quæ in Sancto Gregorio Nazianzeno citatus, docet: tum præcipuè in Orat. *23.* ad Heronem, Num: 28. vbi dicit: *Spiritus Sanctus in propria manens hyposta, nunquam ab eo à quo procedit, separatur.* Vbi nodus plane Gordius, (quem sæpius inculco) obijcitur aduersarijs: vel enim Spiritus Sanctus ab æterno est in Filio: vel non est: dici sine errore non potest secundum: si verò dicant primum: quæretur ab eis; quomodo Spiritus Sanctus est in Filio: vel enim est per transitum à Patre in Filium: & hoc non: quia Spiritus Sanctus est inseparabilis ab eo, à quo procedit: quomodo ergo transiret in eum à quo non procederet? vel esset in Filio per generationem: & sic procederet à Patre; in Filio verò gigneretur; quod blasphemum est: vel esset in Filio, vt in Patre, per vnicam ab vtroque spirationem: & hæc Catholica veritas, Photiano errori è diametro aduersa est.

Hîc iam omnes Constantinopolitanæ Ecclesiæ Filios compello: stante contra se tanta testium nube, quid in nouissimo die, iusto iudici Deo responsuri sint? quam excusationem reiectæ Catholicæ veritatis allaturi? quomodo vel intuitū tot Sanctorū Patrum laturi sint? qui reiecto expressè ab eis tradito, & monumentis literarum ad posteros transmisso dogmate; Spiritum Sanctum procedere à Filio, negant: simul & semel, tam in

Patrem quàm in Filium grauiter delinquentes : eò quòd dicere audeant, neque Patrem, æqualem sibi in omnibus, generare Filium : neque Filium, totam eam quam habeat Pater, cum vi spiratiua habere essentiam. Possumus (*inquiunt*) Sanctorum Patrum locutiones explicare. At ego contra vnum verbum. An etiam certi estis, vestras explicationes à Deo & Sanctis eius, pro legitimis receptum iri ? quidsi illæ reijcientur, iuxta atque aliæ, quas heterodoxi attulerunt vnquam, vel etiamnum afferunt ? Ego quidem facilè ostendere possum, nullam eorum explicationem esse sufficientem.

Nam primò : quòd Ephesius eludit loca illa, quibus dicitur, Spiritus Sanctus à Patre & Filio ; ob non additam in Græco vocem *EST* ; suam per hæc, vel maleuolentiam, vel insignem prodit ignorantiam. Illam quidem : si dissimulatâ cognita veritate, cuicuimodi fuco, argumentanti imponere conatus est : hanc verò ; si verè nesciuit ; Græcæ elegantiæ idiotismum esse, vocem hanc *EST*, subintelligere : Testimonia obuia occurunt in Scriptura, & Sanctis Patribus. In Epistola prima ad Corynthios *C.* 2. vbi dicitur ; non accepimus Spiritum huiusmodi, sed Spiritum qui ex Deo est ; in Græco habes ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ : non addito Est. In aliarũ epistolarum initio, & fine, plerumque dicitur : Gratia vobiscum : Gratia Dei cum omnibus vobis : Gratia & pax vobiscum : nullo addito verbo : sed subintellecto sit : vel est. Eodem modo loquendi, sæpiùs vtitur, Sanctus Athanasius, in Epistolis ad Serapionem : Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Dialogis ad Hermiam : & S. Basilius in libris contra Eunomium : ad quos lectorem remitto.

Idem, vt eluderet testimonia, quibus dicitur, Spiritus Sanctus accipere à Filio ; negabat, Spiritum Sanctum accipere à Filio esse : sed tantùm sermones, quos discipulis annunciaret : in quo inprimis contradixit Sancto Basilio : qui loco minime controuerso ; docuit : (vt dixi supra :) quòd Filius assumat Spiritũ Sanctũ in communionem suæ & Patris essentiæ : loco verò ab eo non admisso, sed satis clarè defenso, expressè docet, Spiritum Sanctum à Filio habere esse : ideoq; Filium Spiritui Sancto, τάξει καὶ ἀξιώματι priorem. Contradixit Sancto Athanasio : qui expressè professus est Spiritum Sanctum habere à Verbo, quidquid habet. Contradixit Sancto Cyrillo Alexandrino, pluribus locis docenti, quòd Spiritus Sanctus eomnem vim, & operationem, & naturam, habeat à Filio : deinde grauem intulit Spiritui Sancto iniuriã. Quid enim est hoc, quòd accipiat à Filio sermones ? nunquid is voluit Spiritum Sanctum esse, Filij discipulum ? quomodo aliquid accipere potest Spiritus Sanctus, nisi per originem ? à quo

alio ali-

alio aliquid accipere poteſt, quàm à ſuo principio? deníque ſermones hos, quos iſte vult, accipere Spiritum Sanctum à Filio, vel accepit Spiritus Sanctus ab æterno, vel non: ſi Primum; Ergo accepit per originem. Quidquid enim ab æterno accepit Spiritus Sanctus, accepit per originem. Si Secundum; Ergo Spiritus Sanctus aliquid accepit in tempore, quod ante non habuit: contra expreſſum dogma S. Baſilij Magni homilia de Spiritu Sancto: inſerta Tomo 2. *Fol. 291. Spiritus Sanctus nihil ſibi acquiſitum habens eſt; ſed æternè habet omnia: vt Dei Spiritus, & ex eo manans.*

Kiouienſis Theologiæ Profeſſor, ad euertenda teſtimonia, à Catholicis, produci ſolita, triplex ſuis Auditoribus præſcripſit medium. Primò: ne ea quæ dicuntur ad extra, in tempore; diſpenſatiuè ſumantur pro ijs, quæ dicuntur ad intra, in æternitate, & naturaliter. Secundò: ne quæ dicuntur ob còëſſentialitatẽ perſonarũ, trahantur ad diſcretionẽ perſonarũ. Tertiò vt nominis, Spiritus acceptio òbſeruetur: ne dona pro perſonis, & perſona pro donis accipiantur. Denique ſubdit: proceſsionem Spiritus Sancti à Filio, nullum habere fundamentum, in Scriptura Sacra, Concilijs, SS. Patribus. Quàm verè id vltimò dictum eſt; iudica iuſte lector, qui hæc, quæ præmiſi, legeris. Aliter profectò iudicarunt Græci in Synodo Florentina congregati: hi enim (vt ſcribit doctiſsimus Beſſario in epiſtola ad Alexium Laſcarim, Imperatorum Orientis conſanguineum:) cùm conuicti eſſent grauiſſimis probationibus, potuiſſe canonicè addi Symbolo, vocem Filioq; : territi continuò in patriam redire cogitarunt: eâ maxime de causâ, quòd faterentur, ſibi à Latinis multorum Sanctorum Patrum ſententias exhiberi poſſe, quib' ῥητῶς doceretur, Spiritũ Sanctũ ex Patre Filioq; procedere; vixquè hoc turpis fugæ conſilium, authoritate Imperatoris diſcuſſum eſt. Hæc ille. Ego Calumniam Catholico dogmati illatam, re malui, (tot Scripturarum, Conciliorum, SS. Patrum Orientalium productis teſtimonijs,) quam verbis refellere. Neque verendum eſt: ne obiectæ à Profeſſore Kiouienſi nebulæ ſplendorem teſtium obſcurent. Teſtes Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani, tam clarè loquuntur: vt quemadmodum ſuis locis adnotaui, nullum eis ex aſsignatis effugium occurrere poſſit. Neque Conſtantinopolitanæ Patriarchiæ teſtimoniorum robur, obiectorum clypeorum ternio, facile retuderit.

Nam verba illa Sancti Baſilij: *Filius Spiritum Sanctum in ſuiipſius & Patris communionem aſſumit*: quomodo eluſeris? non medio primo; quia Spiritus Sanctus ab æterno aſſumitur in communionem Patris & Filij non in tempore: non ſecundo; nam aſſumens & aſſumptum, dicunt diſcretionem perſonarum: non tertiò; nam dona, ſunt creaturæ: dicere autem

 creatu-

creaturam aliquam assumi in communionem Patris & Filij ; hæreticum est.

Sic : cùm à S. Gregorio Nysseno dicitur : *Filius esse immediatè ex Primo : Spiritus verò Sanctus, non* προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου *sed per eum,* (διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου) *qui est ex primo* : omnia quoque Kiiouiensis Theologiæ effugia, euertuntur.

Agitur enim ibi : de Diuinarum personarum distinctione ; quas distingui docetur, per solam rationem τῆς αἰτίας : non ergo erit hîc recursus ad temporalia prædicata : non ad dona : (quæ enim eorum cum Filio collatio ?) neq; ad còëssentialitatem : quia hîc, explicat Sanctus hic Antistes, quid illud sit, in quo solo personæ Sanctissimæ Trinitatis, distinguantur.

Eodem modo alia testimonia, facile, quicunque voluerit, defenderit. Rudioribus tamen consulens, tribus Kiiouiensibus cuneis, tres oppono vniuersales cuneos.

Primus hic esto. Ad tollendam distinctionem ad extra & intra, quærendum est ab aduersarijs primò, ex quo Sancto Patre Græco didicerint, processionem Spiritus Sancti dari purè temporalem, & soli Filio propriam ? nam illa quæ in Patre est, supponit necessariò, processionem æternam. Quis eos docuit Spiritum Sanctum aliter esse Filij, aliter Patris : & aliter esse à Filio, aliter à Patre, licet vnus idemque vtriusque Spiritus sit ? vnde habent, quòd Pater nequeat esse largitor Spiritus Sanctus nisi eius sit principium : Filius verò, possit esse eiusdem largitor, etsi non sit eius principium ? Nobis certè vniuersaliter loquutus videtur S. Athanasius : vel aliquis alius Author disputationis, Orthodoxi cum Anomæo, *Spiritum Sanctum, non genitum dico : non habet enim generationis authorem : sed fontem sui : vt enim fons extrinsecus non gignit, quam fundit aquam : sed ex seipso inundans habet : ita & Deus fons Spiritus Sancti est, & largitor eius : non illum extrinsecus sumens, sed ex seipso profundens.* Iam cùm in Nycæna Synodo prima, Leontius, in Ephesina prima S. Cyrillus ; Filium esse fontem Spiritus Sancti, multiquè alij cum eo Sancti Patres, professi sint ; quærendum est ab aduersarijs : cur cùm Pater dicitur, Fons Spiritus Sancti, intelligitur ad intra & ad extra : cùm verò Filius dicitur Fons eiusdem, intelligitur solùm ad extra ? Cur item Pater vt sit largitor Spiritus Sancti, debet præsupponi, esse Fons ipsius ad intra ; Filius non item ? Cur denique, cùm Spiritus Sanctus dicitur à Patre profundi, cùm Pater dicitur fundere vel dare Spiritum Sanctum ex se ; intelligitur ad intra & ad extra : cùm verò de Filio eadem dicuntur, cur non significent idem ? quomodo Filius potest dare Spiritum Sanctum ex se ; (vt aliquoties loquitur

Sanctus

Sanctus Athanasius) nisi per originem eius substantialem & naturalem?

Secundò quærendum est: quid sibi velint hæ propositiones: *Spiritus Sanctus est, vel procedit, ad extra, à Filio: vel per Filium.* Et, si dicatur idem esse, ac mitti eum, & dari hominibus; inferatur hinc: quoniam ipsi dicunt Spiritum Sanctum mitti etiam à se, & dari; debere eos: quoque dicere: Spiritum Sanctum esse à se: vel procedere à se: vel per se: prout dicitur; esse ex Filio: esse ex ambobus: procedere à Patre & Filio: vel per Filium: & produci à Patre per se: quomodo à Sancto Damasceno, dicitur à Patre produci per Verbum. Non facilè hic extrudetur cuneus: cùm tamen in Catholicæ Ecclesiæ Theologia, id dictu facillimum sit: docente cum Sancto Basilio magno: quod ex Deo procedit, non procedere in tempore: etsi in tempore efficacia eius appareat: & processionem vel potiùs missionem ad extra, semper præsupponere vim principiatiuam in persona mittente: ideoquè nunquam dici Patrem mitti vel dari: quia est principium sine principio.

Ampliùs ita vrgeri possunt. Cùm dicitur, Spiritus Sanctus accipere ad extra à Filio: vel id quod accipit ad extra, est creatum; & ab ipso Spiritu Sancto distinctum; vel increatum & æternum: dici non potest primum: cùm in Deo quidquid est, necessariò debeat esse: si verò dicatur secundum; quærendum est: an illud quod accipit Spiritus Sanctus à Filio, perfectionem aliquam addat Spiritui Sancto? & an eam ipsam, habere nequeat Spiritus Sanctus à seipso? quomodo item, in ea datione, vel communicatione ad extra, habeat se Filius respectu Spiritus Sancti? an habeat aliquam rationem Principij, an ministri, per quem à Patre detur Spiritus Sanctus? an denique cooperatoris vel approbatoris? Quod vltimum, si dixerint; (vti dicere solent) inferendum est: dici posse & debere; etiam Patrem, mitti à Filio, & Spiritu Sancto: dari ab eisdem: procedere ab eisdem. Idque ita probandum. Ioan. 15. *Versu 25.* ait: Dominus IESVS: *Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus; & mansionem apud eum faciemus:*

Certum ergo est, ad eum qui seruat præcepta Christi, non solum Filium & Spiritum Sanctum, sed etiam Patrem venire: quo præsupposito, sic argumentor. Dicitis Spiritum Sanctum, ideo esse, procedere, &c. à Patre & Filio; vel ambobus; vel à Patre per Filium; quia Spiritus Sanctus venit ad nos, & docet nos, & dona nobis largitur, approbante Patre & Filio. Sed etiam, approbante Filio & Spiritu Sancto Pater venit ad nos: vt constat ex loco citato: docet nos: vt constat *Math. 16.* in reuelatione, S. Petro à Patre cælesti data: dona nobis largitur: vt constat ex initio epistolæ S.

Iacobi: Ergo, propter quam causam, dicitis Spiritum Sanctum esse à Filio ; procedere; scaturire; profundi ex Filio; propter eandem dicere debetis, Patrem esse: procedere: scaturire: profundi à Filio & Spiritu Sancto. Videbimus, an eorum cuneus, hoc cuneo non exibit abactus. Si quis obijciat S. Gregorium Thaumaturgum, vel S. Damascenum, dicere: Spiritum Sanctum manifestari hominibus; respondendum est cum Bessarione: vtrumque verum esse: Spiritum Sanctum manifestatum esse & hominibus ad extra: & πεφηνέναι id est, editum ad intra. Atque vt, cùm dicitur mitti, vel effundi à Patre; non negatur processio naturalis eiusdem à Patre; imò præsupponitur; ita cùm dicitur, mitti, vel effundi, vel manifestari per Filium; non negatur, quòd Filius, sit Spiritus Sancti fons; quòd Spiritus, sit à Veritate, (quæ est Filius,) substantialiter procedens; quòd à Filiò audiat; & accipiat esse, posse, & operari; quòd sit Spiritus Oris IESV; &c. immò hoc omnino supponitur. *A quo enim*, ait Sanctus Athanasius loco supra citato, *dari oportebat Spiritum Sanctum, nisi ab eo cuius est?*

Contra secundum cuneum, vnicum sufficit: vt quodcunque prædicatum, respectu Spiritus Sancti tribuatur ab eis Filio propter còëssentialitatem, hoc ipsum tribui debere Patri propter eandem probetur: v. g. Cùm nos arguimus sic: Quod, est de substantia Filij, procedit à Filio: Spiritus Sanctus est de substantia Filij: vt passim Sancti Patres testantur: Ergo Spiritus Sanctus procedit à Filio. Negant illi Maiorem: & explicant Minorem: Sanctos Patres, docuisse Spiritum Sanctum, esse de substantia Filij ob còëssentialitatem. Hoc audito pergendum est. Ideo Spiritus Sanctus dicitur (iuxta vos) esse de substantia Filij: quia est còëssentialis Filio: sed etiam Pater & Filius sunt coessentiales Spiritui Sancto. Ergo dici poterunt & debebunt, esse de substantia Spiritus Sancti. Addi poterit: Spiritum Sanctum non fore còëssentialem Filio, cùm eius essentiam habere nequeat, nisi per originem.

Contra tertium cuneum, obseruandus est verborum contextus, an sit applicabilis creaturæ: v. g. si ibi dicatur: vel probetur Spiritus Sanctus esse Deus: si Diuinis personis connumeretur: si dicatur diuisor & largitor donorum &c. videndum item; an illud quod dicitur de Filio, respectu Spiritus Sancti, dici possit de ipso Spiritu Sancto. Quidquid enim dicitur de Filio respectu donorum, vel cuiusque operationis ad extra, debet æqualiter dici de Spiritu Sancto. Quodsi aliquis, locum quendam Sancti Chrysostomi obijciat; dicentis: missionē non dici de Diuinitate: respondeatur ei; ex doctissimo & ingeniosissimo Manuele: S. Chrysostomum,

eo lo-

eo loco ita loquutum : propter hæreticos, qui ex missione, diuersitatem essentiarũ in Diuinis inferebant : at alibi nempe hom. 38. in Ioann; idem Sanctus docet : hæc verba, mittere & mitti, non propter aliud dici; nisi vt, τὴν αἰτίαν *sciamus : & in Sabellij morbum non incidamus.*

Vnica superest difficultas. Quare SS. Patres in explicatione processionis Spiritus Sancti à Filio, maluerint vti particula *PER*; quàm Particulis *EX*, vel Ab : quidque apud eos τὸ διὰ vel *PER* significet.

Ad primũ respondeo : eos id ideo fecisse : quia ita tempora & conditio hominum quibuscum versabantur, exigebant, Nusquam plures erant de Sanctissima Trinitate errores, quàm in Græcia. Nam temporibus, (vt alia omittam) S. Basilij, & S. vtriusque Gregorij, præter Arrianos, qui Poliarchici dicebantur, eò, quòd, cum Arrio, plures naturas diuinas distinguebant; erant Hypsistiani : qui cum Iudæis vnum Altissimum colebant : & Sanctissimæ Trinitatis personas non agnoscebant : erant Anarchici : quos Sanctus Gregorius Theologus Orat. 1. *Fol. 6.* vocat ironicè nimis orthodoxos : eò quòd, vt ibi interpretatur, *Elias, N. 7.* hac ratione Christum se eximiè colere censerent : quòd, eum esse aliud principium, principij expers, atque item Spiritum Sanctum, statuerent : erant item Anomæi & Eunomiani : qui Spiritum Sanctum, nullum ad Patrem ordinem dicere, & solius Filij creaturam esse docebant. Erant Semiarriani : qui Spiritum Sanctum negabant esse Deum : sed aliqui eorum, dicebant : eum esse creaturam : aliqui operationem : aliqui vim & facultatem : vt referunt interpretes S. Gregorij Orat. in Heronem : & Orat 37. de Spiritu Sancto. Sabelliani quoque nondum extincti erant : atq; ideo, necesse fuit, Sanctos Patres illius æui, cautissimè loqui : ne quæ hæreticis, scandali, daretur ansa.

Præterea inter ipsos Otthodoxos plurimi erant : verborum aucupes : ita vt de hoc conqueri debuerit S. Basilius homil. 29. contra calumniatores SS. Trinitatis. *Plurimi (inquit) præsentium, exploratores magis sunt, eorum quæ dicuntur, quàm discipuli eorum quæ docentur : & doctrina verbi, non requiritur ad ædificationem præsentium : sed ad calumniam insidiantium.* Atque hic circumstantiarum concursus fecit : vt SS. Patres abstinerent vocibus alibi, vsitatissimis. Nam cùm non solum Pneumatomachi, sed etiam aliqui Catholici, ægre ferrent Spiritum Sanctum, dici Deum; etsi eum esse Deum crederent; Sanctus Basilius (teste Sancto Gregorio Theologo in funebri laudatione ipsius) cùm de Spiritu Sancto loqueretur, Dei appellatione abstinebat : & ipse Sanctus Gregorius, Orat. 44. eos qui apud rudes Spiritum Sanctum apellabant Deum, vocabat imprudentes : vt pote qui infirmis oculis, & lacte adhuc egentibus, solidum cibum obtruderent.

Ijdem am-

Iidem ambo, à Catholicis, non exigebant: vt Spiritum Sanctum dicerent esse Deum; sed tantùm ne dicerent eum esse creaturam. Ita scribit Sanctus Basilius in epistola ad Tarsenses *Fol. 203. & 204. Quoniam (inquit) multorum se ora, contra Spiritum Sanctum aperuerunt; optimum factu esse dicimus: vt quantum in vobis est, blasphemorum numerum minuatis: & eos, qui Spiritum Sanctum negant esse creaturam, in communionem recipiatis: vt soli relinquantur blasphemi: atque ita vel pudore ad veritatem redigantur.* Sanctus vero Gregorius Orat. citata ait: *Vim Diuinitatis, & potentiam, nobis date: & nos vicissim Diuinitatis vocem, vobis concedemus. Naturam alijs vocibus confitemini: & vos vt infirmos curabimus. Turpe est, cùm animo bene valeatis, circa vocis sonum, minutos vos præbere; turpius autem nobis, eodem vitio teneri: & cùm anxiam vestram de minutis rebus contentionem damnemus, literarum minutias anxiè vrgere.* Ex eodem fonte fluxit: quòd ipsi SS. Patres, vt diuersos modos defendendæ fidei sequebantur, ita diuersos adhibebant loquendi modos. Sanct' Gregorius Theologus, abstinebat voce Paternitatis & Generationis: malebatque vti voce ingeniti: Sanctus vero Basilius, summè vocem ingeniti, reprehendebat: vt videre licet, Lib. 2. contra Eunom, à *Fol. 737.* & eandem Lib. 10. contra Eunom. *Fol. 703.* vocat primum elementum blasphemiarum: eandem validè impugnat, epistolâ 141. ad Cæsarienses: & alibi. Ab eadem Sanctus Athanasius, vsque adeo abhorruit, vt Dial. 2. *Fol.* 187. diceret. *Si Deus, Pater ingenitus dici posset; dici quoque debere atheum. Si quidem ita non habet Deum, vt non habet genitorem.* Si ergo tunc in Orientali Ecclesia, tanta fuit Sanctorum Patrum loquendi diuersitas; in eloquenda Spiritus Sancti Deitate, vel proprietatibus diuinis; haud mirum est, si in Græcia, vbi plurimi erant, de Spiritu Sancto errores, non eodem modo omnes loquerentur. Nam vt obstruerent os illis, qui tria principia ponebant in Diuinis, dicebant Spiritum Sanctum, procedere à Patre per Filium: eo ipso innuentes, non solum Spiritum Sanctum, sed & Filium, per quem procederet Spiritus Sanctus, ad Patrem, vt ad causam Anarchicam referri debere: sic, Eunomianos vt refellerent; & significarent; non à solo Filio, sed à Patre quoque (vt disertè loquitur S. Basilius, in fine libri secundi contra Eunom.) procedere; aiebant: Spiritum Sanctū esse, vel procedere à Deo per Filium: quo ipso modo loquendi, vtebantur contra Sabellianos: ad significandam personarum spirantium distinctionē, etsi, cum vna vi, & actione spiratiua. Censebant enim hanc particulam ἐξ, ex vsu loquentium, Causam Anarchicam & Procatarcticam significare: seu eam, quæ ab alterâ vim producendi non accepit: aduertebant enim; hanc voculam ἐξ, mentem sistere: neq; eam cogere,

cogere, ad vlterius procedendum: & Causam primam inquirendam: e contra videbant: particulam *PER*, alteram quandã personam inducere. & ad illam cogitandam mentem promouere: atque (vt loquitur Sanctus Basilius Lib. de Spiritu Sancto Cap. 8. & Sanctus Chrysostomus *homil. 53.* in Matthæum) ordinis ad πϱοκαταϱκτικὴν, vel πϱώτην αἰτίαν, confessionem esse: atque ideo malebant vti voce *PER*, quàm *EX*: & τὸ ἐξ ad supremam Causã (vt loquitur Sanctus Basilius Lib. de Spiritu Sancto *Fol. 226.*) accommodare: quamuis interea, τὸ διὰ τοῦ idem significare quod ἐξ, disertè profiterentur; Sanctus Athanasius: vel Sanctus Maximus Dial. 3. *Fol. 227.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus in primum Caput Ioannis: S. Chrysostomus homil citatâ: sed maximè omnium S. Basilius; verè militiæ Dei antesignanus (vt loquitur S. Gregorius Nyssenus:) toto lib. de Spiritu Sancto: vbi postquam Cap. 2. harum particularum distinctionem, ab hæreticis inuentam esse docuisset; reliquis capitibus solidissimè probat: idem esse διὰ οὗ quod ἐξ οὗ, qui etiam Cap. 7. & 8. expressè distinguit μεθ' οὗ, id est cum quo: á (διὰ οὗ) id est per quem: per quod, illud effugium, quod aliqui aduersariorum arripuere, dicentes idem esse Per quem, & Cum quo; efficacissime euertit: vt eum, vel ideo, meritò, cum Philotheo Patriarcha Constantinopolitano, dixerim; Sacrum quoddam Diuinarum literarum Prytaneum: & Ecclesiarum omnium speculum.

Subtiliorem, huius vsus particulæ *PER*, rationem assignat ingeniosissimus Bessario. *In processione (inquit) Spiritus Sancti, duo erant explicanda: nempe æqualitas, seu indiuisio spirandi in Patre & Filio: & Filij ad Patrem in accepta vi spiratiua, relatio: & ordo: eò quòd, primum, requireret summa vtriusque personæ æqualitas, potestatisque & actionis indiuisio: secundum verò, necessarius in omnibus ordo Filij ad Patrẽ: omnia si quidem quæ habet Filius; & ipsam vim, & operationem Spiratiuam; habet à Patre. Quia ergo nulla vox erat, quæ id vtrumque significaret; ideo SS. Patres Orientales, & multi Occidentales, cùm maiorem haberent rationem, explicandæ in Diuinis æqualitatis, vtebãtur voce EX vel DE vel AB: semper tamen subintellecto personæ secundæ ordine ad primam. Græci verò, quia plerumque magis attendebant, ad explicandum ordinem Filij ad Patrem; vtebantur Particula PER: quia hæc propositio, ex vi significationis, dicit ordinem ad eum, de quo dicitur ἐκ vel Ab. aliqui verò, his particulis promiscuè vsi sunt, nunc attendentes ad æqualitatem: nunc ad ordinem: prout vsus, exigentiaque eorum, quibuscum agebant, ferebat.*

Bene etiam obseruat Demetrius Cydones libro de Processione Spiritus Sancti Cap. 11. Sanctos Patres Græcos, vsu particulæ *PER*, hæc voluisse; vti

se. 1. vti hypostases distinguerent : & Filio, in ordine Diuinarum personarum, locum asignarent medium : quem communiter τὸ. *PER* significat. 2. vt præcauerent : nec ob similitudinem præpositionum, daretur alicui ansa suspicandi, vnam esse personam Patrem & Filium : vel Filium æquè esse principium improductum, atque est Pater.

Concludo hæc, quæ dixi : verbis Sancti Gregorij Theologi Orat. 32. Synodali : *desinant, qui de his inter se contendunt, ineptire : perinde ac si fidei, nostræ pietas, in vocibus, non in rebus consistat.* & Orat. 39. *de vocabulis non dissideamus, quam diu Syllabæ ad eandem sententiam ferunt. Liceat : decem, dicere bis quinque* : (Orat. 37.) *& alio itinere ad idem hospitium ferri.* Orat. 44.

QVÆSITVM VII.

An etiam post Schisma, aliqui magnæ authoritatis & eruditionis Viri, in Græcia, professi sunt Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio.

ITa est. Fecit id primò : Nicephorus Blemmydas : quē Nicephorus Gregoras ; Historiæ Lib. 2. ait, fuisse Archimandritam Constantinopolitanum, multis insignitum virtutibus : summâque doctrinâ : & Lib. 5. vocat eundem θείων γραφῶν ἐμπειρότατον : Diuinarum literarum peritissimum. Hic, (eodem Nicephoro teste) Ioanne Duca imperante ; multa è sacris literis, & SS. Patribus, testimonia collegit : quæ asserebant Spiritum Sanctum à Filio quoque, vel per Filium procedere. Vixit autem clarissimus hic Archimandrita, circa annum 1255. nimirum in summo feruore Cerullariani Schismatis.

Fecit hoc ipsum Ioannes Beccus : vir (eodem Gregora teste, Lib. 4.) excellenti ingenio : & in doctrinæ studijs à iuuentute educatus : præterea, tantis naturæ donis ornatus ; quantis hominum, qui tunc erant, nemo : qui, (vt ait idem Gregoras) ingenij & orationis copia, cunctos permiscuit Auditores : & proposita ab illis argumenta, tanquam Penelopes telam retexuit : qui denique, tanti ingenij acumine, vsuque dogmatum Ecclesiasticorum fuit ; vt omnes alij, cum eo comparati, pueri viderentur. Hic tantus, (Græci scriptoris iudicio) vir, cùm esset Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophylax, Michaeli Palæologo Commeno, Ecclesiarum concordiæ summè affecto, & ad eam, plerosque multimodis trahenti, se fortissimè, (al-

mè, (alterum Saulum dixeris) opposuit: aliosque ne Imperatori cederent, sua authoritate continuit: atque ideo, cum tota sua cognatione, coniectus est in carcerem; in quo degenti, cùm testimonia Scripturæ, & SS. Patrum, collecta à Blemmyda, oblata fuissent ad legendũ; ijsque accuratè ea legisset, & expendisset; petijt sibi dari libros; vt quæ in Blemmyda legerat, exploraret: & ad verbum conferret. Quod dum ageret; non tantùm, testimoniorum Blemmydæ, summam reperit fidelitatem; sed etiam ipsemet, magnam vim nouorum testimoniorum, collegit: perquè ea persuasus, qui dudum, tanquam gladius anceps, contra Latinos pugnabat, mutatâ sententiâ, in eorum partes concessit. Hæc Gregoras. Hic deinde, scripsit, eruditissimum de Processione Spiritus Sancti à Filio librum: in 12. capita distinctum: quibus continentur SS. Patrum ab eo collecta testimonia: quæ vtique, multò meliùs, tantus vir intellexit: quàm Palamas, granium hæreseon, & Thalmudicarum prope Fabularum author: aut nescio quis Pletho, vel Cabasillas: quibus, ne sui quidem Græci, tantum doctrinæ & virtutis testimonium, dederunt: quantum datum est Ioanni, & Nicephoro.

Idem fecit coætaneus Ioannis, Manuel Caleca: qui conclusæ, in Concilio Lugdunensi, concordiæ, cùm adhæsisset, & propter eam, cum multis alijs Episcopis & Hieromonachis, ab Andronico Imperatore proscriptus esset; accuratissimè (nescio in patrianè, an in exilio) pro Spiritus Sancti processione à Filio scripsit: vix vt, de hoc argumento, scribi aliquid possit doctiùs: & subtilius.

Idem fecit, Barlaam Episcopus Hieracensis Peloponesius. (clarissimus ille, errorum & Fabularum Palamæ impugnator:) in epistolis quas ad Græcos scripsit; insertis Tomo 14. Bibliothecæ.

Idem fecêre, doctissimi Concilij Florentini propugnatores: Gennadius, Bessario, Iosephus Methonensis.

Idem denique fecere doctissimi Græci: qui patrios errores, perosi, in Italiam commigrarunt: quos inter excelluit, Gregorius Trapezuntius; Manuel Chrysoloras: Demetrius Cydoneus: vt omittam Latinos, Græcarum literarum peritissimos, Hugonem Aetherianum: & Chrysolanum Archiepiscopum Mediolanensem à Paschali secundo missum, ad Alexium Imperatorem. Et è nostrate Russia, si Isidoros, Soltanos, Pocieios, Morochouios, Smotricios, Creusios, Dubouicios, in aciem produxero; paucos eis in castris aduersariorum pares reperiam.

Hîc vos, ô venerabiles & Religiosi Patres, compello: vt quâ estis ingenuitate, & iudicij æquitate, decernatis: sitnè consultum, in via salutis æternæ, &

ternæ, & in dogmatibus fidei, deserere duces, quibus ipsimet Græci summæ doctrinæ, & eximiæ Sanctitatis tribuunt laudem: atque eos sequi; quorum nemo apud suosmet populares tantum doctrinæ vel virtutis obtinuit testimonium.

Mihi quidem videtur: si nullam haberent Latini doctrinam, si nullas à se Scripturas, nulla Concilia, nullos SS. Patres; si omnino eis via salutis, & doctrina fidei, à solis Græcis petenda esset; multò eos meliùs sibi consulturos; si eam quærerent apud eos, quos ipsimet Græci suorum doctissimos faterentur: quàm apud rudes quosdam seminiuerbios quibus vnum studium esset, inconsutilem Christi Domini vestem, dissecare. Nunc verò, cùm præter authoritatem, doctissimorum Græcorum, tantam habeant testium nubem; tot Sacræ Scripturæ, per ipsos SS. Patres Orientales explicatæ, totque Conciliorum Oracula; tot expressas voces Sanctorum Patrum, docentium Spiritum Sanctum ex Patre & Filio, ex ambobus, ex Filio, esse: profundi: profluere: procedere: non possum non dolere, esse aliquos; qui eam doctrinam; quam Sacræ Scripturæ consonam esse, multa Concilia, multique omnium Patriarchiarum Patres, agnouerint, auersentur: vt erroneam & hæreticam: cùm si suam ipsi conscientiam consulere velint; seipsos potiùs quàm quos execrantur, & anathematizant, ab Orientali Ecclesia defecisse, sint iudicaturi.

QVÆSITVM VIII.

An Sancti Patres Orientales, reliquerint aliqua certissima principia: ex quibus Theologico discursu legitimè concludatur; Spiritum Sanctum procedere à Filio.

Reliquere complura. Primum est. *Filius omnia habet, quæ sunt Patris, solâ excepta Paternitate.* Hoc ipse Filius professus est Math. 11. v. 27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo,* & Ioann. 16. v. 15. *Omnia mea tua sunt, & tua mea.* Hoc ipsum Synodus Ephesina credere se testata est: cùm approbauit declarationem Noni anathematismi allatam à S. Cyrillo, contra Theodoretum, vbi dicitur: *Omnia existens Filius quæcunque est Pater, (δίχα μόνου τοῦ εἶναι πατήρ:) præter solum esse Patris.* Quæ eadem

verba,

verba, reperiuntur in epistola ad Nestorium: ab eadem Synodo, & alijs approbata. Eadem verba, passim repetit Sanctus Cyrillus. In Dialogo verò secundo ad Hermiam, peculiari vtitur phrasi. *Credimus, (inquit) coæternum Patri Filium: & omnia cum Patre* ἰσόμετρον *æqualiter habentem*: δίχα μόνου τοῦ τεκεῖν, *præter solum gignere: seu: præter hoc solum quod non gignat.* Idem profitetur Sanctus Athanasius libro de Synodis: *Fol. 923. Filius, vniformibus vocibus, vnitatem cum Patre habet: adeo vt, quæ de Patre dicantur, eadem de Filio dicant Scripturæ*: (Χωρὶς μόνου λέγεται αὐτὸν πατέρα) *eo solo excepto, quòd non dicitur Pater.* Et infra. *In summa: quæcunque inueneris, de Patre, dici; eadem inuenies de Filio dici*: (Χωρὶς μόνου τοῦ εἶναι αὐτὸν πατέρα) *eo solo excepto, quod non sit ipse Pater.* Et Sanctus Gregorius Nissenus Orat. 10. contra Eunom. *Fol. 19. Dicimus quòd qui omnia sui Patris habet, totum illud est, solo excepto esse Patris.* Et S. Basilius homilia 13. de fide *Fol. 430. B. Filius est omnia existens quæ est Pater: Filius inquam & non Pater. Custodi mihi has proprietates. Manens igitur in esse Filij, omnia est, quæ est Pater: secundum ipsius Domini vocem.* Et Sanctus Ioannes Damascenus lib. 3. de imaginibus. *Filius est imago Patris in nullo discrepans, per omnia similis Patri: præter solam innascibilitatem & Paternitatem*: cum quo addito, explicandus est hic Pater Sanctus, cùm alicubi docet, Patrem à Filio distingui: solis proprietatibus, ingeniti & geniti. Sumit enim vocem ingeniti in sensu explicato, à Sancto Basilio lib. 1. contra Eunom. vbi ait: Patris vocem (ἴσον δυναμένην τῷ ἀγεννήτῳ) æqualem vim habere ingenito: sed propter relationem Filij, insuper notionem habere coniunctam: ideoque voci ingeniti præferendam esse. Neque his Sanctus Gregorius Nazianzenus aduersatur, cùm alicubi dicit: *Filium omnia habere, excepta Causa*: intelligit enim Caussam προκαταρκτικήν, quæ sit fons totiùs Deitatis: cuius actio ad vtriusque personæ productionem extendatur: ad quam (vt loquitur ipse Sanctus Gregorius Orat. 32. & Orat. 29.) *Filius & Spiritus Sanctus vt ad principium anarchon referantur.* Hoc posito fidei principio, sic vniuersaliter argumentor.

Qui negat Filio bonorum Patris aliquid, quod non sit ipsa Paternitas, contradicit Christo: Concilijs: SS. Patribus: estque in Filium Dei grauiter iniurius. Qui negat à Filio spirari Spiritum Sanctum, negat Filio bonorum Patris aliquid, quod non est ipsa paternitas. Ergo qui negat à Filio spirari Spiritum Sanctum contradicit Christo; SS. Patribus: Concilijs: estque in Filium Dei grauiter iniurius.

Verba Christi sic in formam redigit ipse Christus. Qui habet omnia quæ Patris sunt, ab eo, scire vel esse accipit Spiritus Sanctus. Filius habet omnia

mnia quæ Patris sunt. Ergo à Filio, scire, vel esse, accipit Spiritus Sanctus. Ex Concilijs sic argumentor. Quod non est esse Patris, hoc habet Filius omnia existens, quæ est Pater. Spirare Spiritum Sanctum non est esse Patris. Ergo Filius habet Spirare Spiritum Sanctum. Ex SS. Patribus sic. Quod Filium non extrahit ex esse Filij, nec eum facit ingenitum, nec Patrem, hoc Filio æquali Patri, non est negandum : Spiratio actiua, Spiritus Sancti non extrahit Filium, ex esse Filij : nec eum facit ingenitum : nec Patrem : Ergo Spiratio actiua non est neganda Filio.

Ex Sancto Cyrillo, & ex alijs SS. Patribus sic. Quod non est gignere, id habet Filius, omnia cum Patre æqualiter habens. Spirare non est gignere. Ergo illud habet Filius : omnia cum Patre æqualiter habens.

Ad argumentum ex SS. Patribus formatum, audiui Kiiouiæ ita responsum. Esse Patris, dupliciter sumi : primò vt est constitutiuum personæ : secundò vt refertur ad Filium : itaque spirare, esse idem, quod Patrem esse primo modo : etsi non sit idem, quod Patrem esse secundo modo. At hoc magnopere aduersatur dictis SS. Patrum. Nam Sanctus Athanasius, vel Sanctus Maximus in Dial. Orthodoxi cum Anomæo *Fol. 171.* ait. *Spiritus Sanctus non habet Patrem* : ex quo infert : ingenitũ non esse proprium Patri, sed commune Patri & Spiritui Sancto : siquidem ingenitum hoc est; quod Patrem non habet. Et Orat. 4. contra Arrianos *Fol. 450.* ait. *Qui Patrem dicit, statim cùm Patre significat Filij* ὕπαρξιν. Et Sanctus Basilius lib. secundo contra Eunomium *Fol. 735. E.* ita scribit. *In Patris cogitatione, illius Filij cogitatio occurrrit. Nam Pater, Filij vtique est Pater. Patris igitur origo nulla : origo vero Filij, Pater : inter hos vero nihil : nam si quid esset inter Patrem & Filium, deberet esse antiquius ipsa productione Filij.* Et lib. de Spiritu Sancto C. 6. *Fol. 301. Pater & Filius simul intelliguntur : ob naturam eorum quæ dicuntur ad aliquid.* Et Sanctus Gregorius Naz. Orat. 35. *Fol. 216. Nomen Patris non essentiam nec actionem indicat, sed relationem quam Pater ad Filium habet.* Idem multò frequentiùs inculcat Sanctus Gregorius Nyssenus : ex quo aliqua loca affero. Tomo secundo Orat. 1. contra Eunom. *Fol. 8.* ait. *Sine Filio Pater neque est : neque dicitur.* Et ibidem *Fol. 31.* ait. *Qui in Patrem credunt ; simul atque Patrem audierint, mente concipiunt etiam Filium : cogitatione statim à Filio ad Patrem transeunte.* & *Fol. 63. Per Patrem, relatio ad Filium sola intelligitur.* Et Tomo 10. lib. de eo quid sit esse ad imaginem & similitudinem Dei *Fol. 864.* ita scribit. *Vbi quis nominauerit Patrem ; certum est eum Filij cuiuspiam significationem intulisse. Quomodo enim Pater appelabitur nisi etiam Filius intelligatur ?*

Hæc ego ab aduersarijs legi, non possum credere, Neque enim si hæc

legeren t

legerent, auderent publicæ disputationi eam proponere conclusionem. *Spiratio actiua constituit personam Patris* : atque per hoc, manifesté prodere, se esse Sabellianos : nam si Spirator actiuus est Pater ; Ergo cùm per Patrem sola intelligitur relatio ad Filium ; (vt tot Patres SS. testantur) Spiritus Sanctus necessario est Filius : & qui concipit Spiratorem Patrem, necessariò concipit Spiratum Filium : cùm impossibile sit, aliquem Patrem esse, nisi respectu Filij : & idem sit, teste Sancto Athanasio, habere Patrem, quod esse genitum. Quare, cùm iuxta Kiouienses Theologos, Spiritus Sanctus habet Patrem ; debebit is esse genitus, & Filius. Absurdissimè ergo dicunt isti : quòd spirare sit idem, quod esse Patrem : quo enim modo, spirare est esse Patrem ; eodem omnino Spiratum esse, oportebit Filium esse : quod blasphæmum & hæreticum est.

Confirmatur. Quia Sanctus Gregorius Theologus Orat. *38. Fol. 234.* Orat. 42. *Fol. 257. Filium vocat Patris terminum & rationem* : *quia* (vt ad Orat. 38. Nicetas ; & ad Orat. 42. Psellus adnotant :) *Paterni nominis, & appellationis Patris, terminus est Filius. Nam cũ hæc nomina sint ex eorũ numero quæ ad aliquid referuntur ; profectò eam naturam habent, vt alterum altero terminetur. Pater siquidem Filij Pater est : & qui Paternum nomen audiuit, simul etiam Filium, cogitatione complexus est : eamque relationem quâ Pater Filium respicit, simul absoluit.* Hactenus illi. Quomodo verò Filius, dici possit Patris terminus, si constitutiuum Patris non sola Paternitas, sed etiam Spiratio actiua esset ? sed pereat hoc commentum : tot SS. Patribus aduersum : & solùm ad detrahendam Filio spirationem actiuam, confictum.

Alij respondent : ex bonis Patris communicatis Filio, non solum esse Patris, sed etiam Causæ, excipi ab aliquibus SS. Patribus. At contra est. Vel esse Causæ, idem est quod esse Patris : vel non : si idem ; Ergo non aliud est esse excipi Causæ, quàm excipi esse Patris : si non idem ; Ergo errarunt multi SS. Patres, qui dixerunt : Filium habere omnia quæ sunt Patris, præter solum esse Patris : vel gignere. At cùm sine impietate tantis Patribus errorem adscribere nequeamus ; audiamus docentem Sanctum Basilium lib. 1. contra Eunomium *Fol. 724. Patris* (ait) *nomen, nihil aliud ostendit, quàm Causam & originem eius, qui ex se natus est.* Et lib. secundo *Fol. 240. Verbum genui, Causâ significat : ex qua Filius essendi principium habet.* Idem ergo apud SS. Patres est esse Causâ : & esse Patrem. Sed de hoc pluribus, in solutione fundamentorum Photianicorum.

Ad argumentum ex Sancti Cyrilli authoritate desumptum, & in disputatione publica Kiouiæ ab erudito studioso propositum, hoc audiui responsum, Filium habere omnia quæ sunt Patris, præter solum gignere,

tam radi-

tam radicale quàm formale : cùm ergo ſpirare, ſit gignere radicale; cenſetur, à Sancto Cyrillo negatum eſſe Filio: cùm dixit, præter ſolum gignere.

Satis profectò ineptè. Nam primò: inperceptibile eſt quomodo ſpiratio actiua ſit radix generationis. 2. ſi Actio ſpiratiua eſt radix generationis, quid erit eſſentia? nonne potiùs illud dici debet gignere radicale, vel radix generationis, quod eſt principium generationis, ex quo dicitur Filius gigni? At iuxta omnes, Eſſentia Diuina eſt principium generationis, & ex ea dicitur gigni Filius. Non ergo actio Spiratiua, ſeu ſpirare, eſt gignere radicale: ſed eſſentia determinata relatione Patris. Tertiò: illud gignere, à Sancto Cyrillo negatur Filio, quod ab eodem alibi dicitur eſſe Patris: ſpirare non eſt eſſe Patris. Ergo ſpirare non eſt illud gignere, quod Sanctus Cyrillus Filio negat.

Denique hoc gignere radicale, vel eſt abſolutum; vel relatiuum: ſi abſolutum; debet eſſe commune omnibus perſonis: ſi relatiuum; Ergo debet eſſe ad aliquem terminum: quem illum? certe radicali gignere, non aliud reſpondere poteſt quam radicaliter generabile: ſi igitur ſpirare eſt radicale gignere; debebit Spiritus Sanctus dici radicaliter generabilis: quod ſi admittatur, debebit etiam dici genitus. In Diuinis enim, idem eſt, poſſe eſſe; & eſſe: quia in Deo quidquid poteſt eſſe, neceſſe eſt eſſe: ne alioqui Deus ſit compoſitus ex actu & potentia: quod etiam Ethnici Philoſophi excluſerunt à Deo: vt pote ab actu ſimpliciſsimo & puriſsimo.

Secundum Principium eſt: *Spiritus Sanctus ita proprius eſt Filij vt eſt Patris.* Id innunt Scripturæ aſſerentes, *Spiritum Sanctū eſſe* ***Spiritum Patris***, Math. 10. v. 20. Rom. 8. v. 11. & ***Spiritum IESV*** Acto. 16. v. 7. & ***Spiritum Filij***, Rom. 8. ℣. 9. Gal. 4. ℣. 5. Eph. 3. ℣. 16. &c. Idem contra Neſtorianos paſsim docet Sanctus Cyrillus, v. g. lib. 10. In Ioan. *Fol. 910. Cùm Spiritum veritatis, id eſt ſuum, Paracletum dixiſſet; à Patre, ipſum ait procedere: vt enim proprius eſt Filij Spiritus Sanctus, naturaliter & in ipſo exiſtens, & per ipſum procedens; ita & Patris.* Et infra. *Credendum eſt: quòd cùm Spiritus Sanctus ſit eius proprius ſicuti eſt Dei Patris; Sanctis eum mittat diſcipulis.* & Lib. 9. in Ioann. *Fol. 810.* docet *credendum eſſe: quod Filius naturalium Dei & Patris bonorum particeps, habet Spiritum Sanctum* (κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον καθόμπερ ἀννοοῖτο ὁ πατὴρ *Secundum illum ipſum modum, ſecundum quem habet illum Pater.* Et ibidem addit: θεοπρεπῶς *ita eſſe proprium Filij, vt noſter Spiritus proprius eſt, qui ex ore noſtro procedit.* Idem docet Sanctus Athanaſius vtraque epiſtola ad Serap. & Orat. 2. contra Arrianos *Fol. 367.* ſupra citatâ *per quem, & à quo, dari Spiritum Sanctum fuit conueniens: niſi per Filium, cuius Spiritus eſt?* Et Sanctus Baſilius Lib. 2. contra Eunom.

tra Eunom. *Fol. 788. Apostolus Spiritum Sanctum per Filium (πεφηνέναι) emanare significauit : cùm eum Spiritum nominauit Filij; sicut & Dei.* Ex quo ita argumentor. Cuius ita proprius est, Spiritus Sanctus, & eodem modo, vt est Patris; ab eo procedit vt à Patre: Spiritus Sanctus ita & eodem modo est proprius Filij, quo est proprius Patris. Ergo à Filio naturaliter & substantialiter Spiritus Sanctus procedit, vt à Patre.

Maior patet: quia ita Patris est, vt ab eo procedat. Cuius ergo eo modo est; vt ab eo non procedat; non potest dici, ita & eo modo eius esse; quomodo Patris est. Confirmatur. A quo Spiritus Sanctus spiratur, ab eo procedit. A Filio spiratur. Ergo à Filio procedit. Minor probatur. Cuius ita, & eo ipso modo est, quo est Patris, ab eo spiratur. Filij ita, & eo ipso modo est, vt, & quo, est Patris. Ergo à Filio spiratur.

Respondent aliqui: ideo dici Spiritum Filij, quia ab eo missus, vel temporaliter manifestatus est: vel quia, est ei consubstantialis: sed neutrum satisfacit: per vtrumque enim, vtcunque explicetur Dictum propositionis; non tamen, Modus eiusdem. Nam Sanctus Cyrillus docet: Spiritum Sanctum ita esse Veritatis, quæ est Christus; vt est Patris, à quo procedit: quia ergo Patris est, vt à Patre productus; etiam Filij debet esse, vt ab eo productus: vt verè dicatur, eo esse modo Filij, quo est Patris. Deinde, etiam Dictum propositionis, per allata responsa malè explicatur. Quia prius est, Spiritum Sanctum haberi à Filio, quam ab eo mitti. Ergo non debet dici, ideo esse Spiritus Filij, quia ab eo mittitur. Antec. patet. *Spiritus Sanctus nec mitti, nec dari conuenienter potest, nisi ab eo cuius est*: *inquit* Sanctus Athanasius. Ergo prius est Spiritum Sanctum haberi à Filio: quàm eum à Filio mitti: vel dari. Deinde, vis mittendi, vel eadem est in Filio, quæ in Patre: vel diuersa: si diuersa; etiam misiones erunt diuersæ: neque vna Filij & Patris erit operatio: consequenter non erit vna eorum essentia: (quorum enim naturales potentiæ, & operationes, sunt diuersæ; etiam essentiæ sunt diuersæ: (Siquidem ab essentia fluit potentia:) si eadem; Ergo cùm in Patre potentia mittendi supponat potentiam spirandi, eandem in Filio debebit supponere. præterea: tam necessariò, refertur Spiritus ad Spirantem; quàm genitus ad generantem, seu Verbum ad dicentem: sed genitus, non potest esse naturâ, alicuius alterius nisi generantis; nec Verbum nisi dicentis: Ergo & Spiritus Sanctus non potest esse naturâ alicuius alterius, nisi spirantis. Ergo cùm dicatur ita naturaliter esse proprius Filij, vt est Patris; ita est Filij spirantis; vt est Patris spirantis. Denique, si Spiritus Sanctus ideo est Filij, quia ab eo mittitur, vel datur; Ergo non est ab æterno Filij. Ergo non est coæternus Filio: sed in tempore

 incipiens

incipiens esse eius: (Effectus enim supponit causam:) & tamen quod infertur, sine impietate cogitari non potest.

Secundum etiam responsum, malum est: ex eo enim apertè sequitur: ita Patrem & Filium esse Spiritus Sancti; vt Spiritus Sanctus est Patris & Filij: siquidem ita Pater & Filius, est consubstantialis Spiritui Sancto: vt Spiritus Sanctus Patri & Filio: cùm tamen Sanctus Gregorius Nissenus huic dogmati expresè contradicat: super Orat. Dominicam: *Filius (inquit) neque est Spiritus Sancti, neque dicitur: neque hæc reciprocatur relationis consequentia.* Hoc argumentum tanti fecit Sanctus Augustinus Tr. 99. in Ioan; vt eo solo fuerit contentus, ad probandum; Spiritum Sanctum à Filio procedere.

Tertium principium est. *Spiritus Sanctus est consubstantialis Filio.* Hoc etiam aduersarij credunt. Vnde ex eo ita argumentor. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio; non posset ei esse consubstantialis. Sed est ei consubstantialis. Ergo procedit à Filio. Sequelam probo. Inter quæ non interuenit ratio *τοῦ αἰτίου καὶ αἰτιατοῦ,* illa sibi in Diuinis nequeunt esse consubstantialia. At si Spiritus Sanctus non procedit à Filio, inter eum & Spiritum Sanctum, non interuenit ratio *τοῦ αἰτίου καὶ αἰτιατοῦ.* Ergo Spiritus Sanctus si non procedat à Filio, non potest esse consubstantialis Filio. Minor est aduersariorum. Maiorem probo per hoc: quia communiter SS. Patres præsertim Sanctus Athanasius, Sanctus Cyrillus, Sanctus Augustinus, ex eo probant Filium esse consubstantialē Patri, quia à Patre naturaliter producitur: supponuntque: id solum in Diuinis esse consubstantiale, quod eandem habet essentiam, cum persona se producente: aut à se producta. Secundò: quia hæc videtur esse expresa doctrina Sancti Basilij magni Epistola 300. ad Canonicas *Fol. 292.* τὰ ἀδελφὰ ἀλλήλοις, ὁμοούσια ἀλλήλοις οὐ λέγεται &c. *Quæ fraternam cognationem habent, non dicuntur sibi consubstantialia: quod aliqui existimarunt: sed tum cùm* τὸ αἴτιον, καὶ τὸ ἐκ τοῦ αἰτίου, *eiusdem per omnia naturæ existentiam habent, consubstantialia dicuntur.* Et homil. contra Sabellianos, Arrianos, Eunomianos, Tomo 1. *Fol. 521.* *Cùm vnam substantiam dixero, ne cogites duo ex vno partita: sed ex Patre vt principio, subsistentem Filium: non Patrem & Filium, ex vna superiori essentia descendentes: non enim eos fratres dicimus, sed Patrem & Filium confitemur.*

Hîc argumentor primò. Tunc solùm in Diuinis iuxta Sanctum Basilium, aliqua sunt consubstantialia, cùm eorum vnum est τὸ αἴτιον alterum τὸ ἐκ τοῦ αἰτίου: sed Spiritus Sanctus si non procedat à Filio: nec erit τὸ αἴτιον neque τὸ ἐκ τοῦ αἰτίου respectu Filij. Ergo iuxta Sanctum Basilium, si à Filio non procedat Spiritus Sanctus, non erit consubstantialis Filio.

Secundò

Secundò sic: Quæ personæ sunt eiusdem naturæ, hæ si non habeant ad inuicem rationem τȣ̃ αἰτίȣ καὶ αἰτιατȣ̃, sunt iuxta Sanctum Basilium Fratres. Filius & Spiritus Sanctus sunt eiusdem naturæ, & inter eos, (sublata processione Spiritus Sancti à Filio) non est ratio τȣ̃ αἰτίȣ καὶ αἰτιατȣ̃. Ergo aut iuxta eundem debebunt dici fratres; aut inter eos admitti debet ratio, τȣ̃ αἰτίȣ καὶ ἐκ τȣ̃ αἰτίȣ.

Tertiò: qui duas personas diuinas, ex vna superiori essentia descendentes cogitant; coguntur duos in Trinitate Fratres, & duo ex vno diuisa admittere: quod improbat Sanctus Basilius. Qui cogitant Filium & Spiritum Sanctum ex solius Patris essentia immediatè descendere, cogitant duas personas diuisas, ex vna superiori Essentia descendentes. Ergo ijdem coguntur, duos in Trinitate Fratres, & duo ex vno diuisa admittere: & consequenter Filij cum Spiritu Sancto consubstantialitatem tollere.

Quartum principium est, *Inter personas Diuinas, Filius est persona ordine & axiomate secunda: Spiritus Sanctus eodem ordine est persona, secunda à Filio: Tertia à Patre.* Hoc principium eruunt SS Patres Orientales, ex solemni baptismi forma: asserentes eo in ordine collocandum esse Spiritum Sanctum; quem Dominus Iesus, Matthæi vltimo, baptizaturis præscripsit: dicens: ***Euntes baptizate in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.*** Atque eum ordinem in diuinis personis, agnouit: & contra Eunomium defendit, Sanctus Basilius: vt supra vidimus: & insuper Tomo 3. epistola 78. ita scribit. *Immotum & intactum conseruare conuenit ordinem: quem ex ipsa Domini voce accepimus: qui dixit: baptizantes eos:* ***In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.*** Quem ordinem, non esse arbitrarium, sed ita naturalem, vt est ordo ignis ad lumen, quod ex ipso est; docet libro primo contra Eunomium *Fol. 720.* supra citato: & eiusdem ordinis peruersionem, fidei totius abnegationem, appellat: epistola 300. ad Canonicas. Et libro de Spiritu Sancto C. 17. *Fol. 331. discant (ait ad Eunomianos:) Spiritum Sanctum simul eodem modo pronunciari cum Domino, quomodo Filius pronunciatur cum Patre. Itaque quomodo se habet Filius ad Patrem: ita ad Filium se habet Spiritus Sanctus &c* Non esse autem eum ordinem ab Eunomio confictum, & à Sancto Basilio transire permissum, vltra supra dicta, clarissimè docet, Frater Sancti Basilij, Sanctus Gregorius Nissenus Orat. 1. contra Eunomium *Fol 63.* Vbi Eunomij verba refert talia: *Spiritus Sanctus neque secundùm Patrem, neque cum Patre, annumeratur.* Quomodo ergo Eunomius diceret Spiritum Sanctum esse à Patre secundum, qui eum Patri noluit annumerare? Dubitatiuas autem particulas, & verborum illorum (cùm ab illo esse habeat &c) eiectionem, Græcis exprobrat, ante

Synodum Florentinam, ducentis prope annis Manuel Calecas, Lib. 10. Cap. 10. ita scribens: *Ita scriptum in vetustissimis codicibus inuenitur: quos quidem codices, pro antiquitate sua, antequam Schisma oriretur, conscriptos esse, nullus omnino ambigere possit: quorum nunc obliterati nonnulli cernuntur: quibusdam, hoc illius Viri Sancti dictum, quasi adulteratum, suscipere nolentibus: & ferro contra mutos apices impiè vtentibus.* Hæc ille. Ex quo apparet: quam studiosè laborauerint Græci in supprimendis testimonijs processionis Spiritus Sancti à Filio. Sed non est consilium contra Dominum; & omnis eorum sapientia deuorata est.

Eundem ordinem inter Diuinas personas; agnouit; & testatus est Sanctus Athanasius in epistolis ad Serapionem: dicens; Spiritum Sanctum talem habere ordinem ad Filium: qualem Filius ad Patrem: & Sanctus Gregorius Nyssenus epistolâ ad Ablauium citatâ, docens, inter Patrem & Spiritum Sanctum, Filij (μεσιτεῖαν) mediationem interuenire: & Sanctus Epiphanius in Ancorato: vocans Spiritum Sanctum lumen tertium á Patre & Filio.

Quo præmisso, sic argumentor primò. Qui ordine & axiomate est prior Spiritu Sancto, hic est principium productiuum Spiritus Sancti. (Ideo enim Pater dicitur Filio prior ordine & axiomate; quia est principium Filij:) Filius, iuxta Sanctum Basilium, & alios Sanctos Patres, est Spiritu Sancto prior ordine & axiomate. Ergo Filius est principium Spiritus Sancti productiuum.

Secundò sic. Qui procedit non ἀμέσως seu immediatè ex primo, sed ἐμμέσως seu per eum qui est ex primo; hic non procedit à solo Patre: Spiritus Sanctus non procedit immediatè ex primo; sed ἐμμέσως & per eum qui est ex primo: vt disertè docet Sanctus Gregorius Nyssenus. Ergo Spiritus Sanctus non procedit à solo Patre.

Tertiò: si Spiritus Sanctus non procederet à Filio; non esset tertia Diuina persona: sed secunda. Consequens non est admittendū: (vt pote, Sancto Basilio iudice, inductiuum abnegationis Fidei, ob euersionem mysterij Trinitatis.) Ergo neque admittendum hoc: ex quo tantum inconueniens sequitur. Sequela probatur: ex hoc principio. Numerus & ordo in Diuinis personis, sumitur non aliunde; quàm ex Causarum habitudine ad ea, quæ ex illis oriuntur: vt docet Sanctus Basilius locis citatis: præsertim libro primo contra Eunom. *Nos secundum relationem Causarum ad causata, dicimus Patrem Filio præordinari.* Vnde & in Toletana vndecima Synodo, dicitur: Numerum & ordinem in Diuinis, penes relatiuam diuinarum personarum ad inuicem habitudinem, considerari.

Ex hoc ergo principio probatur Sequela. Cui perſonæ, non eſt præordinabilis perſona ſecunda, hæc non poteſt dici perſona tertia, ſed tantùm prima vel ſecunda: Spiritui Sancto procedenti à ſolo Patre; non eſt præordinabilis perſona ſecunda. Ergo Spiritus Sanctus procedens à ſolo Patre, non poteſt dici tertia perſona.

Maior probatur. Quia à prima perſona impoſsibilis eſt tranſitus ad tertiam, niſi mediante ſecunda: & impoſsibilis eſt numerus trium, vbi inter primum, & tertium, non mediet ſecundum: (vti patet omnibus, qui ſciunt numerare tres.) Minor probatur. Illa ſola Diuina perſona, eſt alteri præordinabilis, quæ ad præordinatum, habet habitudinem principij. Secunda perſona, iuxta Photianos, non habet habitudinem principij ad Spiritum Sanctum, à Patre ſolo procedentem. Ergo ſecunda perſona non eſt præordinabilis Spiritui Sancto à ſolo Patre procedenti. Confirmatur. Quæ perſona ſolam ante ſe ſupponit primam perſonam, hæc eſt perſona ſecunda. Spiritus Sanctus à ſolo Patre procedens, ſolam ante ſe ſupponit primam perſonam. Ergo Spiritus Sanctus à ſolo Patre procedens, eſt ſecunda perſona. Secundò: vbi ſunt verè & inuariabiliter perſonæ tres, ibi verè & inuariabiliter, eſt prima; ita vt non poſsit non eſſe prima: & ſecunda ita; vt non poſsit non eſſe ſecunda: & tertia ita; vt nequeat non eſſe tertia. In myſterio Sanctiſsimæ Trinitatis ſunt verè inuariabiliter perſonæ tres. Ergo, in eodem, verè & inuariabiliter, eſt aliqua perſona, ita prima aliqua; ita ſecunda aliqua; ita tertia aliqua; vt nequeat eſſe ex arbitrio humano prior vel poſterior.

Atqui inter Diuinas perſonas non poteſt eſſe prioritas & poſterioritas alia, quàm originis: ſeu vt loquuntur Græci τῦ αἰτίε καὶ αἰτιατῦ. Ergo quâ neceſsitate, ſecunda perſona ſupponit ſe cauſatam (vt phraſi Græca vtar) à prima; eâdem, Tertia perſona ſupponit ſe cauſatam à Prima, & ſecunda.

His argumentis vt occurrant Photiani; aſsignant aliam rationem huius ordinis Diuinarum perſonarum: nempe: quòd etſi vtriusque perſonæ productio ſit à ſolo Patre; priùs tamen ratione, ſit generatio Filij, quàm Spiratio Spiritus Sancti: eò quòd in Patre vis generatiua prior ſit vi ſpiratiua: atque ideo, Filium eſſe ſecundam perſonam: Spiritum verò Sanctum Tertiam.

Contra tamen eſt primò: quia per hoc, deſerunt expreſſa dogmata SS. Patrum Orientalium: negantium; inter Diuinas perſonas ordinem prioris vel poſterioris aliunde ſumi poſſe; quàm ex σχέσει τῦ αἰτίε καὶ τῦ, αἰτιατῦ: quibus nunc addo Concilium Toletanum vndecimum; docens; *perſonas*

diuinas, hoc solo numerum insinuare; quòd ad inuicem sunt: & in hoc numero carere; quòd à se sunt.

Contra secundò: gratis dicitur: vim generatiuam in Diuinis, esse vi spiratiua priorem. Quâ enim prioritate? non durationis; vt constat ex Fide: non naturæ; quia in diuinis, non est dependentia actualis, vnius ab altero: non originis; vt patet ex terminis. Non ergo inter has potentias, vlla prioritas naturalis est: sed solùm, ex nostro imperfecto concipiendi modo: ex quo sequetur; Spiritum Sanctum esse tertiam personam non naturâ; neque ex vi originis & principij; (vt exigunt SS Patres:) sed arbitrariè, & solùm ex concipiendi modo nostri intellectus, non potentis concipere, Deum operantē ad intra, per voluntatem: quin præconcipiatur operans per intellectum. Ex quo vlteriùs sequitur: Spiritum Sanctum non esse tertiam personam, respectu cognitionis Diuinæ; sed solùm respectu nostræ: & abstractiuæ.

Contra tertiò: Dato, quòd aliquis diuinarum personarum ordo, sumi posset ex prioritate & ex posterioritate intentionali, virium productiuarum; adhuc hinc non ostenderetur, Spiritum Sanctum secundum esse à Filio: siquidem tam Spiritus Sanctus quàm Filius ad solum referretur Patrem: & vtraque persona respectu solius primæ personæ esset origine posterior: nulla ergo esset ratio, cur potiùs Spiritus Sanctus diceretur secundus à Filio; quàm Filius secundus à Spiritu Sancto; cùm nullum aliud principium, numerandarū & ordinandarū Diuinarum personarum, agnoscant SS. Patres, quàm secundùm rationem Causæ, vel originis: sitque necessarium; vt in quo genere, Tertia persona præsupponit primam, in eo ipso præsupponat secundam. Seu, (quod idem est) vt propter quid Spiritus Sanctus dicitur tertius à Patre, propter illud ipsum, sit secundus à Filio: atque ita sit tertia Sanctissimæ Trinitatis persona: non arbitrariè sed naturaliter.

Pateat ergo: ex vi originalis & naturalis ordinis, ita tertiam personam exigere produci à prima & secunda: vt secunda exigit produci à sola prima. Plura de hoc argumento, videantur apud Calecam libro primo contra Græcos.

Quintum principium est: *Spiritus Sanctus, est persona à Filio distincta realiter.* Ita fides Orthodoxa docet contra Sabellianos.

Ex eo ita argumentatur Angelicus Doctor. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab eo realiter. Consequens repugnat fidei. Ergo Spiritus Sanctus procedit à Filio. Maior probatur testimonijs SS. Patrum. Sanctus Ioannes Damascenus libro primo de fide Cap.

de Cap. 11. *vnum (inquit) Deum cognoſcimus: In ſolis proprietatibus, Paternitatis, Filiationis, & proceſſionis, & ſecundum rationem cauſæ & cauſati, diſcrimen intelligimus.* Vbi notandum diligenter: expreſsè ab hoc Sancto Patre doceri: proprietates Paternitatis, Filiationis, & proceſsionis, perſonarum Diuinarum eſſe diſtinctiuas: non ſumptas præcisè, ſed κατὰ τὸ αἴτιον, καὶ τὸ αἰτιατὸν, ita vt, vbi ratio Cauſæ & Cauſati non interuenit, diſtinctio realis non inueniatur.

Clariùs hoc ipſum exprimit Sanctus Gregorius Nyſſenus libro primo contra Eunom. circa finem. *detracta (inquit) Cauſæ ratione, in nullo Sancta Trinitas diſſidet à ſeipſa.* Et in Epiſtola ad Ablauium: *In hoc ſolo* (in Diuinis) *alterum ab altero diſcerni cenſemus: quòd credamus alterum eſſe Cauſam, alterum verò, quòd ex Cauſa.* Et infra ſub finem. *Hypoſtaſes Sanctiſſimæ Trinitatis, ratio τοῦ αἰτίου diſtinguit.* Pro eodem afferri poſſent teſtimonia, Sancti Gregorij Theologi: Sancti Athanaſij, & Sancti Cyrilli Alexandrini, niſi quæ attuli, ſufficerent.

Ex his ergo ita argumentor. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, detraheretur ei principij, vel τοῦ αἰτίου, ratio: (Cùm neque Filius procederet à Spiritu Sancto, nec Spiritus Sanctus à Filio:) Ergo inter ſe non diſtinguerentur realiter.

Confirmatur primò. In ea Hypotheſi, non eſſet, quod Filium à Spiritu Sancto realiter diſtingueret: vel enim illud eſſet abſolutum, & hoc non: quia omnia abſoluta, toti ſunt communia Trinitati: vel relatiuum; & neque hoc: quia ſola relatio producentis & producti, immediatam vel ſaltem mediatam includens oppoſitionem, diſtinguit perſonas: quæ tamen in ea hypotheſi non adeſſet. Sola inquam: quia aliæ, v. g. coæternitatis, conſubſtantialitatis, perichoriſeos, non diſtinguunt realiter: vt neque relationes diſparatæ: ad quas aliqui confugiunt: quod vltimum probatur. Ita ſe habet genitum ad Spiratum; vt generans ad Spirantem. Sed generans à Spirante ſolâ diſtinguitur ratione. Ergo etiam genitum & Spiratum præciſa relatione originis, ſolâ diſtinguuntur ratione.

Dices: ex hoc argumento ſequitur; Spiritū Sanctum eſſe generantem: eſſe Patrem: eſſe Filium: Conſequens eſt hæreticū. Ergo & ex quo ſequitur. Maior probatur. Quo non diſtinguitur Spiritus Sanctus à Patre & Filio, hoc ei cum Patre & Filio commune eſt. Paternitate, generatione, Filiatione, non diſtinguitur à Patre & Filio. Ergo hæc ei cum Patre & Filio communia ſunt. Maior patet. Minor probatur. Eo ſolo Spiritus Sanctus à Patre & Filio diſtinguitur, quo eis opponitur. Paternitate &c. eis non opponitur. Ergo Paternitate &c. ab eis non diſtinguitur. Nego Antecedens:

tecedens: & probationis Minorē. Cuius probationem distinguo. Eo solo distinguitur, quo eis opponitur, vel oppositione formali & immediata, vel virtuali & mediata, seu consequente: Concedo. Quo ei opponitur solâ oppositione formali: Nego Maiorem: & distinguo Minorem: Paternitate &c. Filio & Patri non opponitur, oppositione formali & immediatâ: Concedo. Virtuali & mediata: Nego. Est autem oppositio virtualis, quoties id, quod dicitur ita opponi; non seipso præcisè excludit alterum; sed est connexum cum altero, quod illud excludit: quomodo ignis opponitur frigori: oppositione non formali, sed virtuali & consequente: quia est necessariò connexus cum calore, frigoris exclusiuo. Quare cùm Paternitas & Filiatio, sint necessariò connexa cum identificata sibi vi & oppositione Spiratiua, procedentis Spiritus Sancti ex natura sua exclusiua; meritò dicitur Paternitas & Filiatio opponi Spiritui Sancto, virtualiter & consequenter: ideoque etiam per ea ita sumpta, distingui.

Ad hoc ipsum argumentum, quidam Iassensis in Moldauia Professor, respondet: præter ordinem originis, & ex eo emanantem Relatiuam oppositionem, dari in Diuinis, ordinem disparitatis: ex quo emanet, relatio opposita, fundata in oppositione termini, è diametro fundamento: qui ordo cùm in Diuinis reperiatur; necesse est, per eum distingui, aliquam personam ab alia: sed cùm à Persona Patris, Filium & Spiritum Sanctum distingui sciamus, per ordinem originis; oportebit Filium à Spiritu Sancto distingui per ordinem disparitatis.

Sed ea responsio, imprimis, gratis & sine vllo fundamento, assumit: ex ordine disparitatis, emanare relationes oppositas, quæ sufficiant ad personas realiter distinguendas. Est profectò inter relationes genitoris & Spiratoris tanta disparitas, quanta inter genitum & Spiratum: cur ergo non emanarent ex illis, oppositiones realiter distinctiuæ: si emanarent ex relationibus geniti & spirati? an quia illæ sunt in vnico supposito, hæ in pluribus realiter distinctis? atqui etiam ipsa supposita non essent realiter distincta: si nihil in eis esset; per quod realiter distinguerentur: nihil autē fore quo realiter distinguātur, si inter ea non interueniat ratio αἰτίου καὶ αἰτιατοῦ docent citati Sancti Patres. Et verò vnicum apud SS. Patres, contra Sabellianos distinguendarum Diuinarum personarum principium fuit; *Nihil producit seipsum*: neque vsquam apud eos reperias, hanc distinctionem per ordinem disparitatis probatam. Gratis idem dicit, per oppositionem è relationibus disparatis ortam, debere, aliquam Personam Diuinam ab alia distingui. Nam vnde de hoc? quis hoc docuit SS. Patrū? quæ ratio probauerit? Illis forte ea incumbit necessitas; qui aliter nequeunt euitare Sa-

tare Sabellianiſmum, qui eis obijcitur: quem tamen neque ſic euitant: cùm relationes diſparatæ geniti & ſpirati, non magis ſint diſtinctiuæ, quàm Genitoris & Spiratoris.

Solent aliqui, ad euertendum teſtimonium S. Gregorij, dicere: ſublatâ ratione principij, id eſt; ſublato Patre, non eſſe quod perſonas Diuinas diſtinguat. Sed errant: nam ſi omnes perſonæ eſſent improductæ, (vt S. Baſilij tempore, aliqui nugabantur:) non eſſet inter eas Pater: & tamen eſſent realiſſimè diſtinctæ.

Eadem occaſione, alia, ab eodem Moldauo, argumenta propoſita, & ſoluta, expendo. Romani, (ait) τὸ διὰ (*PER*) dicunt idem ſignificare quod *EX* vel *A.* quæ particulæ cum Cauſam denotent, etiam τὸ *PER* Cauſam denotabit.

Sed errat: non hoc eſt argumentũ Romanorum: ſed hoc: SS. Patres, cùm dixerunt Spiritum Sanctum procedere à Filio, vel per Filium; vel ſenſere eum procedere per Filium, vt per Miniſtrum, vel vt per inſtrumentum, vel vt per Cauſam ſecundam; & hoc non: quia ſecus eſſent Arriani: vel vt per conſubſtantialem; & neque hoc; ob rationes allatas Quæſito quarto.

Quoniam ergo ob allata argumenta, non poteſt dici Spiritus Sanctus per Filium procedere ob conſubſtantialitatem; dicendum eſt: quòd SS. Patres, dicentes Spiritum Sanctum procedere per Filium; ſenſerunt, Spiritum Sanctum procedere à Filio; non vt à principio improducto, ſed vt à principio omnia Patris habente, præter ſolum gignere. Hoc eſt Romanorum argumentum. At verò: quod à Iaſſenſi proponitur, grauem continet impoſturam. Neque enim Romanis curæ eſt: per particulam *PER* denotare Cauſam: cùm Cauſæ vox, in Diuinis, ab vſu Romani ſermonis exulet: quod vel ipſiſmet Græcis notiſsimum eſt.

Non Cauſam igitur, hâc particula exprimunt Romani: (vt iam olim clariſsimè ſignificauit, Sanctus Maximus in epiſtola ad Marinum:) ſed principium Spiritus Sancti productiuum: virtute non à ſe habitâ, ſed acceptâ, per Originem à Patre: vt à principio Procatarctico: (quod Sanctus Damaſcenus. αἴτιον, Sanctus Thomas authorem vocat:) ad quem intellectum tranſmittit Particula *PER.*

Iam quod in ſuis ſolutionibus, idem Moldauus ſcribit: non ſemper propoſitionem *PER,* in ſcriptura denotare Cauſam; verum dicit: inde tamen non ſequitur; quòd hæc particula *PER,* nullo modo ſignificet actionem ad intra. Oſtendat vel vnum exemplum, vbi in ſermone de proceſsione ad intra, Particula *PER,* aliquid aliud ſignificat, quam Com-

principium actiuum. Quod vero ibidem dicit; quòd, quando sermo est de Creatore ad intra, nullo modo τὸ *PER*, denotet Causam, si non est error calami, vel linguæ, intolerabilis blasphemia est. Nam si in Deo ad intra est Creator; est etiam aliquid, ad intra creatum: quod est Arrianismus: Idem cum dicit: (*cùm sermo est de operationibus ad intra, nunquam simpliciter dici: Qui per Filium procedit: nisi prius additum sit à Patre:*) fallitur: quia in Sacra Scriptura, nunquam hoc legitur: *Qui per Filium procedit à Patre*: in SS. vero Patribus, præsertim Sancto Cyrillo Alexandrino, Sancto Epiphanio, Sancto Chrysostomo, Sancto Augustino, Sancto Leone, dicitur procedere ab ambobus: ita à Filio vt à Patre: substantialiter accipere quidquid habet: &c. sine hoc addito à Patre. Denique, quod ab eo dicitur, vocem *PER* in Scriptura significare vnitatem Essentiæ, dicitur sine vllo fundamento: imo contra Scripturas, Nam vnitas essentiæ Personarũ Diuinarũ; significatur primò per τὸ Apud: Ioannis 1. *Verbum erat apud Deũ.* Et Ioan. 12. *Vita quæ erat apud Patrem.* Ioan. 8. v. 38. *Quod vidi apud Patrem, loquor.* Secundò per τὸ In: Ioan. 10. v. 38. & Ioan. 14. v. 10. & 11. *Ego in Patre & Pater in me est.* Tertiò per τὸ Cum: Ioan. 8. v. 29. *Qui me misit mecum est.* Et Ioan. 16. v. 32. *Non sum solus quia Pater mecum est.* Quartò per τὸ propter: Ioan. 6. v. 58. *Ego viuo propter Patrem.* Quintò significatur eadem consubstantialitas, per illa verba; *Ego & Pater vnum sumus. Vnigenitus qui est in sinu Patris: cùm in forma Dei esset &c.*

Inter tot loquendi modos, quibus Scriptura significat Diuinarum personarum consubstantialitatem, non potuere hactenus vnum locum reperire Græci: vbi τὸ *PER* significet consubstantialitatem: deberent ergo, fucum hunc quo sibi alijsque imponunt, tandem abijcere. Alijs eiusdem Mathæologijs, obijcio Sanctum Basilium: qui libro de Spiritu Sancto, accuratissimè eas voces *PER, CVM, IN*, explicauit. Ex eo, qui volet, discat: τὸ *PER*, idem esse, quod *EX*: & aduersarij, ex capite 7. & 8. velint doceri: quantum differat *PER* à *CVM*: & erubescant, qui pertinaciter tueantur, idem esse procedere per Filium, quod procedere cum Filio: quod asserunt sine vllo testimonio SS. Patrum: imò contra expressam Sancti Basilij doctrinam: & cum graui hæreseos periculo. Si enim licebit, τὸ διὰ vel *PER*, dicere, idem esse, quod *CVM*; tunc Arriani verba illa, *Omnia per ipsum facta sunt*, Græcos imitati, ita explicabunt: Omnia cum ipso facta sunt: habebuntq; Græci, sui commenti fructũ, incrementum Arrianismi. Multò sanè Orthodoxæ fidei conuenientiùs facerent: si manus

ſi manus darent S. Baſilio : docenti eodē libro : has voces, *Per & Ex, idem in Sacris literis ſignificare : plerumq; tamen Patri tribui τὸ Ex Filio Per : vt inconfuſa conſeruetur Patris & Filij notio* : (ita docet Cap. 7.) vel vt, *Per τὸ Ex tributum Patri, & P E R, tributum Filio; procatarctica cauſæ confeſſio ſignificetur* : vt loquitur cap. 8. cùm ergò æquè in actionibus ad intra, atque in actionibus ad extra, oporteat inconfuſam Patris & Filij notionem conſeruari; & procatarcticæ cauſæ confeſsionem explicari; nihil mirum eſt: ſi PP. Græci, ſcribentes contra Eunomianos & Pneumathomachos, aſſerentes Spiritum Sanctum à ſolo Filio produci; Filio maluerint tribuere particulam *P E R*, non ſolùm in actionibus ad intra, ſed & in actionibus ad extra: ne ſi τὸ *E X*, Filio tribuiſſent, inferrent hæretici Spiritum Sanctum procedere ex Filio, vt à cauſa procatarctica: atque ideo non procedere à Patre. Poſtea Eunomianis extinctis, etiam Græci Patres, in explicandis proceſſionibus Diuinis, promiſcuè & indifferenter, tam particulam *EX*, quàm *PER*, Filio tribuebant: imo etiam & Patri tribuebant, particulam *P E R*. Sed de his ſatis multa dicta ſunt ſupra.

Secundò : proponit idem hanc rationem Romanorum. Si ſpiratio Spiritus Sancti eſſet proprietas incommunicabilis Patris, Spiritus Sanctus eſſet Filius. Conſequens eſt inconueniens. Ergo &c. Sequelam probat. Quia tunc Spiritus Sanctus à Patre eſſet.

Sed, vel male aſſecutus eſt ſenſum Romanorum, vel fraudulenter diſſimulauit. Aliter illi Sequelam probant. Nempe ſic. Quæcunque perſona eſt immediatè à ſolo Patre, eſt Filius. Spiritus Sanctus iuxta Photianos, eſt immediatè à ſolo Patre. Ergo Spiritus Sanctus, iuxta eosdem, eſt Filius. Atque eâ de causâ Sancti Patres, Sanctus Baſilius, Sanctus Nyſſenus, Sanctus Epiphanius, hanc aſsignant cauſam, quòd Spiritus Sanctus non eſt Filius, quia non producitur μονογενῶς : id eſt ex ſolo Patre nec immediatè ex primo : ſed per eum qui eſt ex primo : ſeu, vt loquitur Sanctus Epiphanius, ex vtroque.

Alij ſic : Cui in Diuinis conuenit, perſonam eſſe ſecundam, hæc neceſſariò & immutabiliter, propter veritatem Euangelij, eſt Filius. Spiritui Sancto, procedenti à ſola prima perſona, conuenit eſſe ſecundam perſonam. (Quæ enim Perſona ſolam ante ſe præſupponit primã, hæc neceſſariò eſt perſona ſecunda.) Ergo Spiritus S. procedens à ſola prima Perſona, eſt Filius.

Hîc aliquid monſtroſum, Moldauus comminiſcitur. Fingit is Diuinas duas potentias Spiratiuas : vnam abſolutam : eamque competere communi eſſentiæ exiſtenti in tribus ſuppoſitis : alteram productiuam ; eamque eſſe primæ perſonæ proprietatem.

Sed si; dantur in Diuinis, duæ Spiratiuæ potentiæ, dari quoque oportebit duas Spirationes: cùm in naturalibus Diuinis, posse, idem sit, quod esse: (eò quod actum purum impossibile sit componi ex actu & potentia:) quod si admittatur, admittendi consequenter erunt duo Spiritus Sancti: (Cùm impossibile sit, aliquam actionem dari, quæ sit sine suo formali termino: qui per eam producatur: vel saltem reproducatur.) Atqui in Diuinis duos admittere Spiritus Sanctos, monstrosa blasphemia est: Ergo paris monstrositatis, amentia est, dicere: dari in Diuinis duas potentias Spiratiuas. Catholica doctrina est: vim Spiratiuam, vnicam esse in Diuinis: nempe productiuam: (implicat enim in adiecto, esse vim Spiratiuam: & tamen nullius Spiritus productiuam:) eamque, conuenire, vel essentiæ quatenus existenti in duabus personis, ordine & axiomate prioribus Spiritu Sancto: quod aliqui volunt: vel certè, conuenire notionaliter Personæ primæ & secundæ.

Tertiò proponit hanc rationem. Romani docent: per prius originis, genitum esse Filium, per posterius Spiritum Sanctum procedere; alioqui confunderetur ordo in Diuinis Processionibus. Respondet. Admittunt id Græci: sed, sub eo sensu: quatenus illud prius & posterius originis, á sola persona Patris, ab æterno, simul & semel actualiter exercetur: tanquam id, quod in primo instanti naturæ, expeditū est ad agendum. Nam secus, plures darentur productiones in Diuinis, quàm fide receptum est. Nam cùm Pater est, & cùm producit, & cùm intelligitur communicare Filio productionem; iam intelligi necesse est: Patrem in priori naturæ, Filium in posteriori producere: & sic Filius, vel rursus produceret illud quod iam à Patre productum est: vel aliquid diuersum: vnde pluralitatem productionum sequi oporteat.

Hoc responsum prolixiùs expendere debeo: sum enim sæpiùs expertus plerumque, Photianis etiam insigniter doctis, non constare: quid significet prioritas, vel posterioritas originis: vel (vt Græci loquuntur) ordinis, & axiomatis. Sunt enim: qui in his, imaginantur, τὸ Ante & post: atq; inde inferunt, ea esse simul origine; de quibus certum sit, non dari vllum instans, quo producatur, vnum originatum, & non producatur alterum: atque hoc exemplificant: per duos geminos, simul & semel, (data per miraculum corporum penetratione;) genitos: meliùs exemplificarent, in duobus radijs, simul & semel ex vno sole; vel in duobus riuulis, ex eodem fonte, simul & semel emanantibus: vel in duobus Angelis, in eodem instanti creatis.

Verùm hi, Romanum, Sanctisque Patribus, & antiquis Theologis. vsitatissi-

tatissimum sensum, non attingunt: apud quos, prioritas & posterioritas Originis, est habitudo, non quâ dicatur, vnum ante alterum, & quâ dicatur vnum post alterum, ex aliquo tertio: (in hoc enim sensu, nullus quod sciam Theologorum, Sanctorumque Patrum, hos terminos in Diuinis processionibu, accepit:) sed solùm est habitudo, quâ vnum sit ab altero: & non vice versa.

Eam prioritatem, vocant, vt dixi, SS. Patres Græci, maioritatem Causæ: vel prioritatem ordinis & axiomatis: vtrique simultas est impossibilis. Nam, vt, secundum & tertium, simul sint ordine; est impossibile: & vt producens & productum; simul sint axiomate; est impossibile: consequenter prioritati vel posterioritati originis ita explicatæ, (talem autem solam in Diuinis SS. Patres & Theologi admittunt:) est impossibilis simultas. Nec enim, in eo sensu, aliqua duo simul esse possunt origine: nisi producens, quod modo, ex eo præcisè prius origine dicitur, quia produxit; producatur ab eo; quem produxit.) Atque ita in eo solo sensu, Spiritus Sanctus & Filius essent simul origine, vel τάξει καὶ ἀξιώματι, si quo instanti Filius producit, vel originat, Spiritum Sanctum; eodem ipse produceretur, & originaretur à Spiritu Sancto: quod est impossibile. Est igitur impossibilis in Diuinis simultas Originis. Duorum autem simul originatorum emanationem, nemo vnquam Sanctorum Patrum, & nemo Theologorum, vocauit simultatem originis: sed solùm simultatem durationis: & coæternitatem. Quocirca proprietas Originis, soli est propria mijsterio Sanctissimæ Trinitatis: in qua exclusis Ante & Post, solùm est habitudo, vel (vt Græci loquuntur) dependentia Secundæ Personæ à Prima: & Tertiæ ab vtraque. Est tamen, huius prioritatis, aliqua in creatis similitudo. Prima adducitur à Sancto Athanasio, loco citato, in Quæsito Tertio: solis radij, & lucis, ex vtroque procedentis. Secunda recentioris cuiusdam Theologi: *Verbum (inqtit) ex ore hominis prolatum, ex tribus integratur: Halitu: Sono; articulatione: dicat quis, quid horũ prius est?* nunquam profectò sol fuit sine radio, & sine luce: nunquam verbi articulatio, sine halitu: & sono: simul hæc tria necesse est esse: & tamẽ luci, necessariò præintelligitur radius, & sol: non vice versa: & verbi articulationi, necessariò præintelligitur halitus, & sonus, non vice versa. In quibus exemplis, etsi sit aliqua prioritas naturæ, (quæ, loquendo magis propriè, à Diuinis excludenda est:) est tamen in eis aliqua Diuinæ prioritatis & posterioritatis similitudo. Nam, & in Processionibus diuinis, simul omnino necesse est, esse generationem actiuam, quâ constituitur Pater: & Passiuam, quâ Filius: & Spirationem actiuam, quâ Spiratur Spiritus Sanctus. Horum enim

(teste Sancto Athanasio in Symbolo) nihil prius, nihil posterius est: ordo tamen inter eas processiones naturalis & omnino immutabilis hic est: vt generationi passiuæ, præintelligatur generatio actiua & Paternitas, quæ constituit Patrem: & consequenter, vt Spirationi actiuæ præintelligatur generatio passiua, & Filiatio: vt pote correlatiuum generationis actiuæ, & paternitatis per quam hypostaticè constituitur Pater. Re ita intellecta, non est quod timeatur, pluralitas actionum. Actio enim, (vt ingeniosè speculatur Manuel) & Forma, quâ Pater constituitur in esse Patris; est generatio Actiua: quâ Filio communicatur totum esse Diuinum: solâ excepta Paternitate. Operatio verò, immediatè consequens, constitutionem formalem personæ Patris, & per Filium suum Formale correlatiuum completam; est spiratio actiua: quæ iam, non potest non esse communis Filio: cùm æqualitas Filij DEI quam habet cum Patre, exigat; vt quidquid consequitur, formalem constitutionem Personæ Patris, sit commune Filio cum Patre. Ita commodissimè euitatur confusio personarum: quia negatur Filio id, quod constituit Patrem in esse Patris: & euitatur inæqualitas Filij, quia tribuitur Filio ea operatio, quæ consequitur formalem constitutionem Personæ Patris. Malè igitur imaginatur Moldauus: quasi Romani doceant, Patrem spirare, in priori naturæ: Filium in posteriore: malè inquam: quia vterque, in eodem instanti spirat. Nam Pater non priùs spirat, quam Filius spiret. Non enim prius Pater spirat, quàm sit emissor: non est autem emissor; nisi post quam est constitutus in esse Personæ Patris: constituitur autem in esse personæ Patris, per paternitatem, seu generationem Filij. Ergo, à primo ad vltimum, non priùs spirat Pater, quam sit genitor Filij: & quàm sit correlatiuum eius, Filius, omnia Patris habens: atque ideo, vnica & indiuisa operatione, cum suo genitore spirans Spiritum Sanctum.

QVÆSITVM IX.

An adsint aliquæ Populares rationes, quibus apertè ostendatur, doctrinam hanc, quòd Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio, esse Orthodoxam.

ETiam has, quia me omnibus debitorem agnosco, affero.

Sanctus Anastasius Sinaita, Patriarcha Antiochenus, à Sexta Synodo Oe-

nodo Oecumenica magnopere laudatus, in libro variarum quæstionum : proponit hanc quæstionem 117. An sit aliqua compendiosa ratio : quâ, homo rudis instructus, hæretico occurrere possit; & respondet : optimam viam esse, quam Alexandriæ, sequutus est rudis quidam, sed prudens Catholicus : cum Seuerianis disputando. Interrogauit illos : si quis Rex haberet conclauia, domosque pretiosas, vbi peragerentur omnia eius arcana consilia; quibus ea credet? Num sibi fidis, an infidis? Responderunt illi : manifestum esse : eiusmodi loca, non nisi fidelibus à Rege concreditum iri. Tunc ad illos Catholicus. Discite ergo, nullam in terris reperiri veram fidem, nisi illam, quam Catholica Ecclesia profitetur. Ideo commisit nobis Deus, omnia loca Sancta & domicilia necessaria, in quibus tempore peregrinationis suæ, sua mijsteria peregit : hoc est : Nazareth, Montem Tabor, Bethleem &c. Si ergo nos malè de rebus Diuinis sentimus, vos autem bene; non rectè egit Deus, cùm Sacra ista loca, nobis tradidit. Si oggeratis : nos vi tyrannica, hæc loca obtinere : nullius negotij erit vos falsitatis arguere. Ecce enim, cùm barbari, regionem, in qua sunt loca Sancta, occupent; haud passus est Deus ea à nobis auferri. Similia habentur Tomo secundo operum S. Athanasij : in quæstionibus ad Antiochum quæs. 44. vbi additur : *Deum, licet aliquando, hæc pretiosa sui palatij cubicula, ad breue tempus, in hæreticorum manus tradiderit; mox tamen iterùm Catholicæ Ecclesiæ restituisse : pulsis hæreticis tanquā porcis.* Hæc illi. Eum in modum titubanti idiotæ, veritas Catholica poterit intimari. Quærendum ex eo est. An Virgo Beatissima Deipara, eiusque Sanctissimus Filius, censeri possint fauere, malè credentibus, & hæreticis vel non? Si non; concludendum est : Catholicos, qui Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio credunt, bene credere : eos autem, qui hoc negant, malè credere : Qui enim maior exhiberi potuit Romanis, à Sanctissima Deipara, & Incarnato Verbo fauor? quæ item maior Græcis infligi potuit pæna, quàm quòd pretiosissimum illud orbis vniuersi palatium, domus illa Nazarethana, in qua profundissimum mijsterium nostræ fidei peractum est : in quâ, inquam, Humillima Virgo in Dei Matrem & æterni Patris Comparentalem euecta est : in qua, *Verbum Caro Factum est* : non ministerio, vel industriâ hominum, sed purissimis Angelorum manibus, per loca adeo dissita, & interiacens mare, vsque in Italiam Lauretum translatum est? An ergo hoc ipsum tam euidens miraculum, tantus à gloriosissima Deipara, & Verbo Incarnato, Romanis exhibitus fauor, non est sufficiens & conuictiuum, veræ fidei ab Occidentalibus conseruatæ, argumentum?

Huc accedit, quòd è locis Sacris, quæ in Turcicam seruitutem deuenere, præci-

re, præcipua; Catholicorum, ac in primis Sanctissimo & Seraphico Ordini Patrum Sancti Francisci, Regularis obseruantiæ, regimini & custodiæ commisa sunt. Nam primò, Sanctissima Christi Domini incunabula Bethleemitica, eorum Patrum deuotioni, & religiosæ pietati commisit Deus. Iidem possident, Domus Nazarethanæ, Virginis Beatissimæ fundamenta: & Templum, Turcis etiam ipsis venerabile. Iidem, Sepulchro Christi Domini contiguum habent Monasterium. Iidem soli, ad monumentum Beatissimæ Virginis liberum habent accessum: & ingressum: quem eis miraculosè Beatissima Virgo obtinuit: vti refertur in Elucidatione Terræ Sanctæ: Tomo secundo, Lib. secundo Cap. secundo editâ à R. P. Francisco Quaresmio Ordinis Minorum Theologo, olim Terræ Sanctæ præside, ac Commissario Apostolico. Ex quo plura legi & disci possunt: quæ eorum pietati benignissimus commiserit Iesus. Vt quemadmodum, Sanctissimum eorum Patriarcham, in suorum vulnerum societatem prodigiosa dignatione admisit; ita videatur; singulari erga hunc Ordinem amore, eiusdem Filijs, eorum pleraque, quæ in diebus carnis suæ habuit carissima, tanquam fidelissimis thesaurarijs, credidisse.

Huc item seruiunt, nobilissimæ Christi Domini Reliquiæ, Romam, vel ad alias Occidentalis Imperij ciuitates, translatæ. Ita, Sanctissimum illud Christi Domini præsepe, summis laudibus à multis Sanctis Patribus exornatum, Romam est translatum: & in Ecclesia Sanctæ Mariæ Maioris honoratur. Romæ item, in Ecclesia Sanctæ Praxedis, est illa columna, cui alligatus fuit Christus Dominus, dum flagellaretur. Romæ, in Ecclesia S. Petri, est lancea, quâ eiusdem Domini latus perfossum est. Romæ item in Ecclesia Lateranensi, est Christi Domini subucula à Virgine Beatissima suo dilectissimo Filio contexta. Eiusdem Tunica inconsutilis, habetur Treuiris: Clauus vnus Mediolani: alter Cracouiæ cernitur. Syndonum, quibus Corpus Christi Domini fuit inuolutum, alteram habet Taurinum Sabaudiæ: alteram Vesontio. Spineam Coronam, Ludouicus Rex Galliæ, teste Genebrardo Chronol. Lib. 4. à Græcis emit: & Parisiensi Ecclesiæ donauit. Huc accedunt: Sacra Lypsana Sanctorum Apostolorum: Martyrum: Doctorum: ex Oriente in Regna Occidentalia, translata: præsertim Thaumaturgum Corpus Sancti Nicolai: quod, ipso Sancto Nicolao ita volente, ex Græcia in Italiam translatum est: non sine singulari testimonio, fidei Catholicæ à Romanis conseruatæ: vt videre licet in libris Slauonicis antiquis: nam in nouis pleraque eiecta sunt. Vt hoc ipsum satis sonorè clamet; fidem Græcam, non solùm Historicè, sed etiam Ethicè Græcam esse: id est fallacem. Non potuit profectò, nisi ex maleuolo in

veritatem

veritatem animo, procedere: quòd à verbis illis, *Quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui*; expuncta sit vox Iesus: cùm tamen, in antiquioribus codicibus habeatur: vt supra retuli. Ab eodem animo processit, quòd ex verbis supra citatis, Anatolji Patriarchæ, verba illa, *vmiesz dawać od Vst*; aliqui conuerterint in *odpust*: sine vllo sensu & nexu. Plures Slauonicorum Codicum corruptiones collegit, Reuerendissimus & Religiosissimus Archimandrita Dermanensis: quas vtinam ederet in lucem: miraretur Russia, summam in corrumpendis antiquis codicibus quorundam suorum Doctorum audaciam. Probari adhuc veritas Catholica potest, per hoc; quòd Magistri & duces eorum, qui Spiritum Sanctum à solo Patre procedere volunt, fuerint homines valde mali, & malè perierint. Quãtus nebulo fuerit Photius; prolixè ex Actis Concilij Octaui describit Baronius: atq; vt vixit Apollonio Thyanæo simillimus; ita simili morte extinctus est. Deinde, Michael Cerullarius, fuit homo factiosus, qui suis artibus, Michaelem Stratonicum optimum & pijssimum Imperatorem, imperio exuit: & Isacio Commeno Successori Stratonici, summâ arrogantiâ, deiectionem minitatus est: à quo etiam in Proconesum relegatus, miserè ibidem obijt. Denique Ephesius, fuit, (teste doctissimo, & ob vitæ Sanctimoniam, ipsis etiam Turcis venerabili Patriarcha, Gennadio, lib. vel cap. 5. Secti. 13.) *homo (inquit) nec satis mentis compos, sed tumidus sapientiæ ostentator: virtute nulla &c.* Quâ morte obierit; refert Iosephus Methonensis Episcopus. T*u* (Ephesie Marce) *qui impudenter Patriarcham Constantinopolitanum, & qui cum eo Ecclesiæ Romanæ in Synodo Florentina vniti sunt, calumniaris; cum ani stercore, animam efflasti. Testatur hoc, vniuersa Constantinopolis. Ita, nouit Dei iustitia, expendere vnumquemque ex fide, quam habet: & vt olim Arrius, qui nomen à furore traxit, viscera effudit deorsũ; ita tu stercus, per os egessisti.* Hæc tunc ille. Vt hinc pateat: quantum Verbis, eius oris, tribui debeat; quod Deus tali morte puniuit. Sequamur ergo Catholici, Chrysostomum: non inuidentes Schismaticis Coprostomum.

Probari Tertiò potest idem: excidio Vrbis Constantinopolitanæ, & Imperij Orientalis euersione. Nihil hîc è Latinis affero. Audiatur Græcus: & quidem primus sub seruitute Turcica Constantinopolitanus Patriarcha, Gennadius: oculatus huius excidij testis. *Postquam (inquit) Nicolaus V. Pontifex, literis ad Constantinum Imperatorem* Anno 1451. *missis, excidium Vrbis prædixisset his Verbis: Tres annos expectabimus: si vos fortè à Schismate & separatione conuerteritis; si verò non; excindemini, ne terram otiosam & inutilem reddatis. &c. Tertio ab hac comminatione anno, nempe 1453. in ipso*

Festo Pentecostes, (vt multi illius æui testantur Historici :) *capta est Constantinopolis : & factum miraculorum maximum miraculum : quòd Græcorum gens magna, & formidabilis, sapiens, fortis, terrarum Domina, ob Diuinam vltionem in barbarorum seruitutem redacta sit.* Deinde, idem descripto lachrymabiliter excidio, & euersione Imperij, quærit. *Quamobrem ergo hæc? vel vos mihi dicite per Dominum. An ob scelera nostra? atqui sunt aliæ nationes, magis quàm nos, peccatis & sceleribus obnoxiæ. Certè nostra natio, nec idolis vnquam seruiuit : neque Dei Filium crucifixit : & tamen maiora quàm Iudæi patitur. Facta enim est serua non solum gentium, sed & Iudæorum : qui sunt serui gentium. Non possum ergo aliam huius pœnæ reperire rationem ; nisi schisma : & quòd natio nostra se subtraxit ab obedientia Romanæ Ecclesiæ. Eam solam decerno esse causam, interitus nostræ gentis : quia postquam ab ea diuisi sumus, deteriores euadimus.* Hæc Sanctissimus & doctissimus Constantinopolitanus Patriarcha : qui ibidem feruentissimè Græcos ad execrationem Schismatis, adeo toti Orientali Imperio perniciosi, exhortatur. Terribile itē, & bene notandum est, quod scribit oculatus testis, Constantinopoli degens, Pantaleon, relatus in Supplemento. Bibl. Magnæ *Fol. 1070. Post anathema (inquit) in Cerullarium, à Legatis, Romani Pontificis iactum, liminare marmoreum, in Basilica Sanctæ Sophiæ dissolutum est : statimquè, talis clades est subsecuta : vt diebus paucis, 60. Græcorum millia, morerentur : nullo interea alienigena mortuo : & per triduum inæstimabiles coruscationes & tonitrua extiterūt.* Quæ facta esse, Anno Domini 1055. Indictione octaua, se Constantinopoli præsente, testatur idem Pantaleon.

Populares etiam videntur rationes : quas affert Demetrius Thessalonicensis. Prima est : *Si quæreretur ; vtri verisimiliùs, ad suam tuendam sententiam, non veritatis studio, sed ex aliqua passione moueantur ; videretur, Græcis id potius quam Latinis tribuendum. Nam Latinis, ex eo, quòd doceant Spiritum Sanctum procedere ab vtroque ; nec aliqua malorum liberatio, nec vlla nouorum bonorum acquisitio accederet. Græci verò, hunc se fructum huius dogmatis & Schismatis habituros aduerterent : quòd nulla deinceps, Romam, ab eorum decretis futura esset appellatio : quòdquè ipsis Patriarchis, non ampliùs timendum esset Pontificum Romanorum iudicium : à quo, non pauci antea Patriarcharum Orientalium grauiter puniebantur : quòdquè ijdem, tandem essent futuri in secura possessione tituli Oecumenici Patriarchæ ; quem Romanis obsistentibus Pontificibus, priùs habere non poterant. Est ergo verisimillimū, Græcos moueri passione, non Latinos.*

Secunda : *Qui dicunt Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio, nullum subeunt periculum. Nam, & Spiritui Sancto nihil detrahunt : cui tam gloriosum*

riosum sit procedere à Patre & Filio : quàm à solo Patre. Nihil item detrahunt Filio & Patri : addunt autem plurimum. Filio quidem, quòd sit vnus cum Patre Spirator : Patri verò, qvod sit genitor Spiratoris. Qui verò id negant, nihil addunt Personis Diuinis : Patri autem & Filio plurimum detrahunt.

Tertia hæc: *Romani, (inquit) suæ fidei, in die nouissimo, multas poterunt reddere rationes. Quòd v.g. in Diuina Scriptura, multa fuissent, ex quibus SS. Patres, reuelatam esse Spiritus Sancti ex Patre & Filio processionem collegerunt : quòd id multi Sanctorum apertè docuerunt : quodquè id æqualitas Patris & Filij exigere videretur, vt omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem. At, qui dicunt, Spiritum Sanctum ex solo Patre procedere; neque ex Scriptura, neque ex Sanctis Patribus, vllam poterunt sui erroris adferre excusationem.*

Denique, Barlaami coniecturæ, eam ipsam veritatem, satis plausibiliter illustrant. Quærit is: Cur in Sacra Scriptura, primæ personæ diuinæ, quâ est principium productiuum Filij, assignetur nomen speciale Patris : cùm tamen ei, quâ est principium Spiritus Sancti, nullum speciale nomen assignetur : & Respondet : *nullam aliam posse dari causam, nisi quòd sola Prima persona producit Filium : non sola autem Spiritum Sanctum : ne ergo, quod commune duabus personis est, proprium vnius putetur; nullum speciale nomen, productori Spiritus Sancti assignatur.*

Quærit Secundò: quare licet omnes actiones ad extra, sint toti Trinitati communes, sæpe tamen in Scriptura dicatur : Pater facere Verbo : & per Verbum : & tam Pater quàm Filius, facere aliquid Spiritu Sancto & per Spiritum Sanctum; nunquam autem dicatur; Verbum aliquid operari Patre, vel per Patrem; neque Spiritum Sanctum operari aliquid per Patrem & Filium. Respondet id fieri. *Quia communitas operationum ad extra in Patre, est neque à Filio, neque à Spiritu Sancto : in Filio à solo Patre : in Spiritu Sancto à Patre & Filio.* Concludo hoc quæsitum : ratione, quâ suos doctissimos libros concludit, Hugo Hæterianus. *Si Spiritus Sanctus produceretur à solo Patre; produceretur Spiritus Sanctus, sine concursu virtutis & Sapientiæ Dei : (Filius enim Dei virtus & sapientia est.) Consequens est inconueniens : quia secus secundũ hoc, productio S. Spiritus esset fatua & impotens; quod est blasphemum. Ergo Spiritus Sanctus non producitur à solo Patre.*

QVÆSITVM VIII.

An sint aliquæ Scripturæ, Concilia, Sancti Patres, à quibus doceatur Spiritum Sanctum ex solo Patre procedere.

NVllæ: nulla: nulli. Nullæ Scripturæ. Nã qui id probare volunt ex verbis illis; *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit:* peccant multipliciter.

Peccant primò: in ipsum Diuini Codicis corpus: quando textui adijciunt, vocem Solo: veri sensus, Sacræ Scripturæ, á Sanctis Patribus afferri soliti, euersiuam: perinde inquam peccant: vt illi; qui, cùm ad Romanos 3. legunt; nos iustificari per fidem; addunt vocem Solam: & quomodo peccarent; qui dum dicunt in Symbolo Nycæno, Patrem omnipotentem; quod ibi de Filio & Spiritu Sancto non dicitur; & Filium, Deum verum de Deo vero, quod ibidem de Spiritu Sancto non dicitur; Spiritum Sanctum viuificantem, quod ibi nec de Patre nec de Filio dicitur; assererent solum Deum Patrem esse omnipotentem: solum Filium esse Deum de Deo vero: solum Spiritum Sanctum esse viuificantem. Peccant præterea in Sacram Scripturam: quomodo peccaret, qui dum legit, Sancto Petro reuelatam esse, à Patre Christi Diuinam Filiationem; inferret, eam reuelationem esse factam à solo Patre: aut, qui, dum legit Spiritum bonum dari à Patre, Mat. 10. v. 20; inferret eum dari à solo Patre: quomodo denique peccaret, qui negaret Patrem & Spiritum Sanctum esse Deum; quia Ioannis 1. dicitur. *Et Verbum erat Deus.* O telum verè plumeum! quo tamen se omnes Latinos, vno ictu, nouus Bombomachides Photius, iugulaturum putabat.

Atqui, si scriptum fuisset; *qui à Patre solo procedit*; adhuc Christiani, credentes Filium omnia habere quæ sunt Patris; deberent ea verba, ita explicare; vt explicant illa Ioan. 17. ℣. 2: *Hæc est vita æterna vt cognoscant se solum verum Deum*: vel illa; Mat. 24. v. 36. & Marci 13. v. 32; *de die illa nemo scit neque Filius nisi solus Pater.* Vt enim, loco primo, solos falsos Deos, excludendos dicunt; atque vt Secundo loco, Sanctus Basilius epistola 391. ad Amphilochium Iconij Episcopum, docet: id tantùm dicere velle Christum: *de die illa nemo nouit, neque Angeli Dei: sed neque Filius ipse nouit nisi Pater; hoc est: causa & principium à Patre est, vt Filius cognoscat: seu; neque Filius nouisset: si non Pater. Nam, à Patre proficiscitur,*

illius co-

illius cognitio : ita hîc, ad ſaluandam Patris cum Filio æqualitâtem dicere deberent ; per verba illa ; *Qui à ſolo Patre procedit*, excludi eos ſolos, quibus dicere non liceret ; *De meo Spiritus accipiet : quia omnia quæ habet Pater mea ſunt* : & qui non niſi blaſphemans inſufflando dicerent : *Accipite Spiritum Sanctum* : dicere item poſſent ; ideo dici Spiritum Sanctum procedere à ſolo Patre : quia cauſa & principium à Patre eſt, vt Filius ſpiret. Quodſi, præſente particula *SOLO*, argumentum adhuc eſſet infirmum : quantò magis ea abſente !

Peccant Secundò contra Concilium Epheſinum : quod damnauit Theodoretum : qui ex his ipſis verbis inferebat ; Spiritum Sanctum nec à Filio nec per Filium procedere : & contra Concilium Conſtantinopolitanum Secundum, quod ſimiliter Theodoretum damnauit : & Sancti Cyrilli, omnia contra eum ſcripta, ſequutum authoritatem Epheſinorum Patrum, approbauit.

Peccant tertiò, contra Sanctos Patres, quorum nec vnicus fuit, qui ex his verbis, proceſsionem ex Solo Patre inferret : adeo, vt, neque Theophilactus, etſi Photiani erroris complex, auſus fuerit hiſce verbis, ad ſuum tuendum errorem abuti : qui, nec poteſt, nec debet dici corruptus : cùm etiam Slauonicè ſcriptus, ita de verbo ad verbum loquatur : vt habetur in Græco & Latino. Præterea ſatis firmum argumentum eſt : in his verbis, *Qui à Patre procedit* ; non poſſe ſubintelligi à Solo : quòd neq; Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, neque Sanctus Cyrillus, neque Origenes, neque Sanctus Auguſtinus, qui accuratè Euangelium Sancti Ioan. interpretati ſunt ; neque vllus, quod ſciam, ante Phocium docuerit ; per hæc verba, *Qui à Patre procedit*, ſignificatam eſſe Spiritus Sancti proceſſionem à Solo Patre.

Alias certè conſequentias, ex eo loco inferunt SS. Patres : nempe : vel quòd Spiritus Sanctus nec ſit genitus : nec Filius : ſed procedens : (hoc infert Sanct. Athanaſius : Tomo ſecundo, epiſtolâ ſecundâ ad Serapionem :) vel quòd Spiritus Sanctus non à ſolo Filio, ſed à Patre quoque procedat : (quæ illatio eſt Sancti Baſilij Magni lib. ſecundo contra Eunomianos in fine :) vel quòd producatur à Patre & Filio : quod inferunt Sanctus Epiphanius, & Sanctus Cyrillus, ſupra citati. Repeto verba Sancti Cyrilli : *Cùm (inquit) Spiritũ veritatis, id eſt ſuum, (ipſe enim eſt veritas :) dixiſſet ; à Patre ipſum procedere ait : Nam vt Filij eſt naturaliter, Spiritus in ipſo manens, & per ipſum procedens ; ſic eſt & Patris. Quibus autem communis eſt Spiritus, hi vtique ſubſtantiâ non differunt.* Ex eâ explicatione patet : per hunc

ipſum locum, non magis doceri, Spiritus Sancti proceſſionem eſſe à Patre, quàm eſſe à Filio, qui veritas ſit: omnia Patris habens. Eſſe enim Spiritum Sanctum à Filio: innuitur hîc: tum per illa verba; *Spiritum veritatis*: tum per illa; *Quem ego mittam vobis à Patre*. In Diuinis enim, propriè loquendo, non poteſt dici, perſona Mittens, præſertim æternaliter; niſi quæ rationem habet principij, reſpectu perſonæ miſſæ: eaque ſola ratio eſt, cur Pater non dicatur mitti: (teſte Sancto Auguſtino Lib. 4. de Trinitate Cap. 20. & Tomo 6. contra Sermonem Arrianorum Cap. 4.) *Quia ſolus, non habet authorem, à quo procedat*. Cuius ratio vlterior eſt: quia ad Miſsionem requiritur: vt perſona quæ mittitur, aliquo modo, à mittente moueatur: vel per imperium: vel per conſilium: vel per virtutem impreſſam: vel naturali origine: quomodo ramus mittitur ab arbore. Quorum, quia, nihil conuenire poteſt Diuinis perſonis; præter vltimum; non poſſet dici: Spiritũ Sanctum mitti à Filio æternaliter; niſi ab eo naturalem duceret originem.

Reſpondet quidam: per eam miſsionem, ſolùm intelligi, voluntatis identitatem, operum proportionem, ſeu beneplacitum Patris & Filij. Sed errat: Nam ſi ob hoc beneplacitum, dicitur Spiritus Sanctus mitti à Patre & Filio; Ergo etiam, eam ipſam ob cauſam, Pater & Filius, cùm veniunt ad hominem iuſtum, vt manſionem apud eum faciant; (Ioan. 14. v. 23.) tam verè dici debebunt mitti à Spiritu Sancto, quam verè dicitur Spiritus mitti à Patre & Filio: ſiquidem eâ voluntatis identitate, venit ad nos Pater & Filius, quâ venit ipſe Spiritus Sanctus. Conſequens tamen euidenter eſt falſum: nec enim vllus vnquam auſus eſt dicere: Patrem mitti ad nos; à Spiritu Sancto. Ergo hoc commentum futile, & falſum eſt.

Dices: Apud Iſaiam, miſſus dicitur Filius à Spiritu Sancto. Reſpondeo, jam dixi ſupra; nomine miſsionis iſtic intelligi Incarnationem; vt præter ſupra citatum Sanctum Fulgentium, docet expreſsé Sanctus Baſilius Magnus Lib. 3. contra Eunom. *Fol. 754. Eſaias (inquit) ex Perſona Domini, videlicet ſecundùm humanitatem eius; Dominus, inquit, miſit me: & Spiritus eius.* Eſt etiam probabilis animaduerſio Origenis, Tractatu 5. in Math. C. 18. locum illum Iſaiæ ita legendum eſſe: *IEHOVA miſit me & Spiritum eius. Quoniam, (inquit) in Græco Spiritus Sanctus generis neutrius eſt, & non maſculini, quomodo apud Latinos: propterea transferentes in Latinum Sermonem, nominatiuum pro accuſatiuo poſuerunt: & dixerunt: & nunc Deus miſit me & Spiritus eius: cum ſit veriùs, ſic eſſe in Græco: & nunc Dominus miſit me, & Spiritum ſuum.* Addit tamen poſtea: *ſi La-*

tina ver-

tina versio retinenda sit, ita dici à Spiritu Sancto missum esse Filium: vt ab eodem dicitur ductus in desertum: nempe quoad humanam naturam.

Igitur hic locus Sacræ Scripturæ, multum patrocinatur profitentibus Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio; dicentibus autem, eum procedere à Solo Patre minimè seruit. Affirmatio enim vnius, non tollit affirmationem alterius: & qui affirmat vnum; tacet, etsi non neget alterum. Præclarè hoc significauit, Sanctus Gregorius Nazianzenus: agens contra Apollinaristas negantes Christum habuisse animam rationalem; eò quòd scriptum esset: ***Verbum Caro factum est.*** *Si huic (inquit Sanctus Theologus) loco innituntur; tempus est: vt, ipsi dicant; Deũ, solùm esse carnium, non animarum Deum: quia scriptum est: ad te omnis caro veniet:* Psal. 64. *aut rursus: solam Iosephi animam in vincula à Pharaone coniectam esse: quia dicitur* Psal. 14. *Ferrum pertransijt animam eius.* Hoc sibi applicent Photiani: & tandem discant: cùm aliquid in scriptura aliquo loco tacetur; non continuò negari: sibi dictum putent: quod idem Sanctus Theologus Orat. 37. de Spiritu Sancto *Fol. 224.* Pneumatomachis dicit: *Qui hîc acriter pro litera contendunt; sciant se timere, vbi non est timor: studiumque suum erga literam, nihil aliud, quàm impietatis obtentum esse, apertè cognoscant.* Sed iam, quomodo Dioscorus Florentinus, ex hoc loco processionem Spiritus Sancti à solo Patre collegerit videamus.

Missionis (ait primò:) *nomen, soli hîc Filio tributum est: aduentus soli Spiritui Sancto. Ergo processio intelligitur soli Patri attributa.* Secundò: *Cur non dixit; Qui à nobis processit?* vel *qui à me & Patre procedit?* Tertiò: *ex Patre procedere, est esse Spiritum Sanctum: Procedere ex Patre ex Filio, non est procedere ex Patre. Ergo procedere ex Patre & Filio, non est esse Spiritum Sanctum.* Quartò in literis circularibus addit: *Græcorum Ecclesia, ex Patre procedere semper dixit: à Christo, & Sanctis Apostolis, Patribusque edocta: ex Filio verò nunquam dixit. Hoc enim à nullo traditum accepit.* Quintò ibidem: *Cùm dicitur, in Symbolo Nycæno, ex Patre natum ante sæcula, intelligitur ex Solo: etsi hoc nemo addat: ita cùm dicitur; **Qui à Patre procedit,** intelligitur procedere ex Solo Patre: etsi hoc non addatur.*

O nugacissimas apinas! Primi argumenti, Nego vtramque partem Antecedentis: nam si hîc missio soli tribuatur Filio, contradiceret hic locus illis; quibus Sanctus Spiritus dicitur mitti à Patre: aduentus quoque, si soli Spiritui Sancto tribueretur; falsò diceret de se Christus, & Patre: ***Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.*** Meliùs ergo sic argumentaretur. Cùm dicitur ad nos Spiritus Sanctus venturus, non negatur venturus Pater & Filius: & cùm dicitur Filius, missurus Spiritum San-

ritum Sanctum, non excluditur ab eiusdem misſione Pater. Ergo & cùm dicitur Spiritus Sanctus à Patre procedere, non excluditur Filius.

Ad ſecundum, inprimis dicere poſſem, quod Sanctus Athanaſius Tomo I. in epiſtola ad Serapionem *Fol.* 181. dixit Pneumatomachis : obijcientibus; cur Apoſtolus, 1. Timot. 5. poſt Chriſtum non poſuit Spiritum Sanctum : ſed electos Angelos. *Hoc (inquit) eſt neceſſitatem imponere Apoſtolo : quare non ſic, & cur non potiùs ita, vel ita, ſcripſerit : & ignorare Scripturas : atque inde porro errare circa veritatem.* Atque ibidem fusè probat : perſonam aliquam Diuinam quando tacetur non excludi : ſed potiùs ſubintelligi.

Reſpondeo Secundò : plures huius rei à Sanctis Patribus dari rationes. Sanctus Epiphanius hæreſi 69. *Fol.* 178. *B.* dat hanc : *qui venit, quò nobis fieret exemplar, & ſalus; doceretq́; homines humilitatē, ne quis ſeipſum aliquid putaret; ad Patrem vniuerſorum totum refert.* Sanctus Auguſtinus tractatu 99. In Ioan. & Lib. 15. de Trinitate C. 27. & Lib. 3. contra Maximinum Cap. 14. aſsignat hanc rationem : *quia Filius ad Patrem ſolet referre, quod ipſius eſt : de quo & ipſe eſt : vt enim cum dixit :* ***Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me***; *non negauit ſuam eſſe doctrinam : licet eam diceret non ſuam, ſed Patris : ita multò magis, non negauit à ſe procedere Spiritum Sanctum, cùm dixit : à Patre procedit : non addens, non de me procedit. A quo ergo habet Filius vt ſit Deus; ab illo habet, vt ab eo procedat Spiritus Sanctus : & per hoc Spiritus Sanctus ab ipſo habet Patre; vt etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, vt procedit à Patre.* Huic tanto Doctori, (quem Sanctus Agatho in epiſtola ad Synodum Sextam miſſa, quæ eam magnis extulit laudibus, vocauit Præſtantiſsimum Doctorem, & veritatis prudentiſsímum propugnatorem,) mentes veritatis ſtudioſas, par eſſet fidem maiorem habere, quam cuipiam pertinaci errorum defenſori. Eiusdem rei præclara eruitur ratio, ex Sancto Athanaſio : *quia ſcilicet cùm Patris & Filij vna ſit Deitas, ea ipſa dicuntur de Filio; quæ dicuntur de Patre : excepto quòd non dicitur Pater.* Orat. 4. contra Arrianos : *Fol.* 457. vel; *quia Filius cum Patre conſignificatur* : vt ait ibidem *Fol.* 458.

Ad tertium nego minorem. Solùm enim verum eſt : non eſſe à Solo Patre. Mitto Dialecticam quæ hîc nulla eſt.

Ad quartum : dico impudens id mendacium eſſe : immò ex dictis manifeſtum eſt : omnibus ſæculis, Græcos credidiſſe; Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere.

Ad quintum : Nego, neminem adhibuiſſe vocem Solius, cùm de Filio loqueretur. Solum de Solo Patre Filium, profeſsi ſunt; Sanctus Gregorius Thauma-

Thaumaturgus: Sanctus Athanasius: Sanctus Gregorius Theologus: Sanctus Ioannes Damascenus citati: & insuper Sanctus Basilius Lib 4. contra Eunom. Cap. secundo, quòd Filius non sit creatura, *Fol. 767.* cùm tamen id de Spiritu Sancto nemo vnquam (quod sciam) dixerit. Falsissimò ergo, impostor ille, asseruit: impossibile esse; cùm audimus Spiritum Sanctum procedere ex Patre; vt eundem intelligamus, ex Filio quoque procedere: falsissimò inquam, & expressè contra Sanctum Athanasium: aliosque Patres: qui docent semper Filium Patri consignificari: in ijs omnibus, quæ non, ipsius Filij esse, euertunt.

Claudo huius loci trutinam, pulcherrimo, doctissimi Græci Demetrij Thessalonicensis discursu: qui cùm, in epistola ad Barlaam Episcopum Hieracensem, in vtramque partem ingeniosissimè disputasset; se, à Græcis, de processione Spiritus Sancti à solo Patre, non conuinci fatetur: atque inter alia ita scribit. *In tota Sacra Scriptura, nullum inuenitur dictum, per quod, vel coniecturâ percipi possit, quòd ex solo Patre Spiritus Sanctus procedat. Nec enim ob illa verba; Qui à Patre procedit, statim putari debet quòd non ex Filio quoque procedat. Assuetum enim est Saluatori: sua, & Patris communia, Patri plurimum tribuere.* Moxq; prolixè & eruditè multa Sacræ Scripturæ loca affert: quibus aliquid tribuitur Patri, tacetur de Filio: & tamen non negatur.

Secundò: idem Marcus, protulit verba illa, ex primæ Cor. secundo. *Nos autem non Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est.* Sed huic obiecto iam olim occurrit, Sanctus Basilius Tomo secundo Lib. de vera fide *Fol. 388. Si dixerit aliquis; Deus; non protinus tamen, eum declarauit esse Patrem.* Et Sanctus Gregorius Nyssenus Oratione prima contra Eunom. *Fol. 8. In Deitatis significato, simul cum Patre Filius intelligitur.* Clariùs Sanctus Ioannes Damascenus Lib. secundo de fide Cap. 10. *Deum cum dixi; proculdubio, & Patrem, & vnigenitum ipsius Filium, Dominum nostrum, dico.* Neque probatio, petita ex voce manifestationis, iuuat aduersarij intentum: ostensum enim supra est; nomen manifestationis significare processionem ad intra. Nunc vnum locum Sancti Basilij repeto: homiliâ de Spiritu Sancto. *Spiritus Sanctus omnia habet æternaliter: tanquam Spiritus Dei: & ex eo πεφηνὸς. Manifestatus.* En vox manifestationis, tribuitur absolutè Deo: & quidem respectu Spiritus æternaliter manifestati. Verba Sancti Thaumaturgi supra explicaui. Iam ergo constat, quàm fragilibus telis, nouus iste Goliath, inuaserit acies Dei viuentis. Multò verò fragiliora sunt: quæ, idem dicitur, in aliquo alio libro produxisse. Omnia enim illa loca, quibus Spiritus Sanctus dicitur vel esse super Filium,

vel vnxisse Filium, loqui de Christo Homine, manifestissimum est: vti passim docent SS Patres.

Nulla item Concilia, docent Spiritum Sanctum procedere à solo Patre. Citat quidem Florentinus Goliath, Nicænum: sed falsò. Nam, in eo, nihil esse actum de Spiritu Sancto; grauissimi testes, in Secundo quæsito, citati, apertè profitentur. Verba etiam Leontij Episcopi, ab eo ipso, satis clarè explicata sunt: cùm eo ipso loco, qui ab aduersarijs citatur, ait idem Episcopus: *Spiritum Sanctum ex Filio tanquam ex fonte scaturire: esseque proprium Filij*: qualis non esset, si ab eo ipso non spiraretur: Spiritus enim, eius solius proprius est, qui eum spirat. Præterea interfuere concilio Nycæno, Sanctus Hilarius: & Sanctus Athanasius: qui tamen sæpiùs docuere, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio: id proculdubio non docturi, si aliam fidem in Concilio Nyceno didicissent. Citat idem, verba Symboli Constantinopolitani primi: *Qui ex Patre procedit*: vbi suum ex Solo, vult ex hoc elicere: quia non adiecit Concilium à Patre & Filio: sed hoc pridem euersum est. Non solent Concilia decidere, nisi hoc, ad quod collecta sunt. Quia ergo, Spiritum Sanctum procedere à Filio, nemò illo tempore dubitabat; cùm tamen Eunomiani negarent eum procedere à Patre; hoc à Concilio definitum est, & Symbolo adiectum: quod ad euertendam hæresim necessarium erat: quod autem ab omnibus dicebatur; hoc non erat opus specialiter decidi: & Symbolo addi. Deinde, non est etiam additum Symbolo; quòd Spiritus Sanctus sit Deus, & omnipotens, & Creator mundi: quæ tamen omnia, fide Diuina credenda sunt: vt pote alibi reuelata. Ergo etiam processio Spiritus Sancti à Filio, credenda est: etsi hìc, de ea taceatur: cùm alibi sufficienter fuerit reuelata. Denique, adfuit eidem Concilio Sanctus Basilius: & Sanctus Gregorius Nyssenus: quorum tamen neuter docuit Spiritum Sanctum esse à solo Patre: sed à Patre & Filio: vel à Patre per Filium: seu per eum qui est immediatè ex Primo: vt supra vidimus.

Denique idem Goliath, mirâ impudentiâ ausus est dicere: Sanctum Cyrillum, in Synodo Ephesina, in Sententiam Theodoreti concessisse: quod esse apertum mendacium, satis multa, eius Sancti Patriarchæ, testimonia, toto hoc opere sæpiùs producta, euidenter conuincunt.

Nulli item Sancti Patres, docuere: Spiritum Sanctum esse ex solo Patre. Nullum certè produxit Florentinus Goliath: sed tantùm per consequentiam hoc inferre conatus est: primo ex Sancto Dionysio Areopagita: qui libro de Diuinis nominibus Cap. secundo, vocat, *solum Patrem fontem superessentialis Deitatis*: & ex Sancto Gregorio Nazianzeno: qui Orat.

quadam

quadam dicit: *Filium omnia habere, quæ sunt Patris, præter Causam.* Sed ex neutro Sancto Patre bene hoc infertur. Quia, aliud est esse fontem Deitatis, aliud fontem Spiritus Sancti: illud soli tribuitur Patri: (quanquam Sanctus Augustinus & Sanctus Gregorius Theologus, Patrem vocant fonté, non simpliciter; sed totius Deitatis:) hoc verò à multis Sanctis, tribui Filio, ostensum est Quæsito primo: & alibi. Deinde optimè aduertit citatus Demetrius Thessalonicensis: rectè, Patrem solum dici fontem Deitatis; quia, si Spiritus Sanctus procedit ex Filio; Filius hoc habet ex Patre: at Pater est fons, qui hoc non ex alio habeat. Solus ergo Pater, fons dicitur Deitatis; quia solus principium est Deitatis: quæ reperitur in Patre & Filio: vt loquitur Sanctus Theologus Orat. 29. quod tamen non impedit, quominus Filius, omnia Patris habens præter esse Patrem, sit cum Patre principium Personæ tertiæ: Filio, ordine & axiomate posterioris: dicaturquè esse, flumen aquæ viuæ, quæ est Spiritus Sanctus.

Nomen Causæ malè intellectum, maximam dedit Græcis errandi occasionem. Quia enim, apud Sanctum Gregorium Theologum, legebant; Filium, omnia quæ habet Pater habere, excepta Causalitate; & apud Sanctum Damascenum, solum Patrem esse Causam; ideo inferebant: Filium, non esse Spiritus Sancti productorem. Est ergo, ea vox, enucleatiùs examinanda: vt hoc fundamentum erroris Photiani, euertatur: ad quod, non minimum, arbitror, seruitura, quæ ex diuturna SS. Patrum Græcorum lectione, obseruaui.

Aduerti igitur primò: apud SS. Patres, nomen hoc Causæ significare, Causam improductam: & quæ à se omnia habeat. Colligo id primò, ex eo: quòd à SS. Patribus Græcis, etiam respectu creaturarum, solus Pater dicatur, αἴτιος, Filius vero δημιουργὸς. Spiritus Sanctus τελειοποιός. Id inuenio primò, apud Sanctum Gregorium Theologum: in ea ipsa oratione; quæ ab aduersarijs citatur. *Deus in tribus maximis consistit: in Causa, in opifice, in perfectore, id est in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto.* Inuenio idem in Sancto Basilio Magno Lib: de Spiritu Sancto Cap. 16. *Fol. 325. In omnium (inquit) creatione, cogita* τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν *Patrem: Filiũ* δημιουργικήν, *Spiritum Sanctum* τελειωτικήν. Et in Sancto Gregorio Nysseno: Tomo secundo. Orat. in Christi baptismum: *Quomodo baptizaris in nomen Patris? quia principium est omnium rerum: quomodo in Filium? quia est* δημιουργὸς *creaturæ: quomodo in Spiritum Sanctum? quia est perfectiuus omnium.* Profectò hic triplex funiculus difficilè rumpetur. Quæro enim ab aduersarijs: concedantne Filio nomen Causæ, vt supponit pro principio productiuo ad intra, an non? si concedent; habebunt Romani intentum:

si negabunt; etiam negabunt esse principium productiuum ad extra: cùm vox τῦ αἰτίυ non minùs in operationibus ad extra, quàm in operationibus ad intra, Patri, à SS. Patribus Græcis, approprietur. Hoc discrimen, Romani, pulcherrimè euadunt. Dicent enim: si sumatur Causa pro principio improducto, sic solum Patrem, esse ad intra, & ad extra Causam: atque in eo sensu à SS. Patribus quibusdam dici; solum Patrem esse Causam. Addo à quibusdam: Nam Sanctus Epiphanius, nomen Causæ, excludit à Diuinis: Lib. 3. contra hæreses: hære. 76. *Fol. 231. Causæ* (ait) *est exors Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Et *Fol. 232. C. Liber Deus est ab omni Causa.* Et ibidem H. *Exemptus, (inquit) est Deus, ab omni Causa: non solùm Pater, sed etiam Filius & Spiritus Sanctus: cùm in confesso sit, Deitatem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, omni Causa superiorem esse.* Quod ipsum facit Sanctus Cyrillus Alexandrinus Dial. secundo ad Hermiam *Fol. 435.* vbi cùm Hermias probare conaretur Patrem esse priorem Filio; vt causam causato: respondit Sanctus Patriarcha. *Dum hæretici, (τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατὸν) Causam & causatum, arripiunt, ac nominant; vndenam; nescio: nec enim à Diuina Scriptura depromi dicent.* Et *Fol. 446.* αἴτιον καὶ αἰτιατόν, *Causam & causatum, dicere in Diuinis, nefas est: sed potiùs decet, de Deo, Patrem dicere, & genitum Filium.* Si verò sumatur Causa pro principio productiuo indifferenter, siue illud sit principium Anarchicum, siue principium de principio; sic dicent: etiam Filium esse principium: & ad intra: sed solius personæ tertiæ: vt pote solius, personâ primâ & secundâ, ordine & axiomate, iuxta SS. Patrum eloquia, posterioris: & ad extra; vnâ cum Spiritu Sancto; omnium creaturarum.

Aduerti Secundò: ab eisdem SS. Patribus, Patrem, in diuinis, vocari, non precisè & simpliciter Causam: sed vel Causam primordialem, vt, loco proximè citato vocat eum Sanctus Basilius: vel Causam principem: quomodo eum vocat Sancti Gregorij Theologi interpres Nicetas: in Cōmentario Orationis quadragesimæ Num. 49. vel Causam primam: quomodo eum appellat ipse Sanctus Gregorius Theologus Orat. 13. *Fol. 78.*

Quantò, inquit, Deus rebus creatis excellentior est, tantò primæ causæ magnificentius est, Diuinitatis quam creaturarum principium esse. Et Orat. 37. *Fol. 227. Cùm ad Diuinitatem primamque causam respexerimus; vnum est, quod mentis nostræ oculis obuersatur: cùm verò, & ad ea quæ ex prima causa sunt; tria sunt, quæ adorantur.* Et Orat 44. *Fol. 268. Ad primam Causam, vt omnia quæ vnigeniti sunt, ita & quæ Spiritus Sancti sunt, referuntur.* Adderem Orat. 45. vbi Pater dicitur prima vitæ Causa: nisi eam, doctissimi Græci, Demetrius Thessalonicensis, Bessarion, & Gennadius, ob diuersitatem Styli, tanto Theologo minus dignam iudicassent.

Eodem modo, Sanctus Damascenus libro primo de Fide Cap. 11. loquitur: verbis prope ad literam à Sancto Gregorio Theologo, (quem passim, etiam quoad verba sequitur) ex Orat. 13. desumptis. *Cùm, (inquit,) Diuinitatem, primamque illam causam, & vnicum principatum intuemur; vnum solum oculis nostris obuersatur: cùm verò, in ea, in quibus Diuinitas est; vel si accuratiùs loquendum est, quæ Diuinitas est; atque ea, quæ ex principe illa causa, hoc est Filij & Spiritus Sancti personas, consideramus; tria sunt: quæ à nobis adorantur.*

Aduerti tertiò: apud Sanctos Patres, nomen Patris significare Causam: & conuerti cum Causa. Id primò legi, apud Sanctum Basilium lib. secundo contra Eunom. *Fol. 724. Patris nomen quid aliud significat; si non Causam esse: & principium ex se geniti?* & *Fol. 240.* ad finem: *Verbum genui: Causam significat: ex qua Filius principium essendi habet.* Idem innuit Sanctus Damascenus Lib. primo Cap. 15. *Quæ Causæ, Parenti, fonti, genitori conueniunt; ea Patri soli accommodari debent.* Ecce Causa & Fons, Synonima dicuntur Patri; & genitori. Idque innuit Sanctus Athanasius Orat. secunda contra Arrianos. *Pater, & Filius, non sunt ex aliquo principio præexistente, procreati: vt fratres existimari queant:* (Notetur hoc pro tertia ratione Theologica: quòd Spiritus Sanctus & Filius Fratres essent, si ex vno principio præexistente ducerent originem:) *sed Pater, est Filij principium, & genitor.* Et Orat. 5. *Fol. 521. Si verum Sabelliani dicerent; idem esset Causa & Causatum: generans & genitum.* Ecce & hîc Causa sumitur pro generante. Et Sanctus Gregorius Theologus Orat. 29. *Fol. 85. Filius, si quidem, Patrem vt Causam accipias, nequaquam principio caret: principium enim Filij Pater est: vt Causa.*

Aduerti quartò: nomen Causæ apud aliquos significare principium, non vnius, sed vtriusque personæ. Ita hoc nomen sumit Sanctus Gregorius Orat. 29. *Fol. 184. Paruorum certe principium fuerit Pater, nisi Deitatis eius, quæ in Filio & Spiritu Sancto consideratur; Causa sit.* Et mox. *Meâ sententiâ, Deus vnus tenebitur; si Filium & Spiritum Sanctum ad vnam Causam referamus.* Clariùs eâ vtitur significatione, Author quæstionum anonymarũ: Tomo secundo operum Sancti Athanasij insertarũ. Is quæstione vndecima, ita scribit: *vnam causam in Deo dico: & hæc est Pater: ipse enim Pater gignit Filium: & producit Spiritum Sanctum. Et qu. 12. Si quis te interroget, quare Pater dicatur Causa; dic: quia gignit Filium, & emittit Spiritum.*

Aduerti denique: etiam ab ipso Sancto Theologo, eiusque constantissimo assecla Sancto Damasceno, non omnino negari, Filio consortium

Causæ. Nam locis satis multis supra citatis, Filium vocat principium de principio: quem titulum, in Commentario Orat. 42. expendens, accuratissimus eius interpres Nicetas, Num. 19. ita scribit. *Principium omnium quæ sunt, Pater est; vt Causa. Principium quoque est Filius: vt Causæ consors. Ad Patrem enim, David verba faciens ait:* **Tecum principium.** *Est igitur Filius, principium de principio: id est ex Patre.* Sanctus vero Damascenus, Cap. illo 15. inquo maximè Patri nomen Causæ appropriat; ita loquitur: *Quæ quadrant, à Causa genito Filio, vero, primordiali potentiæ; ea Filio tribuenda sunt.* Vox hæc, primordialis potentiæ, tribuit quiddam speciale Filio: quod fingi aliud non potest, quàm esse id principium; per quod, Pater producit tam ad intra quam ad extra, quidquid est; quod neque est Pater, neque Filius.

His animaduersis: dicere non habeo: magisnè mirari an dolere debeã; quòd Græci, & nostrates Rusi, non considerantes, quid nomen Causæ apud Sanctos Patres significauerit, pertinacissimè negauerint & negent; Filium omnia Patris habentem, esse principium productiuum Spiritus Sancti. Neque enim dubito, quin si hæc quæ adduxi, expendissent; facilè intellexissent: illius solius, à Sancto Theologo, & Sancto Damasceno negari Filio, esse Causæ: quæ sit Anarchica seu originis expers: quæ sit princeps, procatarctica, & prima causa: quam significet nomen Patris: vel denique: quæ sit principium generatiuum simul & Spiratiuum: quo animaduerso, facilè collegissent, Sanctos Patres Græcos, neque Orientalibus, neque Occidentalibus Sanctis Patribus, in dogmate de processione Spiritus Sancti contradixisse: sed ex vsu rerum pro negotij conditione, & eorum quibuscum versabantur exigentia, obscuriùs loquutos esse; etsi eundem sensum, vt pote ab eodem Spiritu Sancto instructi, retinerent. Hoc verò, non temere, me, nec sine fundamento asserere; vt probem; produco dignum fide testem, Eliam Metropolitam Cretensem: Sancti Theologi interpretem: in Commentario Orationis primæ Numero 70, & Seq. *Erant (inquit) tempore Sancti Theologi, quidam: (quos in eadem Orat. & alibi, Sanctus Doctor, ironicè vocat, nimis orthodoxos: & nimis Christi amantes:) qui cùm sepiùs Arrianos audirent dicere, Filium & Spiritum Sanctum esse posteriores Patre; eò quòd necesse sit, omne quod ex aliquo principio est, posterius esse, eo, ex quo est; aiebant: Filiũ & Spiritum Sanctum esse anarchos, seu principij expertes: atque ideo, negabant: eos, ad Patrem & naturalem Causam, referendos: & consequenter, vnum principium, in tria principia secabant. Eos, vt redargueret Sanctus Theologus, communiter abstinebat nomine principij, sed sepiùs vtebatur nomine Causæ: & opposita primæ Causæ naturalis vnitate, ob-*

tate, obiectam animo, multitudinis principiorum speciem, submouebat.

Rectè igitur Romani, Sancto Maximo teste, vnam in Diuinis Causam agnoscebant: quia, eius nomine, non aliud, quàm principium improductum, Filij, & Spiritus Sancti productiuum; intelligebant: quo non obstante; rectè item, eodem teste, dicebant: Spiritum Sanctum procedere ex Patre Filioquè, in eo sensu: in quo aliqui Orientales, dicebant eum procedere per Filium: vt pote procedentem à Filio: non vt à Causa procatarctica, & Anarchica, sed vt à principio de principio: flumine de fonte: vt de Filio: qui, hoc quoque habeat à Patre, quòd ab eo spiretur Spiritus Sanctus: vna & indiuisa operatione, cum Spiratione Patris. Rectè item dixit, Sanctus Theologus, Filium omnia habere quæ sunt Patris: exceptâ Causâ: ita nimirum intellectâ, quomodo ipse eam descripsit. Certum quippe est, Filium non esse principium improductum, nec Causam procatarcticam, nec primam, nec principium duarum personarum productiuum. Atque ideo, nihil aliud, Sanctus Theologus, cum Sancto Damasceno, Filio negauit: quàm quod alij SS. Patres dixere: docentes, Filium omnia habere, præter esse Patrem. Vt ergo, qui, solum esse Patris, Filio negarunt, non negauere eum esse Spiratorem: (cùm Spiritus Sanctus Patrem non habeat: teste Sancto Athanasio, vel aliquo alio authore Dialogi de Sanctissima Trinitate, loco citato:) ita, qui Filium negauerunt, esse Causam; non negauere eum Spiritus Sancti esse productorem: cùm non aliud exceptum sit per nomen Causæ; quàm quod per gignere, vel esse Patrem, exceptum est.

Citat præterea Ephesius: Sanctum Iustinum, in Expositione fidei. *Vt Filius est ex Patre, ita & Spiritus*: sed locus ab eo mutilus productus est: vt ei exprobrat Gennadius: sequũtur enim hæc verba; *nisi quòd modo existendi, & status differant*: quia scilicet Filius producitur Solus ex Solo: & immediatè ex primo: (vt loquitur Sanctus Gregorius Nyssenus:) Spiritus verò Sanctus ex Patre per Filium: seu per eum, qui est immediatè ex primo.

Hæc ex literis eius Circularibus, & longâ disputatione in Synodo Florentina excerpsi. Citauit idem, ex quadam occasione, Sessione 18. ea verba ex Sancto Basilio Lib. 5. contra Eunom. *Fol. 789. Generat Deus non vt homo: verè tamen generat: & quod ab ipso genitum est, edit Verbum, non humanum: edit autem Verbum, verè ex seipso: emittit Spiritum per os, non qualis est hominum; nam neque os Dei corporeum intelligimus: ex ipso autem Spiritus, & non aliunde.* Sed ei præclarè os obstructũ est: ostensumq;: *Sancti Patris verborum sensum esse; quòd Spiritus Sanctus sit ex Deo: seu ex Dei essentia; non autem ex nihilo: vti Eunomiani dicebant.*

Quod

Quòd autem hic, non excludatur Filius, à ſpiratione Spiritus Sancti, vel ex eo manifeſtum eſt: quia hic dicitur, Spiritus Sanctus emitti per os; Os autem, (vt diximus ſupra:) eſt vnigenitus: deinde verbum illud, *emittit Spiritum*; videtur (id exigente ipſo nexu verborum) referri ad Verbum, quod à Deo genitum eſt. Pluribus has authoritates refellit, Gennadius Patriarcha, in refutatione Epiſtolæ Encyclicæ Epheſij: quas easdem, priùs illo, ante centum annos, exactiſsimè refutauerat doctiſsimus Calecas: Lib. 3. contra Græcos; nempe contra Palamam, & Cabaſillam: ex quibus ſua omnia deſcripſit Epheſius: quod ei exprobrat Epiſcopus Methonenſis.

Miſerum certe ducem ſequuntur: qui SS. Hilario, Ambroſio, Auguſtino, Leoni, Gregorio Magno, Fulgentio, alijſque omnibus SS. Patribus Occidentalibus, & plurimis, illisque lectiſsimis, Orientalium Patrum, in dogmate de proceſsione Spiritus Sancti, contradicunt.

Profectò fatebor, non gratiæ aucupandæ ſtudio, cuius cauſam procul habeo: (nam mihi, cui bono?) ſed quia etiam aduerſarijs ſua laus neganda non eſt: multò firmiores mihi viſas authoritates adductas ab Admodum Reuerendo Domino Collegij Mohileani, in anno 1646. Kiiouiæ Rectore: in biduano quod mecum ſuper ea Controuerſia habuit Colloquio.

Produxit is primò Sancti Ioannis Damaſceni in Orat. de Sabbato Sancto, hæc verba. *Colimus Spiritum Sanctum tanquam Dei & Patris Spiritum: ex ipſo nempe procedentem: qui tamen etiam Filij dicitur, quòd per ipſum manifeſtatus, rebusque conditis ſit impertitus: non tamen ex ipſo habens, vt ſubſiſtat, vel exiſtat.* Nam vtrumque ὕπαρξις ſignificat. Ex quo ita argumentabatur. *Ex quo Spiritus Sanctus non habet vt ſubſiſtat, ab eo non procedit. Ex Filio non habet vt ſubſiſtat. Ergo ab eo non procedit.* Reſpondi tunc ei: Maiorem diſtinguendo: ex quo & per quem, Spiritus Sanctus non habet, vt ſubſiſtat, ab eo non procedit. Concedo Maiorem. Ex quo non habet, ſed tamen per quem habet vt ſubſiſtat; Nego maiorem: & diſtinguo minorem: Non habet Spiritus Sanctus ſubſiſtentiam ex Filio nec per Filium: Nego: non habet eam ex Filio: (Phraſi Græca mox explicanda:) ita tamen vt habeat per Filium: Concedo minorem. Nego conſequentiam. Nunc addo: Hugonem Aetherianum virum Græcè & Latinè doctiſsimum, qui vixit Anno 1170. & monitu Emanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani, in ea ipſa vrbe, libros tres de proceſsione Spiritus Sancti à Patre & Filio, ſcripſit; hanc authoritatem, Lib. tertij vltimo capite, refellere hiſce verbis: *In præfato ſermone, contra fas maiorumque traditionem, Spiritum Sanctum ex Filio exiſtentiam non habere; à quibusdam magis mendacij quæ-*

dacij quærentibus solatium; quàm veritatis semitas inuestigantibus, insertum est: Quod sic esse, probat ipsa verborum series: styli alteritas; & quæ nihil ad rem pertinet, erronea clausulæ insertio.

Hæc ille. Ego aduersarijs corruptionem hîc textus obijcere non audeo: (etsi ante prope annos 500. in ipsa vrbe Constantinopoli obiecta sit:) persisto in responso in Colloquio charitatiuo dato: atque dico: idem esse Spiritum Sanctũ non habere subsistentiam ex Filio, sed per Filium: quod est non procedere ex Filio, sed per Filium: vt omittã; quòd dum S. Damascenus ait, Spiritũ S. per Filiũ πεφηνον, indicet se id ipsũ sentire; quod S. Cyrillum Alexandrinum hac voce intellexisse supra explicatum est.

Protulit deinde, Admodum Reuerendus Dominus, aliquot eiusdem Sancti Patris loca: vt Caput 11. de Fide: vbi dicitur: *Spiritum Sanctum non dicimus esse ex Filio, sed Filij Spiritum nominamus*: & 15. *Filij Spiritus dicitur, non vt ex ipso, sed vt per ipsum procedens. Solus enim Pater est Causa.* Respondi: Sanctum Patrem, sola à nobis differre phrasi: & insistendo Sanctorum Patrum Græcorum, vestigijs, vti Particula *PER* non *EX*: ideoquè non simpliciter negare Spiritum Sanctum non esse ex Filio: sed tantùm dicere: non dici esse ex Filio. Hoc autem non facit, quominus sit ex Filio. Ita (vt dixi supra) ab ingeniti nomine abhorrebat Sanctus Athanasius, dial. 2. de Sancta Trinitate: qui dicebat: *hanc vocem, esse inuentum aquilæ decidentis quærentis Boream: cuius firmum vestigium inueniri nequit: cùm non habeat, in scriptura vbi pedem figat*: & Sanctus Basilius eandem vocem ablegatam à Christianis addicit Iudæis: Lib. 4. contra Eunomianos *Fol. 76.* & Sanctus Gregorius Nyssenus dicit Orat. 8. *Fol. 239. eandem vocem, esse omnium malorum notionem secum demonstrantem.* Eandem vocẽ prolixè impugnat Sanctus Epiphanius Lil. 3. hæresi 73. *Fol. 205.* & Sanctus Cyrillus in Dialogis ad Hermiam. Num ergo ideo falsum est primam personam esse ingenitam? Sic Sanctus Basilius, approbante Sancto Gregorio Theologo, Spiritum Sanctum non dicebat Deum: & Sanctus Gregorius Theologus, quoties de Filio coniunctim cum Patre loquebatur, Filium non dicebat Deum: sed Dominum. Num ergo ideo Filius vel Spiritus Sanctus non fuit Deus? sic: *Virginem Deiparam,* (ait alicubi Sanctus Damascenus) *non dicimus Christiparam.* Num ergo non fuit ideo Mater Christi? Repetendum hîc est: quod Sanctus Athanasius in defensione Dionysij Alexandrini Tomo primo *Fol. 555.* ait: *ex vsu rerum pro negotij conditione verba esse assumenda: neque ea quæ negotijs sunt attemperata, malignè odiosèque interpretanda.* Nouerat optimè Sanctus Damascenus, ait Gennadius, in refutatione Ephesij, Græcos idiotismos: sciebatque

ὰς, apud eos plerosque, ſoli procatarctico, & anarchico tribui principio: atque ideo, vbi ponitur; nihil ſignificare anterius: ſed vnde prima origo: ibique ſiſtere mentem auditoris: *PER* verò, vbi ponitur; denotare omnino principium aliud originale & primarium. Addit idem ingenioſiſsimè infra. *Etiam nos, cum Sancto Damaſceno, non dicere Spiritum ex Filio: ſed dicere: Spiritū Sanctū; procedere Et EX FILIO: qui modi loquendi ſunt diuerſiſſimi. Nam coniunctio copulatiua, optimè indicat Spiritum Sanctum eſſe ex vtroque: & aliam perſonam ſibi præintelltgi indicat: qui verò Spiritum Sanctum ex Filio dicit, non addendo Et; ſuſpicionem dat: Filium, à ſe, intelligi procatarcticum principium.* Denique dicit idem: Verba illa, ſolus Pater eſt Cauſa, in vetuſtiſsimis libris non haberi. Sed vt ſint; nihil contra nos facient: qui fateamur ſolum Patrem eſſe principium anarchicum & procatarcticum: ad quod, vt ad vnam cauſam, referatur; quidquid eſt in Filio & Spiritu Sancto bonitatis.

Protulit deinde idem, ex Lib. primo de Fide, Cap. 10. hæc verba: *Simul eſt Filij generatio & Spiritus Sancti proceſſio.* Atque ex hoc ita argumentatus. Filius non eſt prior origine Spiritu Sancto, cùm ſimul ſit generatio & proceſsio. Ergo Spiritus Sanctus non habet originem á Filio. Negaui Antecedens: probationẽ diſtinxi: ſimul ſunt hæc æternitatis duratione; Concedo: ſimul origine; Nego. Oſtendiq; : ſimultatẽ originis in Diuinis eſſe impoſsibilem: eo modo, quem retuli in Refutatione ſolutionū Moldauicarum.

Poſtea protulit ex eodem Capite hæc verba. *Spiritus Sanctus omnia habens quæ habet Pater & Filius, excepta ingeniti & geniti proprietate*: inde ita arguebat. Si Spiritus Sanctus procederet à Filio; etiã procederet à ſeipſo: Conſequens eſt reijciendum, Ergo & ex quo ſequitur. Maiorem ſic probabat. Quod non eſt eſſe genitum, hoc cum Filio habet Spiritus Sanctus. Spirare, non eſt eſſe genitum: Ergo hoc cum Filio habet Spiritus Sanctus. Reſpondi primò; hoc argumento probari, etiam à Patre non procedere Spiritum Sanctum. Nam ſpirare non eſt eſſe ingenitum: cùm ea vox ſolùm ſignificet: quid Pater & Spirator non ſit; non autem quid ſit: *Ingenitum enim* (ait Sanctus Athanaſius Dial. 2. *Fol. 204.*) *non eſt αὐτὸν geniti.*

Reſpondi ſecundò: Spiritum Sanctum omnia Patris & Filij habere, exceptis proprietatibus ingeniti & geniti; cauſatiuis: & oppoſitionis ad Spiritum Sanctum relatiuæ incluſiuis: Concedo: exceptis his proprietatibus præcisè & formaliſsimè ſumptis: Nego. Ita tunc. Nunc facilius Reſpondeo. Dicitur hîc Spiritus Sanctus habere omnia quæ habet Pater & Filius, exceptâ proprietate ingeniti & geniti, ſumendo eam non intranſitiuè, ſed

tiuè, ſed

tiuè, sed transitiuè: id est pro eo quod est proprium ei Personæ quæ est ingenita: & pro eo quod est proprium ei personæ, quæ est genita. Proprietas personæ ingenitæ est, gignere Filium: & spirare cum Filio Spiritum Sanctum: proprietas verò personæ genitæ est, gigni à Patre: & Spirare cum Patre Spiritum Sanctum. Concludo ergo: Sanctum Damascenum minimè fauere Photianis: Catholicis autem plurimum: cum quibus docuit: (vt supra vidimus:) Patrem, esse per Filium Spiritus Sancti productorem: & Spiritum Sanctum per Filium procedere. Vbi si, per τὸ *PER* voluerint aduersarij significari τὸ *CVM*; tamen fateri debebunt Patrem cum Filio productorem esse Spiritus Sancti: & magnam confusionem processionum Diuinarum incurrent: si dicent; Filium cum Spiritu Sancto procedere. Certum profectò est tam proprium esse Spiritui Sancto procedere; quàm Filio gigni.

Quanquam si verè, Sanctus Damascenus Græcorum errori patrocinaretur; adhuc vtile esset Demetrij Cydonei monitum: *ne ita vni Doctori Ecclesiæ adhæreamus: vt omnes alios, quos Synodi, Quinta, Sexta, Septima, in rebus fidei maximè sequendos decreuere, reijciamus. Oportet omnes reuerenter recipere: & venerari: sed eos maximè, quos Concilia Oecumenica omnibus fidelibus, maximè audiendos censuerunt.* Quia ergo (vt supra ostendi) SS. Ecclesiæ Dei Doctores, à Quinta, & Septima Synodo, fidelibus ad audiendum, & discendum propositi; docent Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio: vel à Patre per Filium: ideo tenemur omnes, Sanctum Damascenum ita explicare; vt disertissimis locutionibus aliorum Sanctorum Patrum non contradicamus: neq; vni ita adhæreamus; vt dissentiamus eis; quorum dictis omnibus, sub anathemate tenemur assentiri.

Aperuit deinde idem Reuerendus Dominus, opus Sancti Dionysij, & ex Panegyrico eius, produxit Michaelis Syncelli hæc verba. *Rursus verò, vt Spiritus Sanctus ab ipso solo Patre descenderit; & per Filiū processerit; & hominibus se ostenderit; vnius principatum edocens.* Respondi: hunc, minimè censeri inter SS. Patres: immò neque inter Theologos: sed solùm inter Oratores: à quibus elegantia magis dictionis, quàm veritas dogmatum exigitur. Denique cùm, post Schisma à Photio recens excitatum, scripserit; non mirum est: in laudibus Sancti Dionysij; quem sciebat, esse in summa apud Francos veneratione, eum hæc verba inseruisse: vt Francos, quos videbat feruentissimè, illo ipso tempore, pro Spiritus Sancti ex Patre & Filio processione, dimicare; aut ad Græcorum, authoritate Sancti Dionysij, auocaret errorem; aut saltem feruorem eorum, (qui etiam Tharasium Patriarcham magnopere impugnabant, quòd diceret, Spiritum Sanctum non

ctum non procedere à Filio : sed per Filium:) aliquo modo temperaret.

Produxit deinde, ex Scholijs Sancti Maximi, verba: quibus dicitur: Spiritus Sanctus à Patre procedere: & verba ibidem in margine adnotata: *Hic patet Sanctum Maximum fuisse in errore Græcorum.* Quibus productis, triumphabundus exclamauit. En Iesuitæ Corderij testimonio, dicitur Sanctus Maximus fuisse in communi errore Græcorum. Respondi: non constare: sintne ea verba à Iesuita, an ab ipso Typographo adnotata: vti fieri contingit: vt vt est; adieci: eum me non teneri sequi; sed vt eos, qui Sanctum Damascenum errasse scripserunt, reliqui; ita & hos, qui Sancto Maximo hunc affingunt errorem, non est quod sequar. Certè si is interpres, idem est, cum eo; qui Epistolam ad Marinum, vel Commentarium in Zachariam scripsit; manifestum est; per verba hæc, *ex Patre procedit*; (quæ sola ab eo dicuntur:) non excludi Filium: sed tantùm negari, eum esse Spiritus Sancti Anarchicam, vel procatarcticam Causam: quod verissimum est. Nullo ergo modo, ex verbis Sancti istius, colligitur: quòd Spiritus Sanctus à solo Patre procedat. Sancti Dionysij textum non citauit: cùm ei à me, quadam occasione, paulò ante exhibitus esset Sanctus Athanasius; expresè docens Filium esse fontem Spiritus Sancti.

Sumpsit deinde in manus, Sanctum Athanasium: & obiecit inprimis corruptionem Symboli: quòd in Latino diceretur, Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedere: cùm tamen, à Græco textu, vox ea, *& Filio* absit. Respondi: & ex Baronio probaui: Symbolũ illud, Latinè à Sancto Patriarcha scriptum esse: fuisse autem, eandem vocem, in Græco antiquo textu, probaui ex Gennadio Patriarcha. Neque habuit, quod opponeret, nisi vt inueheretur in vnitos. Nunc addo: ex Genebrardo Libro 3. de TRINITATE: extare Lutetiæ Parisiorum, in Cænobio Sancti Germani, vetustum codicem manuscriptum de Synodis: in quo Sanctus Athanasius dicitur, hoc Symbolum scripsisse Treuiris, dum ibi exularet: quod ipsum scribit Nauclerus in Chronologia: ætate Nona. Deinde idem antagonista produxit ex eodem Tomo, ex quæstionibus anonymis hæc verba: Quæstione quarta: *Filius ex solo Patre causatus & genitus: Spiritus Sanctus ex solo Patre causatus & procedens: sed per Filium in mundum missus.* Respondi: has quæstiones, falsò tribui Sancto Patriarchæ: & probaui: Primò: Quia ita Critici, & eruditissimi Bibliothecarũ scrutatores, Antonius Posseuinus, Robertus Bellarminus, Dionysius Petauius, alijque doctissimi Franci testantur: qui non solùm has, sed etiam alias quæstiones, ibi positas, negant esse Sancti Athanasij. Secundò: Quia tunc hic scribendi modus nondum erat in vsu: vt patet ex coætaneis Sancto Athanasio scriptoribus.

ptoribus. Tertia. Quia Græci, nec in Barensi, nec Lugdunensi, neque Lateranensi, neque Aquisgranensi, neque Florentino, neque Gentiliacensi, Concilijs, in quibus cum Latinis de suo hoc dogmate disputabant; hunc locum produxerunt: quo tamen nullus obijci potest efficatior. Quartò: quòd nec Photius, nec Palamas, nec Cabasyllas, nec Ephesius, qui contra Latinos, Sanctorum Patrum studiosè colligebant authoritates, huius testimonij meminerint: quòdquè nemo vnquam huius Controuersiæ scriptorum fuerit, qui hunc locum obiectum sciuerit: vel refutauerit. Quintò Quòd multa in hoc opere contradicunt eis; quæ Sanctus iste Patriarcha in operibus alijs minimè controuersis, docuit. Dicitur hîc, lumen, cui comparatur Spiritus Sanctus, ex solo Solis orbe procedere: at Sanctus Athanasius Orat. 4. contra Arrianos, supra citata, dicit: in Diuinis vnicum esse solem: & vnicum splendorem: & vnicam ex ambobus lucem. Reperitur hîc qu. 19. vox θεοπνκῦ, quâ tamen non fuisse visum Sanctum Athanasium, ex eo colligit Baronius: (ad annum Christi 48.) quòd, si apud tantum Patriarcham, vox ea reperiretur, procul dubio, eam ad hæreticos refellendos, Sanctus Cyrillus, & Patres Ephesini, produxissent. Refutantur hîc quæstione eadem, Theopasitæ: qui temporibus Sancti Athanasij non fuère: sed eo multò posteriùs. Ampliùs: quòd hîc, vox τῦ ὑῦ, (Filij) deducitur à voce ὅμοιος, quod grauissimé repugnat. Sancto Athanasio: qui Lib. de Synodis *Fol. 928.* ita loquitur, *Qui Filium dicit similem substantiâ, ex participatu eum similem dicit, siquidem similitudo qualitas est.* Et infra. *Cùm Filius naturâ sit; nunquam dicitur ὁμοιȣ́σιος, sed ὁμοȣ́σιος: demonstratum enim est: ὅμοιον, de substantijs prædicari non posse.* Denique quòd, hic ipse, quicunque est Author; qu. 5. dicit: Sanctissimæ Trinitati commune esse: principio carere: seu esse ἄναρχον: quod repugnat, fidei: & à Sancto Theologo Gregorio, frequenter impugnatur. Stylus quoque hominis, quàm vilis! quàm ridiculi conceptus! Certè illa deductio Dei, à currendo; videtur, à Sancto Gregorio Nazian. derisa: Orat. 36. *Fol. 212.* Finis verò Incarnationis, qui ab eodem præscribitur; quàm vilis! scilicet, non habuit aliud motiuum, Verbum: vt Caro fieret, nisi vt conuerteret eos quòs Prophetæ non poterant conuertere. An ergo non venit propter eos, qui à Prophetis fuere conuersi? Nobiliorem profectò finem, huius admirandi beneficij, assignat Sanctus Athanasius tum Orat. 3. contra Arrianos: tum in Lib. de Incarnatione Verbi, & de Humana natura suscepta.

His rationibus persuasus, cordatissimè dico: indignas esse has quæstiones, quæ tanto Patriarchæ tribuantur. Quod etiam fortassis fecit; quòd

 neque ab

neque ab Orthologo, nepue à Zizania, neque ab Antygraphista, neque ab vllo Schismatico, quod sciam; ad tempora vsque conuersionis Reuerendissimi Patris Meletij Smotricij, huius testimonij mentio facta sit. Itaque etsi in Colloquio, secundum quoque dedissem responsum; ostendendo dici posse; Spiritum Sanctum procedere à solo Patre, tanquam à Causa: (ita, vt eam idem ipse author q. 11. explicauit; intellecta, pro principio scilicet gignente, & emittente:) hoc tamen non obstare; quominus Spiritus Sanctus, dicatur procedere per Filium: vel à Filio: omnia Patris habente sola excepta vi & actione generatiua; tamen nunc, existimo, id esse minùs necessarium: cùm satis manifestè pateat, librum hunc, nullius esse, ad dogmata fidei probanda, momenti.

Hæc non plura testimonia, protulit meus Colloquutor: visus tamen mihi, malam causam, meliùs vtique tueri conatus esse; quàm tuitus sit, Synodi Florentinæ turbator.

Horum verò quæ superiùs attuli testimoniorum tantam infirmitatem, in Concilio Florentino agnouerunt Græci: vt (quemadmodum in epistola ad Lascarim consanguineum Imperatorum, scribit Illustrisimus Bessario;) vix conati sint ostendere, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere. *Nullum enim (inquit) eiusmodi scriptum habemus: (vt optimè tu quoque Lascari nosti) excepto dicto illo Damasceni dicentis: Spiritum Filij dicimus, ex Filio autem non dicimus: sed tantùm probasse, à Concilijs & Sanctis Patribus sæpe dici, Spiritum Sanctum procedere à Patre: nulla facta mentione Filij: quod Latini suo dogmati aduersari negabant.* Et meritò: nam qui dicit aliquem Isaiam esse doctum: non idcirco aduersatur alteri, qui aliquem Innocentium dicit esse doctum.

Conferat iam suæ salutis studiosus, testimonia Patrum asserentium, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio: vel per Filium: cum eis, quæ adducuntur ab eis, qui credunt eum procedere à solo Patre: videat: an (vt nunc Orientales sileam) non meritissimo iure, Syncello, & Quæstionum obscuro authori, præferri debeant; Sanctus Hilarius, Sanctus Augustinus locis 12. relatis à Gennadio Patriarcha, processionem Spiritus Sancti, ex Patre & Filio testatus: & Sanctus præsertim Gregorius Magnus: quem ipsimet Græci in lectionibus in eius festo recitari solitis; vocant Sanctum in omni genere scientiarum & in scripturis versatum: qui multos libros conscripserit: non humanis ratiocinationibus, sed studiosa tantùm eruditione per Spiritum Sanctum: quem Petrus Archidiaconus in specie columbæ sæpe viderit, ei quæ scriberet suggerentem: & dictantem. Sanè fatetur in Epistola proximè citata, Bessario: Græcos, testi-

monijs

monijs quæ à Latinis producebantur, nihil aliud respondere potuisse quàm libros esse corruptos. *Hoc verò* (inquit Bessario: quod ipsum, in suis Ephesij refutationibus, dicunt Gennadius, & Iosephus Methonensis,) *tandem absordum nobis visum est: tum quòd ex antecedentibus & consequentibus hanc esse mentem Sanctorum, quam producebant Latini, manifestò appareret; tum quòd plurimi & vetustissimi libri: multis annis ante Schisma conscripti producerentur, quibus deprauatio non poterat cum vllo fundamento obijci: præsertim cùm Græci nullum haberemus librum æquè antiquum; ex quo deprauationem probaremus: cùm tamen qui vult aliquem præscribere, & vt vitiatum & corruptum excludere, sine debitis rationibus & firmis probationibus id præstare non possit.*

QVÆSITVM XI.

An qui dicunt Spiritum Sanctum procedere à solo Patre; habeant aliquas efficaces rationes.

AFferunt illi quidem non paucas: sed an efficaces; videamus.

Obijciunt primò: si Spiritus Sanctus procederet à Filio; daretur æquiuocatio in Diuinis. Consequens est inconueniens. Ergo Spiritus Sanctus non procedit à Filio. Sequelam probant: si Spiritus Sanctus procederet à Filio, esset in eo vis spiratiua à Patre, cùm tamen in Patre esset eadem, à se: sed hoc in Diuinis est ponere æquiuocationem. Ergo &c. Nego Sequelam Maioris: & probationis minorem. Illustro instantijs. De Fide est, vim creatiuam in Filio esse à Patre, in Patre esse à se: an ergo ideo in Diuinis datur æquiuocatio? De fide item est, in Filio esse essentiam à Patre communicatam: (siquidem quidquid habet Filius, habet à Patre:) in Patre vero esse à se, an ergo in Diuinis erit æquiuocatio?

Obijciunt secundò: Spirare Spiritum Sanctum, vel est quid commune, vel quid proprium: si commune; omnibus tribus debebit conuenire personis. Si proprium; aut soli conueniet Patri: aut soli Filio: At non potest conuenire soli Filio. Ergo soli Patri. Prima Pars dilemmaticæ assumptionis probatur. Quia quidquid in Diuinis commune est, omnibus conuenit personis. Secunda verò. Quia proprietates in Diuinis, conueniunt personæ tantum vni. ℟. Nego primam partem dilemmaticæ assumptionis, cuius probationẽ negat Sanctus Gregorius Theologus: Orat. 23. dicens: *Communis Patri & Filio & Spiritui Sancto est Diuinitas: commune verò, Filio & Spiritui*

& Spiritui Sancto, est esse à Patre. Ita, Commune est Patri & Spiritui Sancto; sine Patre esse: non esse Filium: non esse generabile, nec genitum: differre à Filio. Commune Filio & Spiritui Sancto; Paracletum esse: differre à Patre: produci à Patre: Commune Patri & Filio, non procedere: habere Spiritum Sanctum: non esse Spiritum alicuius. &c. Respondeo secundò: nego alteram partem dilemmaticæ assumptionis. Probationem distinguo. Omnis in Diuinis proprietas, tantùm vni conueniet Personæ: quæ sit hypostatica & personæ constitutiua; Concedo. quæ γνωριστικὴ, seu notionalis: Nego. Spiratio autem actiua non constituit personam Patris: nec Personam Filij: atque ideo (vt & Missio Spiritus Sancti) potest esse communis Patri & Filio: quia in Diuinis omnia sunt vnum: vbi relationum oppositio non interuenit: aut formalis, & immediata; aut saltem virtualis & mediata: qualis inter Filiationem & Spirationem actiuam, nulla est.

Obijciunt tertiò: si Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio; procedit vel vt ab vno principio, vel vt à duobus: si primum, confundetur personæ: & è duabus fiet vna: quod in Sabellio damnauit fides orthodoxa: si secundum; inducentur duo principia: quod in Manichæis damnatum est. Ergo Spiritus Sanctus procedit à solo Patre. ℟. 1. hoc ipsum, Græcis soluendum esse: scientibus, Filium à Sancto Gregorio Nazianz. alijsq; Sanctis Patribus dici: ἀρχὴν ἐκ τῆς ἀρχῆς. principium de principio: & à Sancto Epiphanio Ancorati N. 19. πηγὴν ἐκ πηγῆς: fontem de fonte: immò in ipso Euangelio vocari principiū: ostendendumq; : quomodo Pater & Filius, non sint duo principia: nec duo fontes. ℟. secundò: Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio: vt ab vno spiratore: vnitate fluente non ex vnitate vel confusione personarum: sed ex vnitate virtutis spiratiuæ: duabus personis realiter distinctis, indiuisibiliter inexistentis: vt eisdem, vna eademque inexistit essentia: & ideo; nec confundi personas: vt mox latiùs ostendetur: nec induci duo principia.

Vrgebis: vbi est primum & secundum principium; ibi duo principia: In productione Spiritus Sancti, procedentis à Patre & Filio, datur principium primū, & secundum: (vt datur prima & secunda persona:) Ergo dantur duo principia in ea hypothesi. Respondeo primò: retorquendo argumentum: eademque repetita Maiore; subsumo Minorem. In creatione creaturarum datur primum principium & secundum, vt datur prima & secunda persona: An ergo creaturarum plura erunt principia? Respondeo secundò: Nego Minorem: vbi enim vnum tantum est principium: ibi non est secundum: vel distinguo Maiorem: vbi est primum & secundum

ſecundum principium, ob varietatem virtutis & actionis principiatiuæ, ibi duo principia: Concedo Maiorem. Vbi eſt primum & ſecundum principium, ob ſolum ordinem & diſtinctionem perſonarum, vnam vim & operationem principiatiuam indiuiſibiliter habentium. Nego maiorem. Quia ergo, in Spiritus Sancti productione, primum & ſecundum, non ſumitur, ex varietate virtutis & actionis principiatiuæ, ſed ex ordine & diſtinctione perſonarum ſpirantium; ideo, Nego, in Spiritus Sancti productione, dari plura principia.

Vrgebis Secundò: ſi Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio, vt ab vno Spiratore; ſequitur αἴτιον ἀναίτιον confundi cum αἴτιῳ αἰτιατῷ: atque ideo Patrem confundi cum Filio. Conſequens eſt abſurdum. Ergo &c. Diſtinguo Maiorem: ſequeretur id: ſi virtus ſpiratiua, non eſſet priùs origine in Patre; quàm in Filio: Tranſeat. Si eſſet; vti eſt. Nego. Eo enim ipſo, quòd ſupponitur, vis ſpiratiua, priùs origine eſſe in Patre; vt in Anarcho, & generante; intelligitur Pater, eſſe Spirator ἀναίτιος: & eo ipſo, quòd eadem vis ſupponitur eſſe poſteriùs origine in Filio; vt ἐν ἀρχῇ ἐκ τῆς ἀρχῆς, intelligitur Filius eſſe Spirator αἰτιατός. Neque hoc magis repugnat vnitati Spiratoris, quàm vnitati Creatoris. Nam & reſpectu creaturarũ Pater eſt αἴτιον ἀναίτιον: Filius verò αἴτιον αἰτιατόν. Vt ergo in vno Creatore, non confunditur αἴτιον ἀναίτιον cum αἴτιῳ αἰτιατῷ; ita nec in vno Spiratore: eò quòd æquè vis Spiratiua, ac creatiua, etſi eadem, indiuiſibiliter ſit in pluribus perſonis; non tamen cum eiſdem proprietatibus originis.

Vrgebis Tertiò: ſi Spiritus Sanctus procedit à Filio, vt ab vno Spiratore; ſequitur Spiritum Sanctum non fore tertiam perſonam: ſed ſecundam. Sequela probatur. Vbi nulla interuenit perſona media, inter primam & tertiam perſonam; ibi non eſt tertia perſona. Hîc non interuenit. Ergo &c. Reſpondeo retorquendo argumentum. Ita enim, ex vnitate creatoris inferretur, Spiritum Sanctum non fore Tertiam perſonam: ſic v. g. ſi mundus eſt creatus à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, vt ab vno creatore; nulla interuenit perſona media inter Patrem creantem, & Spiritum Sanctum creantem. Ergo ſi mundus creatus eſt, à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, vt ab vno creatore; Spiritus Sanctus non eſt perſona tertia. Reſpondeo ſecundò. Nego Sequelam, & probationis Minorem. Verè enim hîc interuenit perſona media: quæ tamen dicitur, vnus cum Patre Spirator: quia vnitas ſpiratoris, non deſumitur ab vnitate perſonæ, ſed ab vnitate virtutis & actionis Spiratiuæ. Nam, vt vnitas Creatoris non tollit ordinem & diſtinctionem perſonarum; verèque Pater eſt prima per-

ma perſona creans: Filius ſecunda perſona creans: Spiritus Sanctus tertia perſona creans: etſi vnus eſt creator: ita nec vnitas Spiratoris: verèque dicitur Pater, prima perſona ſpirans, & Filius ſecunda perſona ſpirans: etſi Pater & Filius vnus ſit Spirator: cùm, vt vis & operatio creatiua, eſt priùs origine in Patre, quàm in Filio; ita & vis ſpiratiua. Cæterùm, quoniam, inde à Photij temporibus, nunquam deſierunt Græci, hanc principiorum dualitatem, vel duarum perſonarum confuſionem obijcere Catholicis: licet in Concilio Lugdunenſi legerent eos damnari; qui docerent Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio: vt à duobus principijs: ideo operæ pretium eſt, hanc à nobis calumniam, paulò clariùs, amouere. Hac igitur penitus arte, nunc, veritatis Catholicæ, ſplendorem, Græci conantur obſcurare; quâ olim, Eutychiani contra Catholicos vſi ſunt. Dum enim Catholici, negarent in Chryſto confuſionem vel vnitatem naturarũ; ſeu conuerſionem naturæ humanæ in Diuinam; inferebant Eutychiani: negari ab eis, Chriſto, perſonalitatem Verbi Diuini: & cùm dicerent, duas in Chriſto eſſe naturas, inferebant ijdem, duas, à Catholicis, in Chriſto, admitti perſonas: quod erat Neſtoriana hæreſis. Simili modo: quando nunc, dicimus, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio; inferunt Græci nos duo ponere principia: Cùm vero ſynodicè proteſtamur; nos credere; Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, vt ab vno Spiratore; inclamant: à nobis duas, in vnam confundi perſonas. Sed, quem Clypeum, telis Eutychianis noſtri olim maiores duce Sancto Leone Magno, obiecerunt; eum nos obijcimus Græcis. Aiebant illi: ideo, in Chriſto eſſe duas naturas: quia vnio non eſt facta in naturis, ſed in hypoſtaſi: & negabant in Chriſto duas eſſe perſonas: quia, Verbum Caro factum eſt, per vnionem ſuæ perſonalitatis, cum Carne: eodem propè modo, nos reſpondemus Græcis. Vt, in Chriſto, vnitas perſonæ, non confundit naturas: ſed eas relinquendo, inconfuſas & impermiſtas, facit vnam perſonã in duabus naturis ſubſiſtentẽ, ſeu vnum Chriſtũ; ita, in Patre & Filio, vnitas virtutis ſpiratiuæ, non confundit, nec miſcet perſonas, ſed eas, cum ſuis proprietatib⁹, & diſtinctionib⁹, integrè relinquendo; facit, vnum Spiratorẽ; vt vna Deitas, Deũ vnum: & vna dominatio Dominũ vnum. Et vt, iniquè Eutychiani, Catholicis obijciebant, dualitatem perſonarum, ob admiſſam ab eis dualitatem naturarum; ita nobis Græci, iniquè obijciunt dualitatem principiorum, ob dualitatem perſonarum, vnâ & indiuiſâ vi, & operatione, Spiritum Sanctum; ſpirantium. Iniquè inquam: quia vt in Chriſto, ètſi, fuerint duæ naturæ; non fuere duæ perſonæ, ideò; quòd vnio facta eſt in perſona, non in naturis; ita hîc, non

ſunt duo

ſunt duo principia: quia multiplicatio principiorum; non perſonarum, ſed virtutis principiatiuæ multiplicationem, conſequitur. Denique: ſi qui adhuc, huic argumento tenaciùs adhæreant; expendant velim, Symbolum Sancti Athanaſij. In eo dicitur: Immenſus Pater, Immenſus Filius, Immenſus Spiritus Sanctus: Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus: Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus: non tamen tres immenſi, non tres æterni, non tres Domini, ſed vnus immenſus, vnus æternus, vnus Dominus. Quidni ergo modo omnino eodem dicamus? Pater eſt Spirator Spiritus Sancti: Filius eſt Spirator Spiritus Sancti: non tamen duo Spiratores, ſed vnus Spirator? Quia, vt vna immenſitas, vna æternitas, vna Dominatio, tres perſonas realiter diſtinctas, ſine vlla earum Confuſione, & Synalœpha, facit vnum immenſum, vnum æternum, vnum Dominum: quia in tribus perſonis, vna eſt immenſitas; vna æternitas: vna Dominatio: ita, vna vis, & operatio ſpiratiua, duas perſonas realiter diſtinctas ſine vlla earum confuſione & Synalœpha, facit vnum ſpiratorem; quia, in duabus perſonis, vis & operatio ſpiratiua, ita eſt vna; vt eſſentia, potentia, voluntas vna. Hæc qui accuratiùs expenderit, ſpero non ægre intellecturum, quâ ratione, Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio, vt ab vno Spiratore: & tamen ſine confuſione vlla,

Obijciunt quartò: Nulla Dei actio ad intra, poteſt eſſe communis duabus perſonis. Spiratio actiua eſt actio ad intra. Ergo non poteſt eſſe communis duabus perſonis. Reſpondeo: per Maiorem peti τὸ ἐν ἀρχῇ: hoc enim in quæſtione eſt: an ſpiratio actiua conueniat duabus perſonis. Nego igitur maiorem. Quid enim obſtat, quominus volitio Diuina fæcunda, ſit communis Patri, & Filio per intellectionem conſtituto? Deinde, miſsio actiua Spiritus Sancti, eſt (ſaltem inchoatiuè) actio Dei ad intra, & id quod proceſsio: (vt SS. Patres affirmant. aſſerentes; Patrem ideo non dici mitti; quia non habet à quo procedat:) & tamen Spiritus Sancti miſsio actiua, ſoli conuenit Patri & Filio; non autem Spiritui Sancto: teſte Sancto Baſilio Lib. 2. contra Eunom. *Fol. 729. Nec profectò ſeipſum mittit Spiritus Sanctus.* Vnde, hoc argumento vtitur, contra Sabellianos, Sanctus Athanaſius, in Orat. contra Gregales Sabellij: *Fol. 652. Si vna perſona; eſt cur vna mittit, altera mittitur?* Quibus eiſdem verbis contra Noëtianos vtitur Sanctus Epiphanius hær. 65.

Obijciunt quintò: ſi Filius ſpiraret Spiritum Sanctum, Spiritus Sanctus eſſet inæqualis Patri & Filio: Conſequens eſt inconueniens. Ergo &c. Sequela probatur. Quia Pater & Filius producerent ad intra, cùm tamen

Spiritus Sanctus nihil produceret ad intra. Nego maiorem, & probationis consequentiam. Hoc enim solum, exigit, Diuinarum personarum æqualitas, vt quælibet, hoc totum habeat; quod non repugnet eius proprietati: & non sit destructiuum mysterij Trinitatis: quia ergo, Filij proprietati non repugnat, esse Spiratorem: cùm per solum esse Patris, extrahatur ex esse Filij; ideo, ad æqualitatem eius quam habet cum Patre, pertinet; vt vnus sit cum Patre Spirator: At quia Spiritui Sancto, repugnat esse Spiratorem: cùm nihil possit producere seipsum; & Mysterium Trinitatis alias ad intra productiones non patiatur; ideo, ad æqualitatem eius cum Patre & Filio, non requiritur in eo productio ad intra.

Aliæ obiectiones, sunt pueriles paralogismi: v. g. si Spiritus Sanctus procederet à Patre & Filio; nec Pater esset Agens perfectum, nec Filius: quia alter alterius auxilio egeret.

Egregiè! Planè ita; atque Pater, sit agens imperfectum, & opis alienæ indigum; quia nihil potest creare, nisi cooperante Filio & Spiritu Sancto.

Sic: alia Phrasi: vel Filius confert aliquid ad perfectionem Patri: vel non: si primum; Ergo Pater supponitur imperfectus: si secundum; Ergo, Filij actio est superflua.

Plane! vt superflua esset in Creatione mundi. Deinde quæro. Quando Pater dat Spiritum Sanctum, datnè eundem Filius? si non dat; Errauit ergo Scriptura, & SS. Patres, docentes; Spiritum Sanctum dari per Filium: vel à Filio. Si dat; vel ergo confert ad perfectionem Patris datoris; & supponit imperfectum datorem: vel non confert; & sic, datio eius, est superflua.

Similiter: si Pater & Filius, est vna causa Spiritus Sancti, vel est vna numero, vel specie vna: si vna numero; ergo duæ personæ conflatæ in vnam: si vna specie; Ergo duo numero principia.

Quæro vicissim ab eis: si Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, est vna causa creaturarum; vel est vna numero: & sic, tres personæ conflantur in vnam: vel vna specie, & sic, sunt tria numero, creaturarum principia: qui est merissimus Martionismus. Dicere hîc licebit, cum Sancto Gregorio Nazianzeno Orat. 23. eiusque interprete Elia num. 36. Aut simul soluisti: aut simul hæsisti.

Obijciunt deniq; : saltē Symbolo adijci non debuit vox illa *Filioq;* : quia id sub anathemate Synodus Ephesina fieri vetuit: vt ideo oporteat anathemati eos subijci, qui in Symbolo canant *Qui à Patre Filioq; procedit.* Hoc

vltimum,

vltimum, maximè vrsit, in Synodo Florentina, Ephesius: & quidem adeo tenaciter: vt diceret, se, facile passurum alijs quibusque in Libris & Orationibus scribi: & doceri: tanquã verum & Catholicum dogma; quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio: modò è Symbolo, hæc vox, *Filioquè*, deleatur. Responsum est ei: si Spiritum Sanctum procedere à Filio verum & Catholicum dogma sit; nihil obstare, quominus id in Symbolo canatur: id præsertim exigente necessitate hæreseos ortæ, asserentis; atque, ex his ipsis verbis, *Qui à Patre procedit*, inferentis; Spiritum Sanctum procedere à solo Patre: ita, vt nec à Filio, nec per Filium procedat: quod antiquæ SS. Patrum doctrinæ aduersatur. Synodus Ephesina, vetuit componi aliam fidem, seu fidei professionem, (de Symbolo ibi, cani in templo solitò, nihil dicitur:) id est repugnantem fidei Nicænæ: additio autem hæc, nihil fidei Nicænæ repugnat: cùm ibi, etiam à Patre processionis, nulla fiat mentio: vel certè, vetuit fieri id, propriâ authoritate Clericorum aut Laicorum, (vt patet ex subiectis ibi censuris:) non autem vetuit, id fieri, à Concilijs, summo approbante Pontifice. Nam vt Constantinopolitanum & Calcedonense Concilia, non reprehenduntur; quòd illud Nycæno, hoc Nycæno & Constantinopolitano, aliqua detraxit, aliqua adiecit, Ecclesiæ bono id exigente: ita, nec reprehendi debent, Concilia Toletana: Concilium Nycænum Secundum: Lateranense: Lugdunense: Florentinum: quòd hanc vocem *Filioquè*, summo Pontifice approbante, Symbolo adiecerint: ob eiusdem boni exigentiã. Certè: si hoc vetitum fuisset; vtique, ante Photium, fuisset aliquis, tam feruidus Ephesinæ Synodi Zelator, saltem ex Eutychianis, vel Monothelitis, Sedis Romanæ hostibus infestissimis; qui hoc, tanquam illicitum, & anathemati subiectum; Agapeto, Agathoni, Hormisdæ, alijsq; Pontificibus Romanis, exprobraret: quod tamen nemo fecit: quia, ante Photium, illicitum censuit nemo. Pluribus obiectum hoc, tam solidè & eruditè, à Iuliano Cardinali, in Synodo Florentina, refutatum est: vt doctissimus Bessario, qui huic apendiculæ, initiò acriter restiterat; solidis rationibus conuictus, cum multis alijs veritati cesserit: vt, ipse testatur, in libro ad Alexium Lascarim scripto: de successu Concilij Florentini. Inter alia argumenta, ita argumentabatur Cardinalis. Symbolum Nycænum, vel idem est, cum Constantinopolitano; vel non idem: si non idem; Ergo anathemati subiecti sunt, qui Nycæno Symbolo repudiato, solo vtuntur Constantinopolitano: & priuatim, & publicè: si est idem; vel idem est, quo ad sensum: vel idem quoad verba. Non est idem quoad verba: quia quædam in Nycæno sunt, quæ desunt Constantinopolitano; & vice versâ, multa

multa adſunt Conſtantinopolitano, quæ deſunt Nycæno : vt patet vtrumque legenti : ſi autem hæc Concilia ſunt eadem ſenſu & intelligentiâ; Ergo & aliud quodcunque Symbolum, quod cùm Nycæno ſit eiusdem ſenſus, & intelligentiæ, erit idem cum Nicæno : vt proinde facta ei veritatis alicuius additio,nullius Nicænæ veritatis,euerſiua ; non ſit ἑτέρα πίςις : ſed eadẽ. Secundò : In Chalcedonenſi Synodo, cùm ex Archimandrita Conſtantinopolitano, factus virulentus hæreſiarcha, Eutyches, obieciſſet : eum, qui præter hanc fidem, (Nicænam) aliquid addiderit, vel excogitauerit ; vel docuerit; Anathemati ſubiectum eſſe; Euſebius Epiſcopus Dorijlenſis, qui erat accuſator Eutycheos, exclamauit : *Non eſt Canon, hoc prohibens, mentitus eſt. &c.* Sexcenti verò triginta Patres,Chalcedone congregati, hæc audientes, tacuere : & Eutychen, qui negabat aliquid Symbolo Nycæno addendum, condemnarunt. Ergo, Chalcedone declaratum eſt : Epheſi non vetitam eſſe additionem vocum, conſonarum Nicænæ fidei ; ſed ſolùm vocũ ei contrariarum. Ex quo, inſuper, ita argumentor. Eutyches qui dicebat Canone Epheſino vetitum eſſe ; Symbolo Nicæno, addi aliquam vocem, fidei Nicænæ non repugnantem ; iudicatus eſt mentitus eſſe. Ergo, & qui, hoc ipſum, nunc dicunt; eandem mendacij infamiam incurrunt. Non ergo, additamenti verborum, ſed, contrariorum fidei Catholicæ ſenſuum, prohibitionem, Epheſinus Canon continet. Reliqua videre licet in Concilio Florentino.

QVÆSITVM Vltimum.

An in Occidentalibus Imperijs, ſemper creditum ſit, Spiritum Sanctum procedere à Patre Filioquè.

ITa eſt. Etſi verò, qui primo & ſecundo ſeculo, Latinè aliquid de hoc ſcripſerint, reperirẽ neminẽ ; id tamen docuiſſe totius Occidentis Apoſtolos, ex eo aſſequor : primò : quòd Sanctus Damaſus Papa, qui primus (quod ſciam) occaſione Pneumatomachorum, quid de Spiritu Sancto ſit credendum, expoſuit : ſe id, quod ſcripſit, ab ipſiſmet Apoſtolis accepiſſe teſtatus eſt. Aſſequor ſecundò : quòd eandem fidem ſe gloriantur accepiſſe, Rauennates à Sancto Apollinari ; Traiectenſes & Tungri à Sancto Materno : Remenſes à Sancto Syxto : Senonenſes à Sãncto Sabiniano &

Sancto

Sancto Potentiano: Sancti Petri discipulis: ab eoque, ad prædicandum in dictis vrbibus missis.

Tertio seculo: Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere, docuit inprimis Sanctus Cyprianus in homilia de Spiritu Sancto: *Spiritus Sanctus procedens à Patre & Filio: quaternario superfertur: & conditor benignus opus suum amplectitur.*

Secundus Tertullianus Lib. contra Praxeam Cap. 4. *Spiritum (inquit) non aliunde puto, quàm à Patre per Filium:* & Cap. 8. *Tertius est Spiritus à Deo & Filio: vt tertius à radice fructus ex frutice: tertius ex fonte riuus ex flumine: tertius à sole apex ex radio.* En etiam in primitiua Ecclesia Patres, cùm loquerentur de processione Spiritus Sancti indifferenter vtebantur particulâ *PER* & *EX.*

Quarto seculo: idem docuit, inprimis: Sanctus Damasus Pontifex Romanus in Symbolo fidei: quod refertur in Tomo 9. operum Sancti Hieronymi. *Credo in Spiritum Sanctum non genitum, neque ingenitum, non creatum, neque factum: sed de Patre Filioque procedentem: Patri & Filio coæternum & coæqualem.*

Secundus, qui id eodem æuo docuit, & Synodo Nycænæ interfuit; est Sanctus Hylarius: tum locis citatis: tum insuper Lib. 12. de Trinitate vbi ita alloquitur Deum Patrem: *Spiritus S. ex te, per vnigenitũ.* Et in sermone habito pro Festo SS. Trinitatis, citato à Gennadio: Capite primo: sectione sexta: & nunc, inserto, Tomo primo Bibliothecæ GræcoLatinæ Patrum pag. 544. *Credimus (inquit) in SS. Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum &c. Patrem à se non ab alio: Filium ex Patre genitum: Spiritum Sanctum æqualiter à Patre & Filio procedentem.* En ex eodem quoque Sancto Patre, etiam in Orientalibus regnis celeberrimo fidei Orthodoxæ propugnatore, manifestum est: Particulas *PER*, & *EX*, in explicanda Spiritus Sancti processione à Filio, indifferenter adhibitas esse.

Tertius, eodem seculo, hanc veritatem docuit, Sanctus Ambrosius: ab Imperatore Theodosio, & à Synodo Ephesina magnopere honoratus: qui Lib. primo de Spiritu Sancto Cap. 1. ait. *Spiritus Sanctus, cùm procedit à Patre & Filio; non separatur à Patre & Filio.* Similia habentur Lib. de Symbolo Cap. primo, tertio, quarto. Sancti Hieronymi verba, adduxi supra.

His addo Idacium Clarum: qui vixit circa annum Domini 380. hic Libro contra Varimundum ita scribit. *Si tibi dixerint; ostende Spiritum Sanctum: vnde trahat originem; responde: certa & manifesta origo Spiritus Sancti, est Pater & Filius.*

Quinto ſeculo, hoc ipſum Sanctus Leo Magnus à pluribus Concilijs Oecumenicis, & SS. Patribus Orientalibus laudatus, docuit: tum loco ſupra citato: Quæſito primo: tum ſermone 1. in Pentecoſten. *Spiritus Sanctus (inquit) eſt Spiritus Patris & Filij: non vt quæcunque creatura: quæ vt Patris ita Filij eſt; ſed, vt, cum vtroque viuens: & potens: & ex eo, quod eſt Pater, Filiusque ſubſiſtens.* Et in Epiſtola ad Turibium, in qua dicit: *alium eſſe qui genuit, alium qui genitus eſt, alium qui de vtroque proceſſit.*

Hac epiſtola, incitati Patres Hiſpani, in Concilio Toletano Primo, anno 405. iuxta Baronij obſeruationem, in ſuæ fidei aſſertione, palam profeſsi ſunt, Spiritum Sanctum à Patre Filioquè procedere.

Secundò, hoc ipſum, hoc ſeculo, Sanctus Auguſtinus, altiſsimus & profundiſsimus myſteriorum Diuinorum magiſter, docuit: tum locis Quæſito primo citatis; tum inſuper, Lib. 5. de Trinitate Cap 27. *Qui poteſt intelligere, ſine tempore, generationem Filij ex Patre; intelligat ſine tempore proceſſionem Spiritus Sancti de vtroque.* Et Mox. *Intelligat: ſicut habet Pater, vt de ſe ipſo procedat Spiritus Sanctus; ſic dediſſe Filio, vt de eodem procedat Spiritus Sanctus: atque ita procedere Spiritum Sanctum de Patre: vt intelligatur, quòd etiam procedat de Filio &c.* Plura loca, ex eodem infert & refellere conatur, Maximus Planudes: ſed nullo operæ pretio. Ex eodem Sancto Patre, adducit Gennadius, Lib. primo, ſectione prima, teſtimonia 14. eaque efficaciter vrget.

Sanctum hunc Patrem, ſequuti ſunt eiusdem diſcipuli. Sanctus Proſper Lib. de vita contemplatiua Cap. 18. *Spiritus (inquit) ex Patre Filioque procedit.* Et Sanctus Fulgentius frequentiſsimè tum locis ſupra citatis; tum inſuper Lib. de Fide ad Petrum Diaconum Cap. 10. *Vnus eſt Deus Pater, qui ſolus eſſentialiter de ſe ipſo vnum Filium genuit: vnus Filius qui de vno Patre ſolus eſſentialiter genitus: & vnus Spiritus Sanctus qui ſolus eſſentialiter de Patre Filioque procedit.* Quod repetit Cap. 2. & Cap. 45. Et in Libro ad Ferrandum Diaconum, quæſtione ſecunda. *Proprium eſt Spiritus Sancti: vt de Patre Filioque procedat.* Et Cap. 11. de Fide. *Firmiſsime tene: & nullatenus dubites: eundem Spiritum Sanctum, qui Patris & Filij vnicus eſt Spiritus, à Patre Filioque procedere. Dicit enim Filius: cùm venerit Spiritus veritatis qui à Patre procedit: vbi ſuum eſſe Spiritum, eum docuit: quia ipſe eſt veritas.* Et in Fragmentis Lib. 3. contra Fabrianum. *Veraciter profitemur: ſolum Patrem genuiſſe: ſolum Filium de Patre natum eſſe: ſolum Spiritum Sanctum de Patre Filioque procedere.* Et Lib. 5. contra eundem. *Perſonarum proprietas, demonſtrat, alium eſſe Patrem quia genuit: alium Filium quia de Patre natus eſt: alium Spiritum Sanctum quia de Patre Filioque procedit. &c.*

Et Lib. 10. *Confitemur nos credere in Spiritum Sanctum: qui est vnus Spiritus Patris & Filij: de Patre Filioque procedens: in Patre Filioque manens.* Hic vnus, vitæ Monasticæ religiosissimus cultor, Catholicæ fidei contra Arrianos inuictus defensor, totius Africani Cleri lingua & ingenium; etiam ab Orientalibus Patribus ad soluendas quasdam in Mysterijs Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis difficultates adhibitus, deberet obstruere iniquorum ora: proteruè & pertinaciter, magnâ in Deum Patrem & Filium iniuriâ, negantium, Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere: quasi nec Pater æqualem sibi per omnia posset producere Filium; nec Filius dignus sit, à quo Spiritus Sanctus accipiat esse. Vixit Sanctus Fulgentius, in fine Sæculi Quinti: vitâ vsque ad multos annos Sæculi Sexti protractâ: vicinior vtique Sanctis Apostolis; quàm fuerit Photius, vel Cerullarius. Vixit Sanctissimè: scripsit, (lectorem appello:) doctissimè iuxta ac eloquentissimè; fidei in eo tantus fuit ardor; vt eius Causâ, grauissima verbera exiliumque subierit: frequentesquè cum Arrianis, Regibus Africanis præsentibus, disputationes habuerit: quomodo ergo Photiani, tam Sancto Patri negatâ fide, securos se, in die nouissimo, cogitare possunt; nullius à se exigendi supplicij, tam grauis, & Personis Diuinis, admodum iniuriosi, erroris?

Addo adhuc, Sancto Fulgentio; eodem æuo viuentem, Sanctum Boëtium Martyrem: qui Lib. primo de Trinitate C. 12. ait; *Ita cogitare debemus; Filium ex Patre esse: & Spiritum Sanctum ex vtroque.* Et Paschasium Romanum, Diaconum Cardinalem, virum magnæ Sanctitatis, & doctrinæ: qui in Libris de Spiritu Sancto, etiam à Sancto Gregorio magnopere commendatis, Lib. 1. Cap. 8. Bibl. Magn. Tomo 5. parte 3. *Fol. 736.* ait: *Spiritus Sanctus de vtroque procedit; ideo dicit: Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et Cap. 12. *Si inquiras; quid inter nascentem & procedentem distet; euidenter hoc interest: quia ille ex vno nascitur: iste ex vtroque progreditur.*

Addo etiam Arnobium Iuniorem; qui, in suo, cum Serapione hæretico, de Deo Trino & vno, conflictu; ita scribit: eodem Bibliot. magnæ loco: *Fol. 225, Pater est vena: Filius fons, qui natus est de vena: de vena verò & fonte non nascitur fluuius: sed procedit. Aliud ergo nasci: aliud procedere est: vena est Pater, generans Filium: quem diximus fontem: ex vena verò & fonte, non nascens, sed procedens fluuius est Spiritus Sanctus.* Et infra. *Ipsum Spiritum Sanctum, qui procedit ex Patre & Filio; sicut de fonte, & de vena fontis, procedens Fluuius; contra doctrinam Macedonij, Deum esse, Sanctus Paulus euidenter ostendit.*

Sexto Sæculo eandem veritatem docuit, Sanctus Hormisda Romanus Pontifex: etiam apud Orientales summæ authoritatis: in epistola ad Iustinum Imperatorem: data contra Skitensium Monachorum nouitates. *Proprium (inquit) est Patris, vt generet Filium: proprium Filij Dei, vt ex Patre Patri nasceretur æqualis: proprium Spiritui Sancto; vt de Patre & Filio procederet sub vna Substantia Deitatis.*

Eandem docuit, eodem æuo, circa annum 590. in Romanæ Ecclesiæ thronum assumptus; Sanctus Gregorius magnus: quem Græci Dialogistam vocant. Hic libro secundo Dial. in fine ait. *Cùm constet; quia Paracletus Spiritus, à Patre semper procedat & Filio; cur se Filius recessurum dicit, vt ille veniat, qui nunquam recedit?* Idem Lib. 30. Moral. Capite 8. expendens verba illa Christi. *Venit hora, cum iam non in parabolis loquar vobis &c.* ita scribit. *Palam de Patre annunciare se asserit: quia, per patefactam tunc maiestatis suæ speciem, & quomodo genitori non impar oriatur; & quomodo ab vtroque Spiritus vtrique coæternus procedat; ostendit.* Deniq; in Confessione suæ fidei, ita profitetur. *Credo in Deum omnipotentem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: Patrem ingenitum, Filium vnigenitum, Spiritum Sanctum, nec genitum, nec ingenitum, sed coæternum: de Patre & Filio procedentem.* Huius ergo Sancti Patris, quem suo Menologio inscriptum, vt verè Sanctum honorant Græci; reuereantur authoritatem: & dogma sequantur.

Idem, eodem æuo, docuit, vir magnæ authoritatis, Ferrandus Diaconus Carthaginiensis ad Seuerum Scholasticum. Bibl. Magnæ tomo 6. parte prima, *Fol.* 359. *Credimus (inquit) Patrem à nullo genitum: Filium de Patre vnigenitum: Spiritum Sanctum de Patre ingenito, & Filio vnigenito procedentem.* Et infra. *Generare solius est Patris; nasci solius Filij: procedere de ambobus, solius confitemur Spiritus Sancti.*

Septimo Sæculo, eandem professus est veritatem; Sanctus Agatho Romanus Pontifex: in epistola Concilij Romani: anno 580. habiti: superiùs Quæsito secundo, citatâ: & relatâ. Eandem docuit, Synodus Toletana Quarta: collecta circa annum circiter 633. vocataque Generalis: ob frequentiam Patrum, tam ex Hyspanis quàm ex Gallia Narbonensi: vbi ea leguntur verba: *Spiritum, non creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre & Filio profitemur.* Eandem veritatem docuit, Sanctus Idelphonsus Archiepiscopus Toletanus: cuius Sanctimoniam, & lucubrationes, Virgo Beatissima Deipara, adhuc in hâc vitâ, magnopere sibi gratas testata est: cùm ei, vestem pro Sanctissimo Sacrificio ritè peragendo, cælestibus contextam manibus donauit: quæ huc vsque in thesauro Toletanæ Ecclesiæ asseruatur.

asseruatur. Hic libro de Virginitate Beatissimæ Virginis Deiparæ, Cap. 8. ita scribit. *Audisti testimonium de Spiritu Sancto: qui vt hunc Filium Dei esse ostenderet; (de quo secundùm Diuinitatem idem Sanctus Spiritus procedit;) descendit in eum corporaliter. &c.*

Octauo Sæculo idem docuit; Adrianus Papa: tum in literis in Septima Synodo Oecumenica lectis: tum in libro de imaginibus: in defensionem Synodi Septimæ, contra Gallorum Capitularem ad Carolum Magnum conscripto: in quo Sanctus Pontifex tuetur Confessionem Sancti Tharasij Patriarchæ: confitentis, Spiritum Sanctum procedere ex Patre per Filium: ostenditque multis testimonijs, idipsum planè, vtraque loquutione, Ex Filio, & Per Filium significari. Eandem veritatem, eodem sæculo testatus est Ven. Beda libro primo de Elementis Philosophorum. *Spiritus (inquit) à Patre & Filio procedit.* Idem in Caput 4. epistolæ ad Galatas prolixè adducit: quæ Sanctus Augustinus, pro Spiritus Sancti processione ex Patre & Filio, scripsit.

Eodem Sæculo, docuit hanc veritatem, Alcuinus Caroli Magni Imperatoris Magister: qui Lib. de fide Sanctissimæ TRINITATIS C. 6. ait: *Spiritus Sanctus qui de Patre & Filio æqualiter procedit, ineffabilis quædam Patris, Filijque communio est.* Et Cap. 12. *Spiritus Sanctus hoc habet proprium, quòd ex Patre & Filio æqualiter procedit: & est amborum Spiritus.* Et Cap. 15. *Spiritus Sanctus nec ingenitus, nec genitus alicubi dicitur: sed tantummodo procedere de Patre & Filio, salua fide dicendus est. Qui tamen non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam; (vt quidam malè intelligentes, credendum esse putabant,) sed simul de vtroque procedit: quia Pater talem genuit Filium, vt quemadmodum de se, ita & de illo quoque procedat Spiritus Sanctus.* Cuius Beati Abbatis testimonia, non debent contemnere Græci: tum quòd esset (vt scribunt Critici) vir Græcis Latinisquè literis egregiè doctus: necnon & Theologorum Philosophorumquè sui temporis, facilè princeps: tum quòd vitæ sanctimonia illustris esset: tum verò maximè, quòd in Spiritum Sanctum, singulari esset pietate: quæ fecit, vt infirmus, eum votis omnibus exorarit; vt quo die, in linguis igneis venire visus est; eo is migraret è vita: quod etiam impetrauit. Die enim Pentecostes, peracto Matitunali officio, eâdem horâ, quâ ingredi consueuerat ad Missas, carne solutus est: & ministerio cælestium Leuitarum, (nam & ipse Presbyteri dignitatem deprecatus, Leuita vsque ad mortem permansit:) habentium secum Sanctum Stephanum Protomartyrem, & Sanctum Laurentium Romanum, ad cæleste domicilium delatus est.

 Nono Sæ-

Nono Sæculo, eandem veritatem, contra Photium fortiſsimè defenderunt: Sanctus Nicolaus Papa: & Hadrianus ſecundus: & é Gallis Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus: in libro aduerſus obiecta Græcorum ſcripto, ad Odonem Beluacenſem: & Theodulphus ex Abbate Floriacenſi, Epiſcopus Aurelianenſis: in Collectaneis de proceſſione Spiritus Sancti, ad Ludouicum Pium Imperatorem. Quibus addo, Agobardum Epiſcopum Lugdunenſem: qui Tomo 9. Bibl. Lib. de Sanctiſſima Trinitate Fol. 609. ita ſcribit. *O quàm vera Trinitas! vbi nullus naſcitur à ſe: nullus procedit à ſe: ſed Filius naſcitur ex Patre: Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio.*

Decimo Sæculo, eandem veritatem teſtata eſt, Synodus Gallicana: anno 909. à Herueo Archiepiſcopo Rhemenſi, collecta: in qua Patres congregati, ad euitandos, & pro viribus refellendos Photij errores, præſertim de proceſſione Spiritus Sancti, magnopere ſunt excitati. Eodem ſæculo, eam ipſam veritatem, prædicauere Polonis, Hungaris, Slauis, Bohemis, Danis, Suecis, earundem gentium eo fere ſæculo conuerſarum, Apoſtoli: eo ſucceſſu, vt in hodiernam diem, quam de proceſsione Spiritus Sancti, ab initio hauſere doctrinam; retineant conſtantiſsimè. His addo Sanctum Brunonem, Imperatorum Occidentalium conſanguineum: & Franciæ Orientalis, Trithemio teſte, ſingularem Patronum: qui in Expoſitione Symboli Sancti Athanaſij, expendens illa verba: *Spiritus à Patre & Filio non factus &c.* ita ſcribit. *Proprium habet Filius, quia ſolus à ſolo Patre genitus eſt. Proprium habet Spiritus Sanctus, quia non eſt Pater & Filius, ſed Spiritus Sanctus procedens à Patre & Filio. Audis quia iſte ab ambobus? Filius ab vno? Pater à nullo? & per hæc apertè monſtrantur proprietates eorum.* His addere meritò poſſem Sanctiſsimarum Religionum inſtitutores, vt Sanctum Benedictum, Sanctum Romualdum, Sanctum Norbertum, Sanctum Dominicum, Sanctum Franciſcum, Sanctam Thereſiam, Sanctum Ignatium, per quorum Filios, Deus, longè lateque Chriſtiani imperij pomeria extendit. Addere item meritò poſſem Sanctum Petrum Damiani, Sanctum Bernardum, Sanctum Anſelmum, Sanctum Thomam, Sanctum Bonauenturam, & alios, qui doctiſsimis lucubrationibus, Eccleſiam Dei illuſtrarunt: & Photianorum errori fortiſsimè obſtiterunt.

Eſt ergo, & fuit ſemper, ab omnibus Patribus Occidentalibus creditum: quòd Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedat: quam fidem cùm tot ſæculis, publicis teſtarentur monimentis; quorum aliqua Græci ſuo idiomate donarunt; cùm verbis vterentur clariſsimis; nemo ante Photium, vllum eis errorem obiecit: nemo ſcriptum reprehendit: ne illo quidem tem-

dem tempore, quo totus fere Occidens, Gothorum, Vandalorumque armis oppressus gemebat: florente interea Orientis imperio. Quis credat, omnes Sanctos Patres Orientales, tanto tempore, adeo incurios animarum Christi sanguine Redemptarum fuisse, vt eorum nemo ab execrabili (vt dicunt nunc Ephesiani) hæresi, magnam partem mundi educere curauerit? nemo, vt, contra adeo inolitum dogma quidquam mouerit? dixerit? scripserit? Si hic error fuisset; quomodo eum dissimulasset Dioscorus, & asseclæ eius? quomodo eundem dissimulassent alij; qui suas hæreses, à Romanis Pontificibus ægerrimè ferebant damnari? quomodo non obiecissent Orientalis Ecclesiæ authoritatem, (vt nunc faciunt Græci) ad tantum Occidentalium regnorum errorem euertendum? Certè hoc eiusmodi est; vt si nullum haberent Romani, veritatis à se creditæ, Orientalium Patrum testimonium; hoc ipsum tam constans, totque sæculis continuatum ab omnibus Patribus Orientalibus, silentium, vim habere deberet, clamosæ probationis: Omnes in Oriente SS. Patres, eandem de Spiritu Sancto cum Occidentalibus fidem habuisse: etsi, vel ex vsu linguarum, vel ob aliquam aliam causam, modo solo loquendi, dissiderent. Nunc verò, cùm non soli Occidentales, sed etiam tot Orientales Patres, Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere, testentur; vt vidimus: dicant iam, si audent, Photiani: eos solos orthodoxos esse, qui Spiritum Sanctum procedere à solo Patre credunt. Itane? tota ergo Ecclesia Occidentalis, atque omnes illi qui ab Apostolis exceptam fidem per Africam, Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, aliasque Septemtrionales regiones propagarunt; qui gentes à se conuersas, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, docuerunt; Orthodoxorum numero excludentur? audebit aliquis Damaso, Gregorio, Hormisdæ, Leoni, Augustino, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, hæresim obijcere? Fuerat id quidem ausus, Florentinæ Synodi Calumniator Ephesius: sed meritò à doctissimo Metropolita Nycæno audijt: *Muta fiant labia dolosa: quæ loquuntur aduersus Sanctos.* Et verò prodigiosa quædam cæcitas est: Orthodoxum censere Palamam, Alcoranicum propè fabulatorem, & Sanctissimæ Trinitatis, per realem ab essentiâ Diuinâ personarum distinctionem, euersorem: Calumniatorem Cabasilam, & nescio quos Plethones: & negare Orthodoxos, esse, quos omnia Concilia Oecumenica, vt Sanctos, & dogmatum fidei magistros, venerata sunt. Columnam Orthodoxæ fidei Sanctum Leonem, appellauit Synodus Chalcedonensis: & tamen ille alicui Ephesio erit hæreticus? Grauiter reprehendit, Sanctus Anastasius Sinaita Seuerianos, in Odigo Cap. 7. quòd contempserint Sanctum Augustinum, Gre-

num, Gregorios, Basilium, Chrysostomum, Athanasium, Ambrosium, Cyrillum Alexandrinum, quem ibi appellat Patrum omnium signaculum: & non merentur grauiùs reprehendi, qui tantos Patres Orthodoxorum numero expungunt: & hæreseos impudenter insimulant? vtinam vel suas consulerent conscientias: rectenè Sancto Gregorio Papæ, Sancto Leoni magno, Sancto Augustino, Sancto Ambrosio, Sancto Hilario affingant hæreses: quos tamen ipsimet, Sanctos esse, & plerosque suis Menologijs inscriptos, negare nequeunt. Horum proteruiæ, vt imponatur modus, vnum eis obijcio argumentum. Qui non sequitur in omnibus SS. Patres ac Doctores Dei Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Cyrillum, Ioannem Chrysostomum, & omnia quæ ab eis de fide recta conscripta sunt, non recipit; Sanctæ Synodo Oecumenicæ Quintæ aduersatur: exque eius definitione anathema est. At quisquis non credit Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio; non sequitur in omnibus recensitos SS. Patres: qui (vti probatum est) docuêre eum procedere à Patre & Filio: Inferant ergo Conclusionem, quæ sequitur: seque euidentissimum incurrere anathema agnoscant.

APPENDIX.

Refutatio Lithologi.

VLtimam prope manum, huic operi impositurus, incidi in librum, qui inscribitur λίθος, in quo eius Author, (qui suo suppresso nomine se Eusebium Pimena, dixit; ego eum Lithologum dicam:) studiosè conatus est omnibus persuadere: Spiritum Sanctum, à solo Patre procedere: argumentis adeo debilibus; vt, suis eum Collegis, iustum rear mouisse scrupulum: quòd, tam leuibus nixi fundamentis, Catholico audeant orbi contradicere. Vix reuera est: quod non in præcedentibus solutum sit. Ne tamen, magnus inter suos Apollo, glorietur, sibi nihil responsum; idque in contumeliam veritatis Catholicæ trahat; breuiter ei respondeo.

Scripturam is non aliam citat; quàm, quòd dicatur Filius procedere à Patre: quod nostrum nemo negat. Adducenda esset Scriptura: quæ diceret, Spiritum Sanctum procedere à solo Patre: quia, hæc aduersariorum thesis est: hæc probari deberet: cùm nos plura Sacræ Scripturæ loca, afferamus,

feramus, quibus hanc veritatem,(quòd Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio,) esse reuelatam; agnouerint Clarissimi Orientales Patriarchæ: & Sacræ Scripturæ interpretes.

Ait idem: hanc fidem, (si hoc nomen, error tam crassus, à Nestorianis & Copronymitis haustus meretur:) Apostolos à Christo accepisse: suisque successoribus tradidisse. Sed non probat. Extant Epistolæ SS. Apostolorum, Petri & Pauli, Iacobi, Ioannis, Thaddæi &c. exhibeant vel vnicum, ex eis testimonium: vbi docuerint; Spiritum Sanctum à solo Patre procedere. Oppositum ex eis collegit Sanctus Ambrosius Lib. 3. de Spiritu Sancto Cap. 9. Nam cùm, Rom. 8. v. 8. & 11. eundem Spiritum Sanctum legisset, dici Spiritum Christi, & Spiritum Patris: idque ipsum vidisset, ad Galat. 4. ℣. 6. Actorum 16. v. 7. Petri v. 11. dici; conclusit: Spiritum Sanctum ex Patre Filioquè procedere. Non ergo, potest probari: Apostolorum doctrinam esse, quòd Spiritus Sanctus à solo Patre procedat. Immo, neque probari potest, hanc esse doctrinam successorum Apostolorum. Nam, successores principum Apostolorúm, fuere Pontifices Romani, quorum tamen nemo docuit, Spiritum Sanctum procedere à solo Patre. Successor Sancti Marci fuit Sanctus Athanasius, qui tamen Orat. 4. contra Arrianos, docuit: Spiritum Sanctum habere à Verbo quidquid habet. Successor eiusdem Sanctus Cyrillus Alexandrinus, qui tamen sæpiùs professus est, Spiritum Sanctum ita procedere ex Filio vt ex Patre. Successor Sancti Iacobi fuit, Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus: qui tamen docuit, Spiritum Sanctum à Filio, diuinam essentiam accipere. Successor Sancti Barnabæ, fuit in Cypro, Sanctus Epiphanius: qui tamen sæpiùs docuit, Spiritum Sanctum procedere ex ambobus. Successor eiusdem, in Episcopatu Mediolanensi, Sanctus Ambrosius: qui tamen sæpe docet, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio. Successores Sancti Petri, in sede Antiochena, fuere; Sanctus Ignatius: & Sanctus Anastasius Sinaita: qui tamen docuere, Spiritui Sancto diuinam essentiam tribui à Filio. Successores denique Sancti Andreæ, (si is Bizantinam Ecclesiam primus rexit, quod tamen ante Nicephorum, qui propè octingentis annis, posterior Apostolis vixit; asseruit nemo:) fuêre, Sanctus Ioannes Chrysostomus, Tharasius, Ioannes Beccus, Iosephus, Gennadius, & alij Patriarchæ Constantinopolitani: qui tamen Spiritum Sanctum procedere à Filio vel per Filium docuere.

Præterea, Apostolica doctrina, in omnem transit orbem. At ostendatur: vnquamnè hæc propositio, (Spiritus Sanctus procedit à solo Patre) credita est Romæ? Nos ostendimus: hanc veritatem (quòd Spiritus Sanctus pro-

ctus procedat à Patre & Filio;) prædicatam esse in toto Occidente: per Sanctos Cyprianum, Hilarium, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Leonem, Gregorium: & insuper in toto Oriente, per Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam Patriarchias: & nunc, eandem, scimus, non in toto duntaxat Occidente prædicari; sed & in Oriente: Constantinopoli: Hierosolymis: in Armenia & Perside: in Indijs: Iaponia: China: Cocinchina: Aethiopia: alijsque regnis Orientalibus. Dicite iam: vtra doctrina (vt sonum Apostolorum decuit) in omnes orbis terræ fines penetrauit? Denique successores Apostolorum fuêre, Patres Congregati, in Concilijs Ephesino: Constantinopolitano Tertio: Nicæno secundo: Lugdunensi: Lateranensi: Barensi: Florentino: qui Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, confessi sunt.

Atqui (inquit Lithologus) *Sanctus Andreas ita docuit: Spiritum Sanctum procedere à Patre, & in Filio quiescere.* Audimus: petimus vbi? ostendatur aliquod tanti Apostoli monimentum: vbi hoc tantus Apostolus docuit? vbi scripsit?

Respondent: Clericos Achaiæ, in vita Sancti Andreæ profiteri, quòd eam fidem, à Sancto Andrea edocti sint. Nos dicere possemus: immeritò hos pro testimonio Apostolico adduci; quod nullus Apostolorum; sed tantùm, vnius Apostoli, scripsere discipuli. Quàm multa scripsit de Apostolis Abdias, quæ Ecclesia reiecit! Itinerarium Sancti Petri, Actus Andreæ, actus Pauli, &c. Gelasius Papa, & cum eo tota Ecclesia, inter apocrypha retulit. Ipse Lithologus, Sanctum Iacobum, Hierosolymitanum Episcopum, fuisse Apostolum negat: Pagina 416. etsi vitæ eius antiquissimi scriptores affirment oppositum. Dicere ergo meritò possemus: non debere id pro testimonio Apostolico, adduci; quod nullus Apostolorum, sed vnus, vitæ Sancti Andreæ, scriptor affirmauit. Sed, quidquid sit, de huius testimonij momento, expendamus illud. *Aiunt Achaiæ Clerici, se ita à Sancto Andrea instructos esse, vt credant in Spiritum Sanctum, à Patre* (addit hic Lithologus à solo, sed falsò: nam vox ea Solo, non est ibi:) *procedentem: & in Filio quiescentem:* Quid ergo? quid hîc contra nos? an ideo non procedit à Filio? Nego Consequentiam: immo, vel ideo ab eo procedit, quia in eo quiescit: nec enim in eo quiescere posset immanenter, nisi ab eo procederet: cùm, de ratione actionis immanentis, sit esse in eo, à quo elicitur. Audite Sanctum Gregorium Thaumaturgum: Orat. Tomo 7. operum Sancti Chrysostomi, insertâ; inducentem ita loquutum Deum Patrem: *Hic est, Spiritum mecum emittens, & quem emisit, recipiens.* Potest ergo,

ergo, Spiritus Sanctus quiescere in Filio, & tamen procedere ab eo. Id quod, vt promptiùs admittant aduersarij: quæro ab eis: quiescitnè & manet Spiritus Sanctus in Patre, an non? si non; nunquam ergo Spiritus Sanctus est in Patre: nunquam Pater habet Spiritum Sanctum: semper, ab æterno, Spiritus Sanctus est extra Patrem: quod horribilis blasphemia est: si verò Spiritus Sanctus, quiescit, manetquè etiam in Patre; Ergo vt in Patre quiescit, & manet; etsi ab eo procedat: ita à Filio procedit, in quo quiescit & manet: immo: vt in Patre quiescere & manere non posset; nisi ab eo procederet; (cùm impossibile sit, terminum actionis immanentis vitalis, in alio subiecto vitaliter recipi nisi in eo, á quo elicitur: vt patet inductione intellectionum & volitionum hominis:) ita in Filio quiescere non posset; nisi ab eo procederet. Sed de hoc iam satis *Fol. 61.* actum.

Denique, viginti & ampliùs, genere & educatione Græci, fuere Romani Pontifices: qui à Sancto Andrea, traditam fidei doctrinam, non poterant ignorare: neque tamen vllus illorum fuit, qui docuerit Spiritum Sanctum à solo Patre procedere: quia nimirum, hanc doctrinam, non à Sancto Andrea, sed à Nestorianis, Copronymitis, Photio, Cerullarioquè hausêre Græci. Nihil ergo, ex allatis Clericorum Achaiæ verbis, lucrantur Schismatici: ijs autem quæ subticent, validè premuntur: vt supra ostendi: dum testes, Patriarchiæ Constantinopolitanæ producerem. Quæres: cur peculiariter tribuatur Filio, quòd in eo quiescat Spiritus Sanctus. Respondent aliqui: ad intelligendum de Filio: quòd is fuerit Flos, egressus de radice Iesse, supra quem requieturum Spiritum Sanctum, prædixerat Isaias: 11. v. 2. & 42. ℣. 1. *Spiritus Domini super me &c.* quem vltimum locum, de seipso, Christus Dominus interpretatus est: in Synagoga Nazarethana: Lucæ 4. sed quia subiecta verba, *vt appareat &c.* hunc sensum non patiuntur; Respondeo: ideo fortè, dici, Spiritum Sanctum permanere in Filio: quia amor amantis, quiescit in amato: quo ergo modo (iuxta aliquorum versionem) aiebat Pater; *Hic est Filius meus dilectus in quo acquiesco;* eodem videtur posse dici; Amorem amantis Patris, (qui est Spiritus Sanctus,) quiescere in Filio. Quia tamen, hic amor, mutuus est; necessariò sequitur, vt quomodo amor procedens à Patre, quiescit in Filio: ita omnino idem amor, procedens à Filio, quiescat in Patre. Aut certé: ideo dicitur, Spiritus Sanctus quiescere in Filio: vt significetur: vim spiratiuam non transire à Filio ad Spiritum Sanctum: sed à Patre, Filio communicatam, sistere vel quiescere in Filio.

Ridiculè ergo, pro Apoſtolica doctrina venditat Lithologus : quod neque Apoſtoli, nec eorum diſcipuli, vnquam docuerunt.

Sed inſtat : Sanctum Dionyſium docuiſſe, quòd ſolus Pater ſit fons in ſuperſubſtentiali Deitate. Quid inde ? an ex eo ſequetur Spiritum Sanctum non procedere à Filio ? Minimè. Legatur Sanctus Athanaſius Lib. de humana ſuſcepta natura, ſupra citato : expreſsè ex illis verbis Pſal. 35. *apud te eſt fons vitæ*, inferens hoc : *Nouerat (inquit) Dauid, apud Patrem Filium eſſe fontem Spiritus Sancti.* Legatur Sanctus Cyrillus Alexandrinus Lib. 5. in Ioan. expreſsè docens : Filium eſſe Fontem : & Spiritum Sanctum aquam viuam. Idem epiſtola ad Theodoſium docet : quòd, Verbum, Spiritum Sanctum, ex propria natura nobis fontaliter profundit. Legatur Sanctus Chryſoſtomus Tomo 5. Græcolatino p. 689. in homilia quadam quæ incipit *Iterum nobis Dauid &c.* expreſsè docens fontem aquæ viuæ, eſſe Deum : flumen ex fonte procedens, Filiū : aquam huius fluminis, Spiritum Sanctum. Videat iam Lithologus, meritonè vſque ad faſtidium immoretur argumento, ex voce fontis ducto. En tres Sanctiſſimi Orientales Patriarchæ, Fontem eſſe Spiritus Sancti Filium, docent. Reſpondet is *Fol. 385.* Filium ita dici fontem, vt à Sancto Damaſceno, fons dicitur etiam Spiritus Sanctus : nempe ad extra : non quoad emanationes internas. At verba clariſsima citatorum SS. Patriarcharum ſunt : Filium eſſe fontem, non alicuius creaturæ, nec alicuius Spiritualis doni, ſed ipſiusmet Spiritus Sancti. Præterea Sanctus Cyrillus Alexandrinus Lib. 1. de Adoratione ait. *Spiritus Sanctus, eſt ſubſtantialiter ex vtroque: nimirum, ἐκ πατρὸς δι᾽ υἱοῦ προχεόμενον πνεῦμα : ex Patre per Filium profluens Spiritus Sanctus.* Vides Lithologe, tuum ſenſum defendere te non poſſe, niſi Spiritum Sanctum dicas creaturam : ſiſque Eunomianus. Cæterùm, Sanctum Dionyſium, nec voce nec calamo vnquam docuiſſe, Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere; illud inſuper, prudentem & æquum rerum æſtimatorem, conuicerit : quòd nunquam in Gallijs, quarum ipſe Apoſtolus fuit, ita creditum eſt. Fuère Galli, huic ſuo Apoſtolo Sancto, affectiſsimi : & cùm eius opera, orbi fere ignota, (nullum enim Oecumenicum Concilium, inter Patres, è quorum dictis definiebantur res fidei, eius mentionem facit :) cùm inquam eius opera, Theodorus Oeconomus Sanctæ Sophiæ, Conſtantinopoli in Gallias tuliſſet; eaque Anno Domini 824. Heduino Abbati Sancti Dioniſij obtuliſſet; excepit is illa, ſummo gaudio : & Latinitate donauit. Rurſus, cùm Anno Domini 834. Sanctus Ludouicus Rex, beneficio Sancti Dionyſij, in regnum reſtitutus eſſet; ſummam adhibuit curam : vt, vita Sancti Dionyſij, eiusque omnia volumina, colligeren-

ligerentur; & in commune totius Galliæ bonum ederentur; id quod assecutus est, per Hilduinum Abbatem Sancti Dionisij. Cùm igitur Galli, operum Sancti Dionisij fuerint studiosissimi, eaque accuratè legerint, & eruditis illustrauerint commentarijs; quis sine admiratione cogitare potest, nunquam eos id in Sancto Dionysio legere aut videre potuisse; quod prætendit Lithologus? Quis credere potest, id à Sancto Dionysio Gallis esse prædicatum: cuius in nulla Gallicana Ecclesia, vllum vnquam extiterit vestigium? Immo constat, nullam fere gentem, ex Occidentalibus, plures & eruditiores edidisse libros, pro Spiritus Sancti ex Filio processione; quàm ediderint Galli. Constat item: eos, vel primos, vel ab Hispanis secundos, Anno 809. Annis ante Photium 50. circiter, in Aquisgranensi Synodo, Symbolo in Missa cani solito, vocem illam, *Filioquè* adiecisse: id vtique nunquam facturos; si Sancti Dionysij, eorum, Apostoli, ea fuisset doctrina: quòd Spiritus Sanctus à solo Patre procedat. Minimè igitur, Sanctus hic, Christianissimæ gentis Gallicanæ Apostolus, Photiano errori patrocinatur.

Quæres: in quo ergo sensu, Sanctus Dionysius, vocat solum Patrem fontem in supersubstantiali Deitate. Respondeo: in eo: quòd solus Pater sit Anarchos: vel sine principio: solus à nullo: quam explicationem innuit, tum Sanctus Basilius: qui, sermone contra Sabellianos, non contentus voce fontis, adiecit vocem radicis: vt significaret, Patrem, esse principium sine principio: atque eum, à quo non solum Spiritus Sanctus fluat, sed & Filius, omnia Patris (et in his, vim actionemque Spiratiuam) habens: tum clariùs, Sanctus Damascenus (à Lithologo citatus p. 395. & 296.) dicens: *Patrem, esse Spiritus Sancti & Filij, fontem & Authorem.* Significauit ergo (si tamen etiam hoc ex verbis eius colligi potest) solum Patrem esse talem fontem, qui sit Spiritus Sancti & Filij Author: quid autem significet Author; docet Sanctus Thomas: ab ipso Lithologo citatus pag. 385. Atque ita Lithologus, armis quæ ex Sancto Dionysio, Sancto Damasceno, Sancto Thoma arripuerat; exuitur: inque eum ipsum, quæ in nos iecerat, tela retorta ruunt. Summa dictorum est. Solus Pater est Fons Causa, author, in sensu explicato à Sancto Basilio, Sancto Damasceno, Sancto Thomâ: Concedo: solus Pater est fons in sensu aduersariorum: nego. Filium enim, esse cum Patre Spiritu Sancto Spiratorem, vel vt loquitur Sanctus Damascenus προβολέα, testantur: tum hi, tum alij, supra citati ex omnibus Orientalibus Patriarchijs Patres: affirmantes Spiritum Sanctum profluere non tantùm ex eo fonte, qui sit procatarcticus, qui sit radix, qui sit Author; sed & ab eo; qui sit ἀρχὴ ἐκ τῆς ἀρχῆς, πηγὴ ἐκ τῆς πηγῆς:

πηγῆς : qui ſit Filius : cui liceat dicere : *omnia quæ habet Pater mea ſunt* : ſeu vt loquitur Sanctus Cyrillus ſupra citatus, omnia æqualiter habens, cum Patre, præter ſolum gignere : vel eſſe Patrem. Denique hoc totum, confirmatur, verbis ipſius Lithologi, diſertè *Fol. 386.* docentis, ſolum Patrem dici fontem, quia ſolus eſt duarum perſonarum productor improductu ipſe : quod, vt veriſsimum, libentiſsimè concedimus. Eodem modo, facilè explicantur, qui ſolum Patrem, dicunt eſſe αἴτιον : in eo nimirum ſenſu, in quo Sanctus Gregorius Nazianzenus, etiam reſpectu creaturarum, ſolum Patrem dixit eſſe αἴτιον : vti eſt explicatum ſupra. *Fol. 107.*

Neque ex alijs SS. Patribus, quidquam ſolidum adducit Lithologus. Sanctus Baſilius, quem ex Orat. contra Sabellianos adducit, ſolùm dicit : Spiritum Sanctum eſſe ex Deo : Deus autem, Spiritu Sancto prior τάξει καὶ ἀξιώματι, non ſolus eſt Pater ; ſed & Filius : videturquè Sanctus Archiereus innuiſſe, etiam hoc loco, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio : quia verba eius hæc ſunt. *Filius ex Patre per generationem* : *Spiritus verò ex Deo, modo arcano & ineffabili.* Atqui, ſi Sanctus Baſilius, hîc ſenſiſſet, Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere ; potiùs dixiſſet : Spiritus verò ex eodem Patre, modo arcano &c. at cùm vſus eſt voce communi Patri & Filio ; eo ipſo ſignificauit, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio. Deinde explicat ibidem, Sanctus Baſilius, (Lithologo teſte) ſe loquutum de fonte radicali : qui ſit improductus : qualem eſſe ſolum Patrem, omnes confitemur.

Iam quòd idem Lithologus, dicere audet, Sanctum Gregorium Theologum paſsim docere : quòd Filius & Spiritus Sanctus, ſint ex ſolo immediatè Patre, neſcio, riderenè debeam, hominis præſumptionem, & impudentiam, an indignari. Bone Deus! pagina eius Libri 393. & 394. repleta eſt teſtimonijs Sancti Gregorij, quorum tamen nullum habet, ea verba, Spiritus Sanctus à ſolo Patre immediatè procedit. Et tamen iſte, audet dicere : vbique à Sancto Theologo doceri : quòd Spiritus Sanctus immediatè, à ſolo Patre procedat. Saltem vnus aliquis locus, ad probandum adeo audax dictum, proferri debuit. Atqui, multò certius eſt, Sanctum Gregorium Nazianzenum, non aliud de Diuinis emanationibus ſenſiſſe ; & docuiſſe ; quàm quod docuere alij Sancti Patres ſupra citati : nimirum Filium ſolum eſſe ex ſolo ; Spiritum verò Sanctum eſſe ex primo, non immediatè ; ſed per eum, qui eſt immediatè ex primo : eſſe ex ambobus : eſſe ex Patre per Filium &c. Relege mi Lithologe, adducta à te Sancti Gregorij Nazianzeni teſtimonia : & tu ipſe iudex eſto : an communi Patrum Græcorum de Spiritu Sancto ſenſui contrarium quidquam doceat, Sanctus Theologus.

logus. Dicit ſcio, Sanctus Archiereus: Spiritum Sanctum procedere ex Patre: dicit Filium & Spiritum Sanctum eſſe radios Patris: quid hoc contra eos, qui credunt, non ex ſolo Filio, (vt volebant Eunomiani;) ſed á Patre & Filio, quâ omnia Patris habente, procedere Spiritum Sanctum? dicit idem Filio & Spiritui Sancto, id commune eſſe, quòd ſint à Patre; ſed hoc contra eum eſt; qui, negat, aliquid poſſe eſſe commune, duabus tantùm Perſonis Sanctiſsimæ Trinitatis. Nullum ergo Lithologus exhibet Sanctum Patrem, qui docuerit Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere: cùm tamen ſatis multos exhibeant Catholici, à quibus dicitur Spiritus Sanctus procedere ex ambobus: ex Patre & Filio: ex Filio: plurimos; à quibus dicitur procedere per Filium.

Cùm verò Lithologus, ait; Sanctos Patres Græcos, hâc phraſi per Filium, vti ad explicandam actionem Filij ad extra, non ad intra: ſeu loqui de manifeſtatione Spiritus Sancti per Filium; grauem infert, Sancto Ioanni Damaſceno, iniuriam: multisque erroribus ſe reddit obnoxium. Primum patet: quia Sanctus Damaſcenus, alicubi ait: ideo non ex Filio, ſed per Filium, procedere Spiritum Sanctum: quia ſolus Pater αἴτιος eſt, quæ verba ſi Lithologus explicauerit de actione ad extra: faciet Sanctum Damaſcenum hæreticum: dicet enim, eum, negaſſe; Filium eſſe principium & cauſam creaturarum: quod eſt hæreſis. Secundum oſtendo: ſi Spiritus Sanctus, ideo ſolùm dicitur procedere per Filium, quia per Filium manifeſtatus eſt; ergo etiam Pater, debebit dici procedere per Filiũ: dicentem Ioan. 17. ℣. 6. *Manifeſtaui nomen tuum hominibus*, & ibidem. v. 4. *Ego te clarificaui ſuper terram &c.* & Filius debebit dici procedere per Spiritum Sanctum: quia Spiritus Sanctus, eſt, de quo ipſamet veritas ait: Ioan. 16. ℣. 14. *Ille me clarificabit* & Ioan. 15. ℣. 21. *Ille teſtimonium perhibebit de me.* Deinde, Spiritus in Diuinis, non poteſt alicuius eſſe, niſi eius, à quo ſpiratur: vt genitus, non poteſt eſſe niſi eius, à quo gignitur. Si ergo, Spiritus Sanctus, ab æterno non ſpiratur à Filio, quomodo eius ab æterno eſt? an tum primùm Spiritus Sanctus cæpit eſſe Filij, cùm per Filium cæpit manifeſtari: & in donis vel chariſmatibus dari?

Iam videamus: an Sanctus Athanaſius contra nos ſit: nam ego ſupra, multis probaui, eum à nobis eſſe. Dicit Lithologus: in Symbolo Græco, non haberi illam voculam *Filioquè*. Quid inde? non habetur in vtroque textu, à ſolo Patre: cur ergo, dicunt ipſi Spiritum Sanctum procedere à ſolo Patre? certè, cùm Sanctus Athanaſius, verſu, proximè antecedente, dixerit; *Filius à ſolo Patre eſt*; dixiſſet etiam verſu ſubſequente; *Spiritus Sanctus à ſolo Patre eſt*: ſi ſenſiſſet: Patrem, ita eſſe ſolum Spiritus Sancti

Spiratorem, vt solus est Filij genitor. Præterea, satis est: quòd hoc verbum sit in Latino textu. Latinè autem, hoc Symbolum esse à Sancto Athanasio scriptum, testatur & probat Baronius supra citatus. Fuisse autem, eandem vocem, in Græco textu, ita in Concilio Florentino conuicti sunt Græci; vt, non habentes, quid responderent; dicerent; id scriptum esse à temulento Athanasio. Ita aliqui Græci, Sanctũ Athanasiũ,quem viuum calumniati sunt, tanquam sacrilegum calicis confractorem, fornicarium, veneficum, Cæsaris perduellem; &c. Eum, iam in cælis regnantem, ne à suis maioribus desciuisse viderentur, pari calumnia & impietate, dicere veriti non sunt, temulentum. Denique hanc vocem, à Filio, semper fuisse in Symbolo Sancti Athanasij; probatur insuper, ex Concilio Toletano Quarto: quod, multò ante Græcorum Schisma, nempe circa annum 633. celebratum est: in quo, idem Symbolum, recitatur cum eisdem Particulis: à Patre & Filio. Ad illud; quod adductum est ex anonymis quæstionibus, abundè responsum est supra: ostensumque: eum etiam scipionem, in quo sibi mirè complacet Lithologus, nihil virium habere.

Nullum ergo solidum sui erroris patrocinium, ex Sanctis Patribus habet Lithologus. Nullum item ex Concilijs: etsi clamet, ab omnibus Synodis, doceri: Spiritum Sanctum procedere à solo immediatè Patre.

O sancta veritas! ignosce homini, tam grauiter in te peccanti. Vnicam saltem produxisset: si veracem se probare voluisset! Citat ille quidem Nicænam: sed repetito in veritatem peccato: nihil enim, in ea Synodo, de Spiritu Sancto actum est: id quod Basilianus (eum enim arbitror esse Lithologum:) discere potuit & debuit à Sancto Basilio, supra citato. Citat, & Constantinopolitanum primum: sed in hoc etiam, sanctæ veritati contradicit: non enim ibi dicitur: Spiritus Sanctus procedere à solo immediatè Patre: vti vult Lithologus: sed tantùm docetur, procedere à Patre: non verò à solo Filio: vti volebant Eunomiani. Illud est additum Symbolo:quod ad tollendã hæresim addi oportuit: illud non additũ,quod apud omnes fuit in confesso. Atque ideo, par hîc esset erubescere Lithologum, quòd adeo impudenter, omnibus sit ausus Synodis adscribere: quod neque vnica docuit.

Sufficit (inquit) quòd Synodus Nicæna & Constantinopolitana, in Symbolis dicit: Spiritum Sanctum procedere à Patre: nulla factâ mentione Filij. His nihil addimus: nihil detrahimus. Contra primò: In Symbolo Nicæno non habetur, quòd Spiritus Sanctus procedat à Patre. Ergo ei aliquid additis: cùm dicitis quòd Spiritus Sanctus procedat à Patre. Additis & Constantinopolitano: quia creditis, & docetis, Spiritum Sanctum immediatè procedere à

cedere à solo Patre: quod in illo Concilio non legitis. Contra secundò, Idnè solùm, de Spiritu Sancto creditis, quod est in illis Symbolis? non ergo creditis quod Spiritus Sanctus Deus est? non creditis quòd sit consubstantialis Patri & Filio? non creditis quòd sit Creator mundi? hæc siquidē in Symbolis non legitis. Quàm falsam oportebit vestrā fidem esse, si nihil de Spiritu Sancto credere volueritis, quod non in recensitis Symbolis, scriptum legeritis.

Iam rationes, quibus suum errorem fulcire nititur Lithologus videamus.

Prima est: si Filius esset principium Sancti Spiriti; vel esset principium ratione essentiæ; vel ratione personarum; si respectu Essentiæ; deberet etiam Spiritus Sanctus, eandem habens Essentiam, sui esse principium: si ratione personarum; Ergo, vt duæ personæ sunt, ita duo principia: quod damnatum est. Respondeo primò: falsò assumere Lithologum dari in Diuinis actiones, quæ procedant ab Essentia, non à persona aut personam, extra essentiam, esse operatiuam. Vetus Axioma, etiam à Synodo Sexta laudatum, est: *Actiones sunt suppositorū:* Suppositū autē, nec est sola personalitas, nec sola essētia, sed essentia vt in subsistēte: vel essētia subsistens.

Falsò idem asserit, à dualitate personarum sumi dualitatem principiorum. Nam secus, aut tria erunt principia creaturarum; si tres personæ crearunt mundum; aut, si nulli personæ conuenit actio Creatiua; nec Pater erit creator, nec Filius, nec Spiritus Sanctus; quod est abnegatiò fidei Christianæ: aut si, creaturarum vnum dicetur principium; debebit aut vna tantùm persona esse Creator: aut tres personæ esse vna persona: quæ omnia sunt manifestæ hæreses. Similiter, illa propositio, non persona ab actione, sed actio à persona est; nisi explicetur; fallet: ex ea enim inferebant Monothelitæ, vnam esse actionem in Christo: quia vna est Persona. Respondeo secundò in Forma.

Filius est principium Spiritus Sancti, quâ omnia Patris habens persona, ordine & axiomate prior Spiritu Sancto: (vt aliquoties loquitur Sanctus Basilius, & Nyssenus:) seu quod idem est, Filius est Spiritus Sancti principium, quâ persona, sumpta secundum id; secundum quod est vnum cum Patre. Vt enim, Spiritus Sanctus non procedit à Patre, quâ Pater est; (cùm Pater solius Filij sit correlatiuum:) ita nec procedit à Filio, quâ Filius est: sed quâ habet spirandi vim & actionem, sibi à Patre communicatam, simul cum Essentia, prius ordine & axiomate habita, quàm habeatur à Spiritu Sancto. Neque inde sequitur, Spiritum Sanctum debere à se procedere: quia, (vt iam olim aduertit doctissimus Bessario) singulæ Diuinæ personæ, communicant omnibus essentialibus; manentes in esse, quod sunt:

suasque

suasque proprietates sibi asseruantes. Etsi ergo Spiritus Sanctus sit particeps omnium essentialium, non tamen est particeps actionis spiratiuæ, tum quia non est se τάξει καὶ ἀξιώματι prior: tum quia nihil potest producere seipsum.

Vrget Lithologus: Diuersitas actionum, non facit in Diuinis multa principia. Ergo nec vnitas actionis, vnitatem principij. Ergo falsum est, Patrem cum Filio, ob vnitatem actionis, vnum esse principium spiratiuum. Nego Consequentiam: quam miror sine vlla probatione inferri. Ego eam, primùm in Lithologum retorqueo. Diuersitas actionum ad extra, non facit in Diuinis multa principia. Ergo nec vnitas virtutis & actionis ad extra, tres personas faciet vnum Creatorem. Vides Lithologe quàm periculosa sit tua illatio. Secundò: Negatæ consequentiæ, affero rationem. Quia omnem multiplicitatem, ternione personarum excepto, excludit à Deo, simplicitas Actus puri: vnitas autem, Deo est proprijssima: inde fit: vt actiones Diuinæ, solâ ratione distinctæ, procedentes à Potentia, perfectissimè vna, nullam possint in Deo ponere pluralitatem realem: cùm tamen vnitas actionis, ab vna eademque indiuisibiliter virtute procedentis, possit, in pluribus personis, ponere vnitatem principij productiui. Præterea: ad pluralitatem ponendam principiorum operantium, plus requiritur quàm ad vnitatem: nam pluralitatem principij operantis; nec sola pluralitas actionum, realiter inter se distinctarum, facere potest: (vt patet in Christo, in quo duas esse voluntates & actiones contra Monothelitas, fide Diuina credimus: etsi vnus sit operator:) nec sola pluralitas personarum: (vt patet in Deo: qui, non obstante Personarum Trinitate, vnum est creaturarum principium) sed requiritur vtrumque: & insuper: vt actiones procedant, à virtutibus distinctis. At vnitatem operatoris, aliquando facit solius suppositi vnitas; vt patet in Christo: aliquando solius virtutis & actionis indiuisio: vt patet in Patre, Filio, & Spiritu Sancto: vnico mundi Creatore. Denique, actiones multas esse, ab vno operante, nihil impedit: at actionem, vnam, & indiuisam, ab vna indiuisibiliter virtute procedentem, esse à duplici operatore, implicat in terminis: maximè in eorum sententia: qui actionem agentem, sola ratione vel formalitate distinguunt ab operante.

Ex his facilè euertuntur, quæ ibidem à Lithologo afferuntur: v. g. si vnitas actionis spiratiuæ, faceret vnum principium, deberet actio referri ad Essentiam: sed actio ad essentiam, minimè refertur. Ergo vnitas actionis, non facit vnum principium.

Minorem probat. Essentia non est productiua vt quod. Ergo actio nullo modo

lo modo ad essentiam refertur. Respondeo primò. Transeat Maior; etsi solùm sequitur, actiones debere referri ad vnitatem essentiæ & virtutis: Nego minorem: & probationis Consequentiam; quia secus sequeretur, Essentiam, ne quidem vt quo esse productiuam: quod constat esse falsum. Deinde: si actio generationis nullo modo refertur ad Essentiam, quare ergo Symbolum Nycænum, vocat Filium, Deum de Deo? Num Deitas non est essentia Diuina? Denique, tam verè dicitur, Deus esse genitor Filij: & spirator Spiritus Sancti; quàm verè dicitur, Deus esse Creator mundi: si ergo in hac posteriore propositione, actio refertur ad Essentiam subsistentem, cur non & in priore?

Vrget Secundò: Actus spirandi ad intra, iuxta Latinos, ad duas personas refertur. Ergo vt personæ sunt duæ, ita & principia. Respondeo primò retorquendo argumentum. Actus creandi, iuxta Græcos & Latinos, refertur ad tres personas. Ergo vt personæ sunt tres, ita tria creaturarum principia. Hæc retorsio toties repetita, malè habet Lithologum: atque ideo negat paritatem: quia, *Actiones* (ait) *ad extra, non referuntur ad personas, sed ad realem Deitatem*: & addit: *ratione vnius Deitatis, vnicum esse omnium creaturarum principium.* Sed contra est primò: quia hinc sequitur, actionem creatiuam nullo modo posse referri ad Deum: quia, vel referretur ad personas, & hoc non: quia hoc expresse Lithologus negat: vel ad essentiam; & neque hoc: quia idem Lithologus *Fol. 387.* circa medium ait. *Essentia non est productiua vt quod.* Dicat igitur: quodnam censet esse creaturarum principium vt quod productiuum? non personas: quia ad has, actiones ad extra, illo iudice, non referuntur: non essentiam; quia hæc non est productiua vt quod. Quid ergo? quàm durus hic globus deglutiendus. Secundò: Deus Pater, est ne Creator an non? si dices primum, referes actionem creandi ad personam: teque ipsum damnabis: si secundum; negabis Apostolicum Symbolum: fiesque infidelior Iudæo: & omnibus hæreticis. Tertiò: Actus Dei liber, est actus personæ. Creatio est actus Dei liber: quomodo ergo non sit Actus personæ? Manet ergo in suo robore retorsio. Respondeo secundò: Distinguo Antecedens: Actus spirandi refertur ad duas personas, secundùm quod sunt duæ distinctæ personæ; Nego. Secundũ quod vnum sunt, essentiâ, virtute, actione; Concedo Antecedens. Nego Consequentiam.

Vrget tertiò: principium sine principio, & principium principiatum, non potest vnum esse principium ad intra. Nego assumptum. Cur enim creaturarũ potest esse vnum principium, Pater & Filius? nonnè hic etiam, principium sine principio, & principium principiatum, ad vnam eandemque actio-

que actionem, sine multiplicatione principiorum, & confusione personarum concurrunt?

Instat Lithologus: ab actionibus ad extra, nulla est consequentia (iuxta omnes Theologos) ad actiones personales ad intra, quia actiones ad extra, fiunt per voluntatem Diuinam: actiones ad intra, naturaliter. Respondet primò Bessarion, in doctissimo opere, ad Alexium Lascarim, & latinitate ab ipsomet donato: *hæc aut stultorum, aut iocari volentium esse: aut illorum; qui ignorant, Sanctos Patres, sæpiùs à creatura & sensibilibus exemplis ratiocinatos esse: & tres Diuinas personas, esse vnum Deum, exemplo solis, radij, luminis, illustrasse: & probasse.* Respondeo secundò. Distinguo Antecedens: ab Actionibus ad extra, nulla est Consequentia ad intra, in illatione Dicti; Transeat. (quamuis debuerat Lithologus saltem vnum Theologum citare, priusquam id omnibus tribueret:) in illatione Modi. Nego. Nam etsi hic discursus, Filius mundum creauit cum Patre. Ergo Filius Spiritum Sanctum spirat cum Patre: non sit efficax: hic tamen, à paritate rationis, est satis efficax: vnitas virtutis & actionis creatiuæ, tres personas facit vnum Creatorem: Ergo, & vnitas virtutis & actionis Spiratiuæ, duas personas facit vnum Spiratorem. Confirmatur. Quia ante mille annos, S. Augustinus, doctor dogmatum fidei definitiuus, etiam ab ipsis Orientalibus Synodis agnitus, & opere citato à Bessarione adductus, expresè docet: Patrem & Filium æquè vnum esse principium Spiritus Sancti; vt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sunt vnum principium creaturarum. Breuiùs dico. Mala hæc est Consequentia. Filius Creat. Ergo Spirat. Sed hæc bona: Filius cum Patre est Creator vnus: Ergo Filius cum Patre est Spirator vnus. Eadem enim vtrobique adest vnitatis principij ratio.

Obijcit idem: si Filius ideo est cum Patre vnum principium spiratiuum, quia habet cum Patre vnam essentiam, & operationem communem; confundentur proprietates Essentiæ & Personæ: & dicendum erit: quòd essentia spiret: & quòd Filius, sit in aliquo Patri consubstantialis, in quo ei non sit consubstantialis Spiritus Sanctus; aut certè dicendum erit: Spiritum Sanctum sui Spiratorem esse. Respondeo: nihil horum. Ita hîc non confunduntur proprietates Essentiæ, & Personæ; vt in vnitate Creatoris non confunduntur: vt sæpe dixi: sed, vt tres personæ, ob vnitatem essentiæ virtutisque & actionis Creatiuæ, sunt vnus Creator; ita duæ personæ, ob vnitatem similem, sunt vnus Spirator. Essentia in eo sensu dici potest spirare: in quo, à quibusdam Sanctis Patribus, Ignatio, Athanasio, Nisseno, Hilario, Augustino dicitur generare: id est: se, per generationem, vel spirationem personæ genitæ, vel spiratæ communicare. Deinde quænam hæc

nam hæc consequentia est? Filius ob vnitatem Essentiæ, est vnus cum Patre Spirator: Ergo Essentia spirat. Reducat hanc Consequentiam ad Syllogisticam Formam, Dominus Innocentius: & erit, alter Apollo. Ad tertium, & quartum, pridem respondit doctissimus Bessarion, in solutione primi argumenti, Maximi Planudis. *Huius (inquit) operationis particeps esset Spiritus Sanctus, si non repugnaret eius proprietati, simul esse Spiritum & Spiratorem: quod quia repugnat; hanc operationem Spiritus Sancti non participat: at quia Filio non repugnat esse Spiratorem; vt pote qui non spiratur: potest ei hæc operatio conuenire: & debet: quia quælibet persona Diuina, particeps est eorum omnium, quæ non opponuntur rationi proprietatis eius.* In forma; Distinguo: sequeretur Spiritum Sanctum non esse Patri consubstantialem, in aliquo in quo sit Filius: quod æquè non repugnet proprietati personæ Spiratæ, vt personæ genitæ: Nego: in aliquo, quod repugnet personæ spiratæ, non autem genitæ: Concedo: & hoc esse absurdum nego. Iam enim sæpiùs, edoctus à Sancto Basilio, dixi: personas Diuinas ita sibi consubstantiales esse, vt tamen seruent suas proprietates: non solùm personarum constitutiuas, sed etiam notionales. Vnde Scholastici, hîc, aiunt Patrem & Filium, in spiratione Spiritus Sancti, esse sibi consubstantiales, in aliquo essentiali vt notionali: non autem in aliquo essentiali communi: fatenturque omnia essentialia communia, ita conuenire Spiritui Sancto; (excepto ordine & axiomate) vt Filio: negant tamen, essentialia notionalia debere conuenire omnibus personis: sed aliquando vni: vt innascibilitatem: aliquando duabus: vt spirare: esse á Patre: & mitti. Meminerit ergo Lithologus, nos hîc ex vnitate essentiæ, non inferre Spiritus Sancti processionem à Filio: (quanquam & hoc inferri posset:) sed tantùm; esse vnum cum Patre principium. Modum, vt dixi, principij, ex hac vnitate inferimus: Dictum alijs argumentis sat multis probamus.

Iam, quod idem addit; omnes doctores antiquos docuisse, quòd ita Spiritus Sanctus à solo immediatè Patre producatur, vt producitur Filius; est Saxeæ frontis mendacium. Ostendi ego: non paucos esse ex antiquis, qui docuerint Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio: ex ambobus: per eum qui est immediatè á Patre: Filium esse solum ex solo: ostendat ille, si notam impudentis mendacij euitare dignatur; vel vnicum Sancti Patris alicuius certum testimonium: vbi doceatur Spiritum Sanctum procedere à solo immediatè Patre: immò hæc (vt loquitur Sanctus Gregorius Nyssenus;) μεσιτεία Filij, seu interpositio, fecit: vt SS. Patres Græci, quò eam clariùs exprimerent, maluerint dicere; Spiritum Sanctum produci à Patre per Verbum: & Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium: quàm proce-

procedere à Patre & à Filio. Leonis tabulas, miror adhuc obijci : quasi non notissimum sit; eas non ideo affixas, vt dogma de processione Spiritus Sancti, à Patre & Filio reprobent : (cùm in illa ipsa Leonis epistola aliquoties dicatur; verissimè doceri, quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio : vt, si, aduersarijs veritas curæ esset; eam ex illa ipsa Leonis decisione, intelligere possent :) sed ideo : vel quia priuatâ authoritate id non erat faciendum : cùm etiam multa alia licet verissima, quæ ibidem afferuntur, Symbolo addita non sint : neque addi conuenienter possint : vel quia, Symboli illius integra memoria, visa est retinenda : nullâ præsertim, tunc, additionis vrgente necessitate : vel quòd vereretur Leo; ne quemadmodum Galli, & Hispani, huic Symbolo addidere vocem Filio; ita Græci, vel aliqui alij, adderent vocem solo : atque ita corruptum Symbolum, pro genuino & vero Constantinopolitano Symbolo venditarent : vel denique : vt suus honor huic quoque Symbolo, in Ecclesia haberetur : Græcisque palam fieret : Symbolo huic, nihil contrarium doceri, ab eis; qui docent (vt & ipse Leo docuit) à Patre & Filio Spiritum Sanctum procedere. Nihil ergo attulit Lithologus : quod vel ad speciem probaret Spiritum Sanctum à solo Patre procedere.

Iam quâ felicitate nostra dissoluat argumenta videamus. Ad primum : quod sumitur ex distinctione Filij & Spiritus Sancti; Respondet primò : nos ipsos laborare debere, in conciliando Scoto cum Thoma : vbi homo maleuolus, Angelicum Doctorem ita nominat contemptim; vt suum, in sanctum & verè Angelicum Doctorem, manifestè prodat odium. Atqui meminisse debuit : Angelicum Doctorem, suæ sanctitatis & doctrinæ, ab ipso Christo verbis illis; (Benè scripsisti de me Thoma) approbatæ; multo plures & fide digniores testes habere; quàm habeant illi, quos ipse, in suis Cryptis veneratur vt Sanctos : scire debuit, Angelicum Doctorem, à toto orbe Catholico, & dici, & honorari vt Sanctum : Nomenque eius, Martyrologio Romano esse insertum : cùm tamen, Sanctorum Crypticorum, nulla in Græco Menologio, nulla in Historicis Græcis extet memoria : nullusque eis, extra Rusiam, etiam in Orientali Ecclesia, habeatur honor.

Decuit ergo, Lithologum, Sanctissimo Theologiæ præceptori, id non non negare, quod ei per totum tribuitur orbem. Hoc præmisso : dico : non esse nobis laborandum, vt conciliemus Scotum cum S. Thoma : ad tuendum argumentum, quod proponimus : etsi non desint, qui hoc iam fecerint. Nam S. Thomas argumentatur, præcisè ex vi & connexione terminorum : nos autem argumentamur, ex propositionibus, affirmatis à SS.

Patribus

Patribus Orientalibus, Gregorio Nysseno, Basilio magno, Ioanne Damasceno: qui, locis supra citatis, negant: Sanctissimæ Trinitatis Personas, distingui posse realiter, sublatâ inter eas ratione τȣ̃ αἰτίȣ καὶ αἰτιατȣ̃. Horum authoritatem, si admittas Lithologe, argumentum quod obijcitur, est insolubile: quod aliter non eneruabis; nisi Sanctos Patres Orientales, quorum dicto audientem te esse oporteret, deseras: tum fateor, reduces argumentum ad terminos purè scholasticos; reddesque argumentum aliquantulum debilius; quod tamen nemo hactenus soluit. Nam, si dicatur; in ea hypothesi, Filium à Spiritu Sancto, distinctum iri per Relationes disparatas; Contra est: quia inter generationem actiuam & Spirationem actiuam, est relatio disparata: nec tamen est realis distinctio. Ergo, relatio disparata, non est sufficiens, ad distinguendas realiter personas. Responsum esse, memini, in publica disputatione Kijouiensi: Relationes disparatas, in eodem supposito existentes, non esse personarum realiter distinctiuas: existentes antem in diuersis suppositis, esse realiter distinctiuas. Sed contra est primò. Priùs oportet relationes esse distinctiuas, quàm sint distincta supposita: cùm supposita debeant habere distinctionem à Relationibus: non relationes à suppositis: cùm formæ distinctiuæ non sumant vim distinguendi à subiectis, vel quasi subiectis, quæ distinguunt: & cùm, vt forma constitutiua, necessariò, saltem naturâ prior est constituto, vt causa effectu; ita forma realiter distinctiua, priùs debeat esse distinctiua, quàm distinguantur, quæ per eam distingui dicuntur. Non aduerti huius difficultatis solutionem: cùm eodem tempore proposita esset. Contra est secundò. Relationes disparatæ, vel habent vim, realiter distinctiuam, ex eo quia sunt disparatæ: vel ex eo, quia sunt in distinctis realiter suppositis. Ex neutro capite eam habent: Ergo non sunt Diuinarum personarum realiter distinctiuæ. Minorem probo. Non ex primo. Quia (vt aliquoties iam dixi) Relationes generationis actiuæ & spirationis actiuæ, Paternitatis item & consubstantialitatis, identitatis & diuersitatis, ita sunt disparatæ, vt relationes geniti & spirati. At illæ etsi disparatæ, non habent vim realiter distinguendi. Ergo nec hæ.

Neque ex secundo. Quia secus sequeretur: Essentiam Filij, & Spiritus Sancti; posse has personas realiter distinguere. Sequelam probo. Ideo relationes disparatæ, etsi, ex se, non habeant vim distinguendi, possunt Filium à Spiritu Sancto distinguere realiter; quia sunt in distinctis realiter suppositis. Sed etiam essentia Filij, & Spiritus Sancti, est in diuersis suppositis: Ergo essentia Filij & Spiritus Sancti, potest Filium à Spiritu Sancto distinguere realiter.

Vides Lithologe quanto periculo tua subiacet solutio! Contra est tertiò. Relationes disparatæ, vel præsupponunt distinctionem realem in Filio & Spiritu Sancto; vel non præsupponunt: si præsupponunt; quomodo ergo distinguunt eas personas quibus iam realiter distinctis superueniunt? Nunquid personæ Diuinæ bis distinguuntur: semel ante relationes, secundò per relationes? Non est hoc actum agere? si non præsupponunt; Quare ergo dicuntur Relationes geniti & spirati, ex eo habere vim distinguendi realiter, quia adueniunt suppositis realiter distinctis?

Respondet Secundò Lithologus: quod etiam, pressus argumentis, arripuit disputationis nominatæ præses. Relationes generationis & Spirationis passiuæ, habere sufficientem vim realiter distinguendi, ex diuersis rationibus originis: quia Generatio Filij est per intellectum: Spiratio Spiritus S. per voluntatem. Contra eam solutionem ita institit in disputatione argumentans. Quæ ipsa non sunt distincta realiter, non possunt seipsis alia distinguere realiter, essent enim realiter ipsa; & non ipsa. Rationes Originum Diuinarum non sunt distinctæ realiter. Ergo non possunt seipsis, originatas personas distinguere realiter. Negata erat à defendente maior: sed à præsidente S. Theologiæ professore, inter suos doctissimo, iussa est Concedi: & negari minor. Cui cum obiecta esset hæresis: (eò quòd Generationem & Spirationem actiuam, in Patre, distingueret realiter: & consequenter poneret, in Deo Patre plurium rerum compositionem: vel saltem aggregationem: quod non solum fidei, sed etiam sanæ Metaphisicæ repugnat;) duo Collegæ doctissimi, restitere præsidenti: palam professi: veram minorem esse: neque posse negari: sed negandam fuisse Maiorem: ex quo non lèuis in Præsidentem confusio defluxit. Sed neque Maioris negatio, difficultatem effugisset. Nam loquendo non effectiuè, sed formaliter, nulla potest assignari forma, quæ realiter existens vna & indistincta, faciat aliqua duo realiter distingui. Deinde: admissa hac propositione; (Quod ipsum, non est realiter distinctum, potest aliqua duo realiter distinguere;) causa nulla est: cur non possimus tres dicere esse Deos. Nunc enim hoc, ideò negamus: quia vbi vna & indistincta est Deitas, ibi non possunt esse tres realiter distincti Dij: at, si verum est; etiam hoc, quod in se est vnum realiter, & indistinctum, posse aliquibus conferre distinctionem; & consequenter pluralitatem realem; etiam vna realiter Deitas, poterit tres personas facere: & tres realiter Deos. Rem illustro amplius: Modi originandi, ita sunt indistincti realiter, vt indistincta est essentia Patris, essentia Filij, essentia Spiritus Sancti. Ergo vt Modi originandi, eorum indistinctione non obstante, facere possunt; duas personas realiter distinctas;

stinctas;

ſtinctas : ita Deitas Patris, Deitas Filij, Deitas Spiritus Sancti, ſua indiſtinctione non obſtante, poteſt facere tres diſtinctos Deos. Idque exiſtimo, Admodum Reuerendum Dominum Præſidentem aduertiſſe : atque ideo Maiorem cenſuiſſe Concedendam. Non habent igitur, Reuerendi Domini Collegæ, quòd inſultent Reuerendo Domino Præſidenti : quia, etiam illi ipſi, qui negandam cenſuerunt Maiorem, non Minorem : parem incurriſſent difficultatem : ſi eam proponere argumentanti per tempus licuiſſet. Hæc obiter è diſputatis dicta ſunto.

Cæterùm Lithologus, ad confirmandam ſuam ſolutionem, multa affert. Primò. quòd diſtinctio per oppoſitionem, intercedere debeat inter ſolum originantem & originatum : id eſt inter Patrem & Filium : & inter ſpiratorem Patrem & Spiritum Sanctum : ſed Filius non poteſt eſſe originans ; cùm ſit originatus. Ergo inter eum non poteſt eſſe diſtinctio per oppoſitionem. Sed contra eſt : quia vltima verba Propoſitionis Maioris videntur olere Sabellianiſmum. Dicitis : diſtinctionem eſſe inter Spiritum Sanctum, & Spiratorem Patrem : cur additis Patrem ? Ingrediturnè formalem conſtitutionem Spiratoris Pater, an non ? ſi non ? cur ergo Lithologus *Fol. 397.* bis dicit, Spiritum Sanctum referri ad Spiratorem Patrem? ſi ingreditur ; Ergo, vt prima perſona dicitur Spirator Pater, ita Spiritus Sanctus neceſſariò dici debebit Spiratus Filius : cùm correlatiua neceſſariò ſe inferant ; & æquè impoſſibile ſit, Patris correlatiuum non eſſe Filium ; vt Spiratoris Correlatiuum eſt impoſsibile non eſſe Spiritum: & cùm æquè neceſſariò, oporteat eſſe Filium qui refertur ad Patrem, vti oportet eſſe Spiratum, vel Spiritum ; qui refertur ad Spiratorem. Contra Secundò. Minor propoſitio, vel procedit de origine perſonæ tertiæ, vel de origine perſonæ ſecundæ ; aut primæ. Si dicas hoc ſecundum ; verum eſt : perſonam originatam, non poſſe eſſe Originantem perſonæ primæ & ſecundæ : (quia nihil poteſt originare ſeipſum : neque ſuum Originantem :) ſed hic ſenſus nihil facit ad propoſitum : etſi enim oppoſitio, non poſsit eſſe Filij ad ſeipſum, poteſt tamen eius oppoſitio, eſſe, ad perſonam quæ eum produxit : & ad perſonam à ſe productam, Si verò dicatur ; Filium quia eſt originatus, non poſſe eſſe originantem tertiæ perſonæ ; tam id, ineptè & ridiculè dicetur ; quàm ſi Lithologus diceret ; Patrem ſuum non potuiſſe originare Filium : quia ipſe fuit originatus.

Secundò: pro ſuâ ſolutione, ita loquitur Lithologus. Priùs probandum eſſet : quòd Filius ſit productor, author, Cauſa Spiritus Sancti, tum primùm oppoſitionis diſtinctio, inter Filium & Spiritum Sanctum, poſſet poni. At primum tota ſchola veſtrorum Theologorum non probabit. Ergo

nec ſe-

nec secundum. Contra aio: Mi Domine, tu Philosophus & Theologus es? eum sanè te esse ferunt. Quomodo ergo ad hoc argumentum responde bis: si ego v. g. sic argumenter: si Christus esset homo; non esset Deus: (quia mortale & immortale repugnant.) Consequens est falsum; ergo & ex quo sequitur. Quid facies? an dices, priùs probandum, Christum non esse Deum, quam hoc inferendum? Risum te Dialecticis facies: quem hîc non euades. Ita mi Domine hîc argumentamur. Si Filius non spiraret Spiritum Sanctum, nullatenus opponeretur illi; si autem opponeretur illi non distingueretur ab illo: quia per quod aliud distingueretur, nihil potest assignari. Consequens secundum est falsum. Ergo & primum. Ergo (è canonibus Dialecticis de Consequentibus) Filius, vt realiter distinguatur à Spiritu Sancto, debet ei opponi: & proinde ab eo procedere. Et tu vis, vt probemus priùs, Spiritum Sanctum à Filio producj? Quid ita? an nouum est ex absurdo argumentari? Quando tu olim ipse sic argumentatus es: si canis operaretur ex fine, cognoscendo moralem proportionem mediorum cum fine, esset rationalis, &c. nunquid tunc canem, supposuisti, vel probare priùs debuisti, esse rationalem? Contra Secundò: Spiritum Sanctum produci à Filio, disertè testantur SS. Patres: quorum dicto nos audientes esse, S. Synodus Quinta, & Sexta, iussêre; nempe S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Leo Magnus, S. Ioannes Chrysostomus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Athanasius, alijque supra citati. Quid plus desideres? Authorem Spiritus Sancti esse Filium, expressè affirmant, S. Hilarius, & Sanctus Augustinus. Quanquam, si τὸ Author sumatur, in sensu ab Angelico Doctore explicato; vel τὸ Causa, in sensu à Sancto Basilio, Nazianzeno, Damasceno, Authore quæstionum anonymarum falsò Sancto Athanasio adscriptarum, intellecto; pro principio procatarctico & anarchico; quod omnia habeat à seipso; quod sit causa duorum; quod gignat & emittat; &c. sic verum est: nec posse nec velle Theologos, probare, quòd Filius sit Author: vel αἴτιος Spiritus Sancti: solùm enim volunt: Filium omnia cum Patre habentem, præter solum gignere; (vt expressè loquitur S. Cyrillus Alexandrinus:) esse vnum cum Patre Spiritus Sancti Spiratorem: principium ex principio: fontem ex fonte: quod ipsum dixere S. Epiphanius, S. Cyrillus, S. Athanasius S. Augustinus, &c. At illud quam magnificum!

Tota Schola Theologorum non probabit &c. Mi Bombomachida. *Quot Millia letho*

Drancis dextra dedit? Ita tibi, mi Goliath, contemptæ acies Dei viuentis? si vir es, quisquis es: (nam nomen tuum & cognomen immutasti:) de signa

deſigna campum. Minimus licet Theologorum ſim ; ſiſtam me : & Deo iuuante faciam : vt pateat hominibus ſenſatis, tuos lapides plumas eſſe.

Dicit idem tertiò : ſufficere diſtinctionem emanationum ex perſona prima : ſed hoc iam euerſum eſt. Cùm enim, emanationes illæ, non ſint diſtinctæ realiter ; (vt non ſine graui confuſione debuit agnoſcere magnus Kijouienſis Theologiæ profeſſor,) non poſsũt perſonas realiter diſtinguere.

Dicit Quartò : Ex intrinſeca ratione Filiationis, & paſsiuæ ſpirationis, eſſe has perſonas perfectè inter ſe diſtinctas : vel (vt verba Polonica ſonare videntur,) diuiſas. Contra eſt. Intrinſeca ratio generationis actiuæ, & intrinſeca ratio Spirationis actiuæ, non poteſt facere perſonam perfectè diſtinctã : multo minùs diuiſã. Ergo neq; intrinſeca ratio Generationis Paſſiuæ ſeu Filiationis, &Spirationis Paſsiuæ ſeu Proceſsionis, poteſt facere perſonas, perfectè, (id eſt realiter) diſtinctas : quia tã hæ, quã illæ, nullã habent inter ſe oppoſitioné : quæ ſola in Diuinis eſt principiũ realis diſtinctionis.

Dicit quintò : Impoſsibile eſt, vt vna perſona Diuina per duos modos emanet : id eſt vt Filius gignatur & ſpiretur : & Spiritus Sanctus ſpiretur & generetur. Ergo impoſsibile eſt : vt duæ perſonæ, per hos duos modos, emanantes ; non ſint duæ perſonæ diſtinctæ : vt ſunt termini diſtincti.

Contra eſt : quidquid ſit de antecedente, (quod aliqui Theologi, in ea hypotheſi negant : aſſerentes, non fore cauſam ; cur non, generatio ſit Spiratio : & vice verſa: ſi arbitrarium eſt, (vt aduerſarij volunt) genitam perſonam, eſſe ſecundam, & Spiratam tertiam. Nego Conſequentiam. Vel potiùs diſtinguo : impoſsibile eſt : vt perſonæ per hos modos emanantes, non ſint diſtinctæ, ea diſtinctione quâ diſtincti ſunt ipſi actiuarum emanationum modi, nempe diſtinctione rationis ; Concedo. Diſtinctione maiori, quàm diſtinguantur hi modi, nempè diſtinctione reali ; Nego. dato ergo :quòd per hos modos, poſsint diuinæ perſonæ diſtingui ratione; nunquam tamen oſtendetur poſſe diſtingui realiter. Dicit denique : ſi per hos modos non fieret diſtinctio perſonarum realis ; ſequeretur ; idem & diuerſum, prius & poſterius, idem eſſe. Reſpondet primò doctiſsimus Societatis I E S V Theologus, P. Didacus Ruiz Tomo de Sanctiſsima Trinitate : in ea hypotheſi ſequi vtrumque : oſtenditque ibidem : Filium & Spiritum Sanctum, ſi à Filio non procedat, & fore realiter eundem : (quia ſublata oppoſitione αἰτίȣ καὶ αἰτιατȣ̃, non habent perſonæ Diuinæ per quod realiter diſtinguantur : vt expreſsè loco ſupra citato docet S. Gregorius Nyſſenus : & alij :) & fore diuerſum : quia Perſona eſt realiter diſtincta, Filius, à perſona Spiritus Sancti. Reſpondeo Secundò. Nego ſequelam. Oſtendimus enim : aliud fundamentum harum perſonarum realiter diſtin-

guendarum: nempe oppositionem originantis & originati: quam, vel ideo, esse ponendam inter Filium, & Spiritum Sanctum asserimus: ne dicere cogimur; posse aliquid esse, idem & diuersū. Quanquā præcisa hac oppositione originis, adhuc non sequeretur Filium cum Spiritu S. esse simpliciter idem & diuersum: sed tantùm idem realiter, & diuersum ratione: vt in Patre, Paternitas & Spiratio actiua, sunt idem realiter: diuersum ratione.

Iam quomodo, ad argumenta ex Sacra Scriptura sumpta idem respondeat; videamus.

Dicitur (*inquit*) Spiritus Christi, ob consubstantialitatem: quam, simul & immediatè, cum Filio à Patre accipit: & quia (teste Sancto Damasceno) per ipsum manifestatur: rebusque conditis est impertitus. Contra est. Aduerte Lithologe plures hîc à te incurri errores. Erras primò, dicens: Spiritum Sanctum dici Spiritum Christi, ob consubstantialitatem: quia æquè Pater est consubstantialis Spiritui Sancto, vt Spiritus Sanctus Patri: æquè Filius est consubstantialis Spiritui Sancto, vt Spiritus Sanctus Filio: neque tamen vllus Sanctorum Patrum dixit: Patrem vel Filium, esse Spiritus Sancti. Non ergo, ob consubstantialitatem, Spiritus Sanctus est, & dicitur, Spiritus Patris & Filij: sed quia à Patre & Filio accipit essentiam.

Erras Secundò, dicens: quòd consubstantialitatem sumat à Patre Filius: & Spiritus Sanctus: & quidem vterque immediatè. Erras inquam: Nam Filius & Spiritus Sanctus, non consubstantialitatem sumunt à Patre: sed substantiam. Consule modos loquendi Sanctorum Patrum: & tui te sensus, & dicti pudebit. Deinde, Spiritum Sanctum procedere à Patre immediatè, negat expresse Sanctus Gregorius Nyssenus: disertè professus, Spiritum Sanctum non esse προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, ἀλλὰ διὰ τοῦ ἐκ τοῦ πρώτου. non esse (*inquam*) ex eo immediatè & proximè qui est primus, sed per eum qui est ex primo. Erras tertiò, dicens: Spiritum Sanctum; dici Christi, quia manifestatur per Filium, & creaturis datur: Erras inquam: Nam ab æterno Spiritus Sanctus est Filij: eique consubstantialis: cùm tamen non ab æterno fuerit manifestatus: & creaturis datus. Non ergo ideo dicitur esse Filij: quòd per Filium sit manifestatus, sed quia ab ipso procedit. Et verò, (quâ sunt animorum sollertia) aduersarij, quærere deberent: cur Sanctus Damascenus, dicat; Spiritum Sanctum manifestari per Filium, non à Filio: etsi omnes actiones ad extra, communes sint Patri & Filio: non enim ideo, Sanctus Doctor ait, manifestari per Filium, quasi non æquè manifestetur à Filio, atque à Patre: (alioqui eis esset similis, qui Filium dicebant ideo esse heterusion & inæqualem, quia Pater est ex quo

omnia:

omnia : Filius per quem omnia : dicere ergo debebunt, in eo sensu, Spiritum Sanctum dici manifestari per Filium, non à Filio ; in quo sensu, à Sanctis aliquibus Patribus Græcis dicitur, procedere non à Filio sed per Filium : nimirum : quòd Filius non à se, sed indidem habet vim producendi, vel dandi aliquid ad extra ; vnde habet, vim producendi ad intra, personam se τάξει καὶ ἀξιώματι posteriorem : quarum vtramque, quia habet à Patre ; ideo dicitur Pater esse προβολεύς per Verbum ; & Spiritus Sanctus procedere per Filium ; & omnia creata esse per Verbum. Breuiùs & clariùs, quæro à Lithologo : Spiritus Sanctus eratne ab æterno Verbi ; an non ? dici non potest secundum sine blasphemia : si autem dicatur primum ; euidentissimè patebit, falsissimè dici : ideo præcisè, dici Spiritum Sanctum esse Filij ; vel Verbi ; quia manifestatus : & creaturis datus est per Filium. Ait idem Lithologus : Spiritum Sanctum, dici Spiritum veritatis ; quia Spiritus Sanctus est veritas : vt Pater, & Filius. At, in hoc, Sancto Cyrillo Alexandrino, & Synodo Ephesinæ, expresè contradicit : vt patet è supra dictis.

Argumentum, ductum ex insufflatione super Apostolos, & verbis illis Christi *Accipite Spiritum Sanctum* ; ait perfectè à Theophilacto solutum esse : addit, per eam, malè probari, Spiritum Sanctum procedere à Filio : quia secus sequeretur, Spiritum Sanctum esse spiratorem sui : siquidem spiret in creaturam. Contra est. Theophilacti solutio, vel potiùs huius textus explicatio, ad literam sumpta est ex Theodoro Mopsuesteno : & expresè, in Quinta Synodo, damnata inter eius errores, Capitulo 14. Contra secundò : quando Christus, insufflando dicebat : *Accipite Spiritum Sanctum*, verenè dabat Spiritum Sanctum qui à Patre procedit ? an non ? si dicetis, quod non : intolerabili blasphemia, Christum dicetis mendacem : aut duos ponetis Spiritus Sanctos : quorum alter á Patre procedat, alter à Filio : si autem dicetis : quòd verè, cùm hæc loqueretur, dabat Spiritum Sanctum ; qui à Patre procedit ; eo ipso fatebimini, quòd Christus, insufflando, dederit Spiritum Sanctum : ita á se procedentem ; vt flatus oris procedit ex ore hominis : quâ similitudine, aliqui SS. Patres, in explicanda Spiritus Sanctus à Filio processione, vsi sunt. Neque sequitur inde ; Spiritum Sanctum, fore sui Spiratorem : quia id proprietati eius repugnat. Quod vero Lithologus, Spiritum Sanctum, ad extra, esse Spiratorem, probat ex illis verbis ; Spiritus vbi vult spirat ; ridendum se exponit omnibus : qui pro legitimo Scripturarum Interprete habent Theophilactum : ῥητῶς docentem ; loco illo, Spiritum significare ventum : non personam Sanctissimæ Trinitatis. Denique affert argumentum ex Missione : quod ait esse o-

mnium Theologorum fundamentum: & negat, per eam miſsionem poſſe probari: Spiritum Sanctum procedere à Filio: tum quia, etiam Filius à Spiritu Sancto miſſus eſt: qui tamen ab eo non producitur: tum quia miſsio ſignificat in tempore: (non addit quid:) proceſsio verò vel Spiratio, ſignificat æternã eiusdem Spiritus Sancti productionem. Ad quod probandum, allegat Angelicum Doctorem: (etiam hîc contemptim nominatum) 1. p. q. 43. a 2. Addit ibidem: ſi Filius mittit Spiritum Sanctum; mittit à Patre: iuxta illud Ioan: *Quem ego mittam vobis à Patre.* Reſpondeo primò: nego hoc Fundamentum eſſe omnium Theologorum, aſſerendæ huius, quam defendo, veritatis. Habent alia quæ adduxi. Reſpondeo ſecundò. Etiam hoc Lithologus non infringit. Miſit Spiritus Sanctus, Filium: (vt ſupra cum Sancto Fulgentio dixi:) Miſſione Incarnatiua: purè temporali: non æterna: cùm tamen Spiritus Sancti miſsionem appellet æternam, Sanctus Gregorius Thaumaturgus in Oratione: cuius initium: Inimiciſsimi atque alieni &c. verba eius ſunt. *Patre exiſtente ingenito: Filio verò ex Patre genito: & Spiritu Sancto per Filium æternaliter miſſo: &c.* Aude Lithologe, tanto Patri contradicere. Docet ille, Spiritũ Sanctum; per Filium æternaliter mitti: tu ſumma honoris Filij Dei imminutione negas: ſed, ei, ſolùm temporalem concedis miſsionem. Iudicet æquus lector, cui potius fides habenda ſit.

Angelicum Doctorem Lithologus, (vt contemptor eius frequens) oſcitanter legit: neque eum intellexit. Aſsignat ibi Sanctus Doctor, diſcrimen, inter modos loquendi, de Spiritu Sancto: eorumque aliquos, ait, determinare præcisè habitudinem ad ſuum principium: vt ſunt proceſsio & exitus: & hoc, ait, dici in Diuinis, æternaliter & temporaliter: aliquos præter habitudinem ad principium, ait, determinare proceſsionis terminum: eumque vel æternum; vt generatio & ſpiratio: & hos, ait, dici æternaliter: vel temporalem; vt miſsio vel datio: & hos dici temporaliter. Hæc verba, addenda erant Lithologo: ne ſibi ſuiſque imponeret. Addere etiam debuerat quæ eadem quæſtione, idem Sanctus Doctor ait: *Miſſio, Diuinæ perſonæ conuenit, ſecundùm quod importat ex vna parte proceſſionem originis, à mittente: & ſecundùm quod importat nouum modum exiſtendi in alio.* Et ad primum. *Miſſio in Diuinis importat proceſſionem originis quæ eſt ſecundùm æqualitatem.* Hæc par erat afferre Lithologum: ſi teſtimonio Angelici Doctoris fidem habuit.

Appendix eiusdem, ridicula eſt. Scripturæ verba ſunt. *Cùm venerit Paracletus quem ègo mitttam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*: hæc is ita explicat: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam*

mittam vobis, procedentem à Patre: qui à Patre procedit. Videat prudens lector: quàm turpem Tauthologiam, hic homo, verbis Sacræ Scripturæ affingat.

Falsò ergo Lithologus concludit: se in dogmate, de processione Spiritus Sancti, sequi Sacram Scripturam: Concilia: & Sanctos Patres citatos. Ostensum enim est: grauissimo eius errori, neque Scripturam, neque Concilia, neque Sanctos Patres patrocinari: sed potiùs aduersari ei, & Sacram Scripturam, per Sanctos Patres explicatam: & Concilia: & Sanctos Patres citatos. Ostensum item: hunc errorem in Anathematismis Theodoreti damnatis, esse à Concilio Ephesino anathemati subiectam; & proinde, cum Lithologo sentientium, partem fore cùm Nestorianis & Copronymitis.

Catholici verò, tam Græci quàm Romani, sibi dictum putent: quod olim præscripsit Sanctus Gregorius Theologus, Heroni. *In templo doce: lapidibus* (λίθοις) *si ita necesse sit incessi te, patere: Lapidatores,* (id est Lithologos) *mihi crede faues: Verbum enim* (id est fidei doctrina, vt ibi interpretatur Nicetas) non feritur (λίθοις) Lapidibus.

Scripseram hîc alteram Appendicem, contra Antapologiam Gelasij Diplic: in qua plurimos Socinistarum, & nonnullos inauditos errores reperi. Sed quia intellexi, eum Librum etiam à Cætu Kiouiensi proscriptum & anathemati subiectum esse, cæpto destiti. Illud vnum dico: hunc librum fecisse: vt per Poloniam percrebresceret; Kiouienses Cænobitas, ad Socinistas, vel Arrianos, defecisse: quod falsum esse; ipsemet expertus sum.

CONCLVSIO PARÆNETICA,

Ad RR. Cænobitas Kiouienses.

En habetis Religiosi Patres, Sanctissimorum & doctissimorum Orientalium Patrum, de processione Spiritus Sancti iudicia. Agnouere illi: pluribus locis, in Sacra scriptura, reuelatam esse Spiritus Sancti processionem, à Patre & Filio: cùm tamen, qui eorum, Spiritus S. processionem à solo Patre, alicubi esse reuelatam, agnouerit; ne vnicus quidem reperiatur. Quis ergo ampliùs dubitationi relinquetur locus? Ipsi Theodidacti

Patres, tum in Synodis Oecumenicis, & Prouincialibus, tum in accuratissimis, quæ contra hæreticos edidere voluminibus, palam (vt vidimus) testantur: Spiritum Sanctum procedere, habere esse, existere, subsistere, scaturire, ex ambobus: ex vtroque: ex Patre & Filio: vel per Filium: vel per eum, qui est ex primo: assumi à Filio in communionem essentiæ Patris & Filij: produci à Patre per Verbum &c. Quid igitur desideretur vlterius? Profectò, se ab Orientali Ecclesia, alienum esse, euidenti prodet argumento; quicunque tantorum, quos attuli, Sanctorum Oracula; alicuius Marci posthabuerit clamoribus. Viderit: an non in nouissimo die, suæ aliorumque Christianorum proditæ salutis, grauissimam iusto iudici reddere rationem, necesse sit eum; qui solarium radiorum splendori meridiano, lampyridis alicuius lucem prætulerit: suoque, & suorum, ad Cælestem Patriam itineri, tot Sanctis Patribus insuper habitis, seditiosum aliquem, & pertinacem Marcum, ducem delegerit. Videat: cuicunque salus æterna cordi est; an non sibi, ille, meliùs sit consulturus, qui (quoniam sine fide est impossibile placere Deo) eos potiùs magistros sequi velit, quorum memoria, Græcis iuxta ac Latinis, venerabilis est; quàm eos, quorum princeps, sæpiùs anathemate ictus, & grauissimorum scelerum Synodaliter cõuictus, etiãq; ipso nomine Christiani indign⁹ iudicatus; miserè in exilio, sibi ob plurimas fraudes, & impudentia mendacia, imperato, interijt. Certè æquè Græci atque Latini venerantur S. Leonem Magnum, S. Gregorium Dialogistam, S. Hormisdam, S. Syluerium, S. Martinum, & plures alios Romanos Pontifices: & alios Romanæ Ecclesiæ Archiereos: Doctores: Confessores: Martyres &c. æquè item, à Græcis atque Latinis Fastis, nomina Photij, Cerullarij, Marci, exulant; quidni ergo, in dicenda de processione Spiritus Sancti Sententia, à veritate aberrasse, censeri debeant potiùs isti; quorum, neque vita à virtute, neque mors à miraculis, vllam habuit commendationem; quàm illi, quorum non Latina solùm sed & Græca Menologia, illustria prædicant facinora? videant Reuerendæ Paternitates, quid suæ Euchologiæ, in Mense Martio, de S. Gregorio Pontifice sonent: quæque ego ex Gennadio retuli supra.

Huius ergo, aliorumque SS. Patrum, ab vno eodemque Spiritu instructorum, de quorum sanctitate, nec ipsi Græci dubitare possunt testimonia, faciant: vt tandem ab omnium Christianorum mentibus exulet, ea de processione Spiritus S. sententia: quæ à Sanctorum Orientalis Ecclesiæ Patrum sensu, semper fuit aliena.

Neque aliquis opinetur, satis se prudenter, & coram Deo, securè, vim horum testimoniorum eneruaturum, si eis fidem detrahat, Optimè, in

Synodo Florentina, Illustrissimus Bessarion, cuidam per obiectam deprauationem codicum, omnia Latinorum testimonia euertere conanti; respondit: *si omnibus libris, quibus doceatur Spiritus Sancti processio à Patre & Filio, vel per Filium obijciatur deprauatio; nihil aliud libris, quam albas membranas relictum iri.* Nemo certè, alicui, corruptionem potest obijcere: quam non possit probare: vti eam Græcis Latini sæpiùs probauere: & notabili casu, (quem Marco exprobrat Iosephus Methonensis Episcopus,) in eâ ipsâ Synodo prodita est. Nam cùm, Minister Nicomediæ Præsulis, ad ferendum librum S. Basilij, missus esset; vt aduertit verba istic illa esse; quibus dicitur Spiritus Sanctus à Filio habere esse; & Filium, illo esse ordine & axiomate priorem; voluit illa eradere: sed flante vento, inuerso folio, alia quidem erasit: illa verò integra attulit: quod cùm ægrè tulisset Præsul, tremebundus famulus dixit: Domine, ita mihi tua prosit benedictio: erasi ista verba: quomodo autem integra sint, ignoro. Ex quo magna redundauit in Græcos confusio. Ita Iosephus. Futile igitur hoc effugium est. Denique cùm nullum sit contra veritatem consilium, nullæ vires, demus manus veritati, vincat veritas. Nos profectò (Deo teste) dicere meritò possumus quod olim Pneumatomachis Orat. 44. dicebat S. Gregorius Theologus; cuius verbis concludo. *Non victoriam ambimus: sed, vt Fratres, quorum separatione torquemur; ad nos redeant, laboramus. Nam, cùm vitam vestram, mirificè probemus; doctrinam tamen, non omni ex parte laudamus: Spiritum ergo assumite: vt non solùm certetis; sed etiam, legitimè, hoc vobis, morum & vitæ præmium detur: vt Spiritum Sanctum plenè perfectèque* (id est à Patre & Filio procedentem) *confiteamini: & nobiscum, immo etiam ante nos prædicetis. Adeo vos,* (dicam & hoc ingenuè homo minimus: & tam S. Theologo, infinitè inferior:) *in Domino IESV amplector: adeo vestem vestram compositam reuereor; & contractum ex continentia colorem, & sacros hos cœtus, & venerandam virginitatem, & noctes, quas in psalmis canendis insomnes transigitis; & propensum in pauperes & hospites* (præsertim in Methoreano Asceterio) *amorem; vt vestri causa, nonnihil pati, non recusem: modo nobiscum iungamini: communibusque animis celebremus* TRINITATEM *Amen.*

CON-

CONTROVERSIA II.

An Sanctus Petrus, eiusque in Romano Pontificatu Successores, habeant Pastoralem Primatum totius Ecclesiæ.

SI Græci vel Rusſi veterum Græcorum & Russorum vestigijs insistere vellent, superuacaneus esset labor, qui huius quæstionis determinationi impenderetur. Nam veteres Græci, etiam Photij, & Cerullarij asseclæ, nunquam negarunt ad Sanctum Petrum, eiusque in Romana Cathedra successores, totius Ecclesiæ visibile regimen pertinuisse: sed solum aiebant: Romanum Pontificem, ob voculam *Filioquè* Constantinopolitano Symbolo contra Canones Ephesinæ Synodi adiectam, & ob alios errores, de suo gradu excidisse: ideoque, primatum & vniuersale totius Ecclesiæ regimen, in Constantinopolitanum Patriarcham, Romano Pontifici ordine & dignitate proximum, naturali & legitimâ successione deuolutum esse. Hoc Photij, hoc Cerullarij, encyclicæ literæ agebant: hoc petebant: hoc conuincit, ipsa Orientalium Ecclesiarum praxis: definitionibus Controuersiarum, & iure appellationum in Patriarcham Constantinopolitanum translatis: quod verumque ad solum Pontificem Romanum pertinuisse; Conciliorum Tomi, & Historia Ecclesiastica probat: ex quibus infra, pleraque, Deo iuuante afferentur. Nullus itaque Græcorum (quod sciam) ante Lutherũ, & Caluinũ, fuit: qui negauerit, S. Petro, eiusque Successoribus, ius totius Ecclesiæ in rebus spiritualibus gubernandæ: vt immeritò querantur, se Lutheranos & Caluinistas dici, qui S. Petrum eiusque Successores, primatu (quem eis Græci & omnes Orientales tribuebant, quemque esse debere in Ecclesia, etiam Photius & Cerullarius, agnouit;) à Luthero & Caluino edocti, exuerunt: vel saltem exuere contendunt: quod Orientalium, (Dioscorum & aliquot paucos hæreticos excipio:) tentare ausus est nemo: parque esset, mentes Græcorum rituum studiosas, accuratè expendere: an à suis maioribus, ad Lutheranorum vel Caluinistarum non transierint castra: qui, S. Petrum negant esse Petram: supra quam, cum speciali supra omnes Apostolos prærogatiua, ædificata sit Ecclesia: & qui, negant vllum in terris caput visibile Ecclesiæ dari, præter Christum: quod fortasse in codicibus maiorum suorum Luthero antiquiorum non facilè repererint. Quia tamen recentiores Græci iam paſ-

iam paſsim Lutheri & Caluini argumentis vtuntur, & reſponſis; ideo ad concordiam Roſsiacis gentibus perſuadendam, operæ pretium eſt: etiam hoc obſtaculum tollere. Facturus tamen conſultiſsimè videor: ſi, cum Græcis agens, breuiùs huic controuerſiæ fuero immoratus: prolixiori eius trutinâ, ad Bellarminum, Gretſerum, Becanum, Valentiam, Suarez in defenſione fidei contra Regem Angliæ, remiſſa. Rem me confectam habiturum arbitror: ſi palam fecero: Orientales Patres omnium Patriarchiarum, Primatum S. Petri eiuſque ſucceſſorum, in ſcripturis eſſe reuelatum, agnouiſſe: eamque ipſam veritatem, tum in Concilijs publicè, tum in ſuis lucubrationibus priuatim defendiſſe: tum denique vſu ipſo, & ſubiectionis per multa ſæcula continuatæ exercitio, omnes Patriarchias teſtatas eſſe. Singula ſingulis propoſitionibus exhibeo.

PROPOSITIO PRIMA.

Sancti Patres Orientales, totius Eccleſiæ primatum & regimen, à Chriſto, eſſe Sancto Petro eiuſquè ſucceſſoribus collatum; idquè in multis Sacræ Scripturæ locis eſſe reuelatum; docuerunt.

PRimus Sacræ Scripturæ locus eſt Matth. 16. v. 18. vbi Chriſtus Dominus collaudata confeſsione Sancti Petri ait. *Et ego dico tibi: quia tu es Kepha*: Latinè Petra: Græcè πέτρος vel πέτρα: *& ſuper hac Kepha*, (id eſt Petrâ) *ædificabo Eccleſiam meam.* Vbi omnium Orientalium verſiones, ad eandem Perſonam, referunt hæc verba. *Tu es Kepha,* & hæc: *ſuper hac Kepha*: nimirum verſio Syriaca: Hebræa: (quam Munſteruis putat eſſe autographam Sancti Matthæi:) Armenica: Perſica: Arabica: vt videre licet in P. Cornelio à Lapide: in horum verborum Commentario: & hoc ipſum verba antecedentia & conſequentia probant: vt omittam, etiam Bezam, vi veritatis impellente, confeſſum eſſe: has voces πέτρον & πέτραν, non ſignificatione, ſed ſola differre terminatione: cùm etiam Francis, vox vna Pierre, ſignificet Petrum & Petram. Et his verbis primatum Sancti Petri, deducunt aliqui: ex intentione Chriſti: qui, cùm Petro nomen Cephæ promitteret; Ioan. 10. v. 42. & daret; Matth: 16.

v. 18.; cum tanta ſpecialis beneuolentiæ ſignificatione; *Beatus es: & ego dico tibi:* profectò voluit id eſſe Simonem, quod eſt Cephas: quia ergo Cephas ſignificat Petram: eo loco eſſe in ædificio Eccleſiæ, Simonem voluit Chriſtus; quo ſolet eſſe Petra, in ædificio domus firmiter ædificatæ. Semper enim quotieſcunque Deus, alicui nomen immutauit; & nouum dedit; reperiri debuit in eo, inditi nominis ſignificatum. At mihi vnum id propoſitum eſt: non mea, nec Doctorum ſenſa, concluſioneſque ex eis illatas, referre: ſed, quantùm fieri poterit, conuincere: Sanctos Patres omnium Patriarchiarum Orientalium, primatum Sancti Petri eiuſque ſucceſſorum, ex eis verbis intuliſſe: & S. Petrum, eſſe veram Petram ſuper quam Eccleſia Chriſti, ædificata ſit, diſertiſsimè docuiſſe.

Primò igitur, ex Alexandrina Patriarchia, S. Athanaſius, huius veritatis aſſertor & teſtis, eſt: cùm alibi; tum clariſſimè in Epiſtola ad Felicem Papam, nomine Synodi Alexandrinæ ſcriptâ: & Tomo 1, Conciliorum inſertâ. *Tu es Petrus (vt Diuinum veraciter teſtatur eloquium:) & ſuper fundamentum tuum, Eccleſiæ columnæ, id eſt Epiſcopi, qui Eccleſiam ſuſtinere debent, tibi ſunt confirmatæ &c.*

Secundus: Sanctus Cyrillus Alexandrinus Patriarcha lib. 2. in Ioannem C. 1. *Fol. 13. Nec Simeonem iam illum nominari patitur: eum ſibi pro ſua poteſtate iam vt ſuum vendicans: ſed congruo nomine Petrum nominauit: à Petra:* ἐν αὐτῷ γὰρ ἔμελλε τὴν αὐτοῦ θεμελιοῦν ἐκκλησίαν: *ſuper enim ipſum fundaturus erat ſuam Eccleſiam.*

Tertius ſit: Euſebius Alexandrinus in homilia de reſurrectione: *Super fidem tuam, quæ petrea (id eſt immobilis ſit;) ædificabo Eccleſiam meam.* Vbi notandum eſt: Eccleſiam dici ædificatam ſupra fidem Petri: non quâ omnium Apoſtolorum, vel fidelium mentibus inexiſtentem: ſed quâ inexiſtentem Petro: vt ita Petra, & fundamentum Eccleſiæ, ſit Petrus: non quomodocunque ſumptus, ſed Petrus modo Petreo & immobiliter credens: fidem habens excellentem: vt loquitur S. Baſilius, loco infra citando: & inconcuſſam: vt loquitur S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 4. De Trinitate; & vltra humanæ infirmitatis modum ſupereminentem: vt loquitur S. Hilarius lib. 6. De Trinitate.

Ex Antiochena Patriarchia; ſit Sanctus Ioannes Chryſoſtomus: homil: 15. in Matthæum: conſcripta ab eo, Antiochæno adhuc prædicatore, (vt patet ex homiliâ eius operis ſeptimâ:) vbi hæc ipſa verba interpretans infert: *Filium eſſe Deo Patri æqualem ex eo, quod quæ ſolius Dei ſunt, promittit ſe daturum:* atque inter alia ait. *Deus Pater ad Hieremiam dicebat: Sicut*

colu-

columnam ferream, & sicut murum æneum posui te: sed ipsum quidem genti vni, Deus Pater; hunc autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit. Et infra: *Tu verò mecum ex eis omnibus quanta sit potestas eius intellige: Ego tibi dico,* (ait:) *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et homil. in Psal. 50. *Audi quid Christus dixerit Petro: columnæ & fundamento fidei: qui ob robur confessionis vocatus est Petrus: dicente Domino: Tu es Petrus & super hanc Petram &c.* Et tomo 5. Oratione 2. contra Iudæos. *Rursum prædixit Petro. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et in Marcum homil. 70. *Eligitur ergo Petrus super quem fundata est Ecclesia.*

Secundus sit S. Ephrem Syrus: qui in Orat: de Transfiguratione, Dominum ita loquentem ad Petrum inducit. *Si hîc manebimus Petre: quomodo complebitur quod tibi promisi? quomodo Ecclesia super te ædificabitur & claues regni cœlestis, quas accepisti cui erunt vsui?* Tertius sit S. Ioannes Damascenus in Historia Barlaam: Vbi Petrus dicitur Princeps Discipulorum & fidei petra.

Ex Hierosolymitana Patriarchia; Primus sit Sanctus Epiphanius in Ancorato *Fol. 265. Dominus constituit Petrum primum Apostolorum: petram firmam: supra quam Ecclesia Dei ædificata est: & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam.*

Secundus Sanctus Hieronymus: qui manens in Palæstina in multis difficultatibus ad Damasum Pontificem recurrebat: & in hæc verba S. Mat. ita scribit. *Simoni, qui credebat in Christum, Petri largitus est nomen: & secundum Metaphoram Petræ, rectè dicitur ei: Ædificabo Ecclesiam meã super te.* Et in Epistola ad Damasium; *Quoniam Oriens, vetusto inter se populorum furore, collisus, indiscissam Domini tunicam minutatim per frusta discerpit; &c. ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam, censui consulendam &c. profligato, à sobole mala, patrimonio, apud vos solos, incorrupta Patrum seruatur hæreditas.* Et infra: *Beatitudini Tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio: quicunque extra hanc domum, Agnum comederit, prophanus est: si quis in arca Nòé non fuerit, peribit: regnante diluuio.* Idem dicit, in Caput secundum Isaiæ: in Cap. 41. Ezechielis: in C. 16. Hieremiæ: & lib. 10. in Iouinianum ait. *Super Petrum fundatur Ecclesia: licet idipsum, in alio loco super omnes Apostolos fiat; & cuncti claues Regni cœlorum accipiant: &, ex æquo, inter eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecem vnus eligitur: vt Capite constituto Schismatis tollatur occasio.*

Tertius Origenes: qui homil. quinta in Exodum Editionis Paris; Anno Domini 1619. *Fol. 45.* ait. *Vide Magno illi Ecclesiæ Fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino? &c.* Et in Cap. 6. ad Rom. *Fol. 354. Petro, cùm summa rerum, de Pascendis Ouibus committeretur, & super ipsum vt super terram fundaretur Ecclesia, non alterius virtutis confessio ab eo exigitur nisi charitatis.* Et apud Eusebium Lib. 6. Historiæ: *Petrus* (ait idem Orig.) *super quem fundata & ædificata est Ecclesia Christi, contra quam portæ inferorum non præualebunt: duas tantum epistolas scripsit.* Hæc legere & expendere oportuit eos: qui duce Rotherodamo & Caluinistis, quibusdam ex verbis Origenis, tract. 1. in Mat. inferunt: Petræ nomine, omnes fideles esse intelligendos: id quod si fecissent; aduertissent: locis præcitatis, allata verba, interpretatum esse Origenem literaliter: loco verò ab eis citari solito, eadem verba interpretatum esse non literaliter, sed allegoricè: quod etiam alicubi Sanctus Chrysostomus fecit: ex sensu autem allegorico, pro fidei dogmatibus, non eruitur solidum & efficax argumeutum. Denique si omnes fideles, sunt petræ; & omnes Fundamenta; qui erunt parietes? qui ipsa Ectlesia huic fundamento superædificata? Mihi profectò dolendum videtur: esse Christianorum aliquos, adeo à Sancti Petri excellentiâ auersos, vt ne Sanctum Petrum fateri cogantur esse Petram, supra quam Ecclesia Christi ædificata sit; negent vllam dari Ecclesiæ Petram præter Christum: quodsi, Scripturis vel Sanctorum Patrum testimonijs ab ea sententia recedere cogantur; omnes fideles malint dicere Petras, quàm Sanctum Petrum: ne vllam ei specialem in Ecclesia prærogatiuam tribuant. Et tamen hi, putant se magnos esse Sancti Petri fautores, & cultores.

Ex Constantinopolitana Patriarchia; sit Primus: Sanctus Gregorius Nazianzenus, in Orat. de moderatione seruanda in disput. *Fol. 171. Vides quomodo ex Christi Discipulis, magnis vtique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic* (Sanctus Petrus) *petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta* (*ipsos scilicet Apostolos*) *fidei suæ credita habet.* Secundus Euthymius, qui, in Matth. 16. ita loquentē inducit Christū: ***Tu es Petrus & super Te ædificabo Ecclesiam meam.*** Tertius Theophilactus: in 22. Lucæ, ita loquentem Christum interpretatur: *Quia TE* (*Petre*) *habeo, vt principem discipulorum, post quam negato me fleueris, confirma cæteros. Hoc enim te decet: Qui post me es Petra & Fundamentum Ecclesiæ.* Et in hunc ipsum locum S. Mat. *Remuneratur* (*inquit*) *Petrum Dominus; mercedem illi dans magnam, quòd super eum ædificauit Ecclesiam.* Denique hoc ipsum expressè docet Sanctus Basilius tum Lib. secundo contra Eunom. *Fol. 729. Petrus* (ait) *ob fidei excellen-*

tiam,

tiam, Ecclesiæ ædificationem in seipso suscepit. Et homiliâ de Pœnitentia *Fol.* 532. *Petrus beatus pronunciatus, cum dixisset, Tu es Filius Dei altissimi; vicissim audiuit :* ὅτι σὺ πέτρος, *quia Petra es : & laudatus est à Domino. Licet enim & ipse Petra esset, non tamen Petra erat vt Christus. Hic enim essentialiter est Petra inconcussa : Petrus vero propter Petram. Largitur enim Iesus, suas dignitates : & non euacuatur : sed habens dat : Lux est, & dicit ; vos estis lux mundi : Petra est & Petram facit : & propria seruis largitur. Hoc enim signum est diuitis : habere & largiri.* Et in Caput secundum Isaiæ *Fol. 70. Vnus ex his montibus, fuit Petrus, super quam Petram promiserat Dominus suam se ædificaturum Ecclesiam. Anima autem Beati, meritò nominata est sublimis Petra, quòd in fide radices solidè defixerit.* Verba Sancti Basilij, loco citata secundo ; præclarè illustrat Sanctus Leo Magnus, Ser. 3. de Anniuersario suæ assumptionis ; vbi Christum inducit ita loquentem ad Petrum. *Vt meus Pater tibi manifestauit Diuinitatem meam, ita & ego notam tibi facio excellentiam tuam : quia, tu es Petrus : id est : cùm ego sim inuiolabilis Petra : ego lapis angularis : ego fundamentum : præter quod nemo potest aliud ponere : tamen tu quoque Petra es : quia mea virtute solidaris : vt quæ mihi potestate sint propria, sint tibi mecum participatione communia.* Orientalibus addo, eos solùm Occidentales : qui ab Orientalibus maximi habiti sunt : Primus sit Sanctus Cyprianus Martyr ; qui tractatu 3. de simplicitate Prælatorum : seu de vnitate Ecclesiæ ita scribit. *Loquitur Dominus ad Petrum : Tu es Petrus : &c. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam : & illi pascendas oues mandat. &c. Vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit : & vnitatis eiusdem originem, ab vno incipientem, sua authoritate disposuit.* Et mox. *Primatus Petro datur : vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur.* Idem Sermone 3. de bono patientiæ. *Super Petrum, Ecclesia, Domini dignatione fundata est.* Et Lib. 1. epistola 55. ad Cornelium : *Petrus super quem ædificata, ab eodem Domino fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquens & Ecclesiæ voce respondens, ait : Domine ad quem ibimus?* Similia habet epistola 69. ad Pupianum : & epistola 70. ad Ianuarium : 105. ad Quintum : & 75. ad Firmilianum : vbi dicit : *Soli Petro dictum esse : Quæcunque ligaueris &c.*

Secundus Sanctus Hilarius : in ea ipsa verba Cap. 16. in Mat. *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum : dignaque ædificatione illius Petra : quæ infernas leges & Tartari portas dissolueret!* Præterea in Commentariò Ps. 131. *Sanctum Petrum, vocat Primum Filij Dei confessorem, & Ecclesiæ fundamentum.*

Tertius Sanctus Augustinus : qui Ser. 15. de Sanctis ait. *Petrum Ecclesiæ Fundamentum Dominus nominauit : & ideo dignè fundamentum hoc Ecclesia*

colit : supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit &c. Dignum est vt fundamentum hoc in Ecclesia honoretur, per quod ad cælum ascenditur. Et Ser. 29. *Solus Petrus inter Apostolos meruit audire : Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo &c. Dignus certè qui ædificandis in Domo Dei populis lapis esset ad fundamentum : columna ad sustentaculum : clauis ad Regnum,* Et Ser. 124. de Tempore *: totius corporis morbum, in ipso Capite Ecclesiæ curat : (Christus :) & in ipso vertice, componit omnium membrorum sanitatem : in ipsa confessionis Christi crepidine, in ipso immobilis Fidei fundamento : in Petro scilicet.* Et in Psal. contra Partem Donati. *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa sede Petri &c. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Quæ cùm ita sint; fraudulenter admodum egit Caluinus :(quem aliqui Russorum sequuntur :) cùm asseruit Sanctum Augustinum Lib. 1. Retractat. C. 21. reiecta priore sententia, asseruisse; solum Christum dici posse Petram supra quam ædificata sit Ecclesia; fraudulenter inquam : quia, illo loco, nihil Sanctus Præsul retractat : sed solùm refert; hæc verba Christi, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam* dupliciter se interpretatum esse : primò cum Sancto Ambrosio de Sancto Petro : secundò, de Christo : quarum interpretationum vltra probabilior sit; non determinat ipse : sed lectori determinandũ relinquit. Vt proinde grauis impostor fuerit Caluinus; qui hîc Sancto Augustino retractationem imposuerit : & grauiter decepti sint; qui hîc Caluinum maluere sequi : quàm cum plurimis SS. Patribus, Sanctum Petrum venerari : & Ecclesiæ fideique Petram confiteri.

Satis opinor manifestè ostendi : non solùm Occidentales, SS. Patres, sed & Orientales, in omnibus Patriarchijs agnouisse ; hoc Sacræ Scripturæ loco, reuelatam esse, eam fidei Orthodoxæ veritatem: quòd S. Petrus, sit Petra & Fundamentum, supra quod ædificata sit Ecclesia : atque ideo,(vt ingenuè fatear; & vt hoc mihi, bonâ veniâ Græcorum & Rossorum Philalethon, dicere liceat;) capere non possum ; quâ ratione, & quo mysterio, Catechista quidam, audeat se Orientalis Ecclesiæ Filium dicere, qui ab ea dissentiat in eo dogmate, quod illa, tanquam veritatem infallibilem, à prima veritate per S. Matthæum reuelatam, amplexa sit. Asserit ille, nullum dari Ecclesiæ fundamentum, præter solum Christum : Reclamat Alexandrinæ Patriarchiæ iubar S. Athanasius : asserens non solum Christum, sed & S. Petrum esse Fundamentum, supra quod Ecclesiæ columnæ confirmatæ sint. Reclamat Sanctus Cyrillus, docens in S. Petro, vt in Petra, Lapideque firmissimo, Christi Ecclesiam ædificatam esse. Reclamat S. Chrysostomus, asserens S. Petrum columnam & fundamentum fidei esse. Reclamat idem, & cum eo alij, docentes; à Christo dictũ esse S. Petro : Super Te ædificabo

dificabo Ecclesiam meam. Reclamat Origenes: dicens S. Petrum esse magnum Ecclesiæ fundamentum: & petram solidissimam. Reclamat Sanctus Gregorius Nanzianzenus: asserens S. Petrum esse Petram: cuius fidei Ecclesiæ fundamenta credita sint. Reclamat Theophilactus: docens; S. Petrum esse post Christum Petram & Ecclesiæ fundamentum. Reclamant S. Basilius, & S. Leo: docentes; Christum esse ex essentia Petram: Sanctum verò Petrum, communicatione & beneficio Christi. Quid aget miser Cathechista ad hoc euocatus Tribunal, vbi tot Sanctissimorum Iudicum dictas contra se audiet sententias? An adhuc præsumet Orientalis Ecclesiæ se dicere Filium, qui contradicat ei veritati, quam omnium Orientalium Patriarchiarum Patres, reuelatum esse in Sacra Scriptura dogma, confessi sunt? non metuet ne Anathema, prima Quadragesimæ Dominica, in omnes ab Orientali Ecclesia apostatas, iaci solitum, incurrat; qui Orientalis Ecclesiæ Patrum, constanti & communi doctrinæ, contradicat? & qui quod illi diserte & ῥητῶς docuerunt; hæresim censeat: prædicet: anathematizet? Hoc certè, si ab Ecclesia, Orientali deficere & apostatare non est; non possum imaginari, quid sit. Sed viderit Cathechista: quomodo se anathemati suæque salutis summo discrimini subtrahat. Ego, vnum ex allatis SS. Patrum testimonijs eruo argumentum. Quod SS. Patres Orientales & Occidentales per S. Scripturam reuelatum esse docuerunt, hoc negare, hæræsis est: & ab Ecclesiæ Catholicæ communione, apostasia. Sed non solùm Christum, verùm & S. Petrum, esse Ecclesiæ Petram & fundamentum, supra quod ædificata sit Ecclesia, per S. Scripturam reuelatum esse, docuerunt SS. Patres Orientales & Occidentales. Ergo hoc negare hæresis est; & à communione Ecclesiæ Catholicæ Apostasia. Aduertêre quidam hoc, Rossorum Theologorum subtiliores: & conuicti; fatentur Sanctum Petrum esse Petram & Fundamentum Ecclesiæ: sed negant hoc ei soli conuenire: sed & alijs Apostolis, (quos etiam S. Scriptura Ecclesiæ fundamenta appellat;) commune esse. Verùm & his, contradicit S. Athanasius: docens; S. Petrum esse tale fundamentum: supra quod Ecclesiæ columnæ confirmatæ sint: & S. Gregorius Nazianzenus, citatus: docens S. Petrum esse Petram, cuius fidei ipsa Ecclesiæ fundamenta (audiant aduersarij) credita sint: & S. Cyrillus: docens; in eo ipso fundatam esse Christi Ecclesiam: cuius nomen Simonis commutatum est in nomen Cephæ. Contradicunt eisdem: qui S. Petro à Christo dictum esse scribunt. Super TE (Petre) ædificabo Ecclesiam meam. Cui enim hoc alteri dictum? cui in remumerationem vel mercedem datũ? Contradicit Theophilactus: de solo Petro scribens: eum esse post Christum Petram & fundamentum Ecclesiæ.

clesiæ. Contradicunt ex Occidentalibus, æquè Sancti & æquè docti Patres: S. Cyprianus Martyr: dicens super vnum Petrum fuudatam esse Ecclesiam: & S. Hieronymus docens: vnum è duodecim æqualibus electum esse, qui esset Caput, per quod Schismatis occasio tolleretur: & S. Augustinus: asserens; S. Petrum esse Caput Ecclesiæ & verticem membrorum omnium. Contradicunt deniquè Orientales & Occidentales: quicunque altâ & frequenti voce proclamant; S. Petrum, esse primum, & summum principem: coryphæum Apostolorum: &c. quos Deo fauente infra citabo. Quæ omnia, vbi hi, quantumuis excellenter docti Theologi, expenderint; habebunt iustam dubitandi metuendique rationem: ne ab Orientalibus Patribus in die nouissimo denuncientur desciuisse: & anathema, ab ijs ipsis in apostatas ab Orientali Ecclesia solemni ritu iactum, incurrisse. Poteram hîc sistere: atque esse contentus: quòd ostenderim SS. Patres Orientales, Primatum Sancti Petri eiusque successorum, hoc Sancti Matthæi loco, reuelatum agnouisse. Vt tamen faciliùs quod proposui persuadeam; ostendam, SS. Patres agnouisse; etiam alijs S. Scripturæ locis, hoc esse reuelatum. Non potero tamen plures recensere testes, ne hic tractatus in longum nimis volumen excrescat.

Eandem ergo quam proposui veritatem, censent SS. Patres esse reuelatam, verbis illis: *Et tibi dabo claues Regni cœlorum*: verbi gratia.

In Alexandrina Patriarchia S. Athanasius in citata ad P. Felicem epistola dicens. *In Nycæna Synodo definitum est, vt si quis Episcoporum aut Metropolitanum, aut Comprouinciales, vel iudices suspectos habuerit, Vestram S. Romanam interpellet sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi & soluendi, speciali est Priuilegio, super alios* (Notent & expendant: qui secuti Caluinistas, negant his verbis S. Petro plus datum à Christo, quàm alijs discipulis) *concessa.*

Ex Antiochena S. Chrysostomus. homilia 55. *Quemadmodum tibi (Petre) dedit Pater vt me cognosceres; ita & ego tibi dabo. Quid das quæso? claues Regni Cœlorum.*

Ex Hierosolymitana Patriarchia S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 17. *S. Petrum appellat verticem Apostolorum, & cœlestis regni clauigerum.* Non possum etiam omittere Origenem super ea ipsa verba in Commentario Euang. S. Matth. ita scribentem. *Non modica differentia est: cùm, Petro quidem sint datæ claues, non vnius cæli, sed multorum Cælorum: vt; quæcunq; ille ligauerit super terrā sint ligata, non tantùm in vno cælo; sed in omnibus cælis: ad eos autem; qui multi sunt ligatores, & solutores, sic dicit: vt soluant & alligent non in cælis, sicut Petrus: sed vt soluant & alligent in omnibus locis.* Hæc

tis. Hæc etiam expendant velim, qui hîc negant plus esse concessum Petro, quàm alibi alijs Apostolis. Equidem, illi soli, traditas esse regni cælorum claues; asserunt hîc Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus, Theophilactus, cui dictum est, eodem Cap. S. Matth. *Vade post me Sathana.* Quomodo ergo alijs datæ censeri possunt?

Ex Constantinopolitana Patriarchia, S. Basilius sermone de iudicio Dei: de S. Petro loquens, ait. *Ille beatus, qui cæteris discipulis prælatus fuit: cui datæ sunt claues regni cælorum.* Et S. Hyppolitus Martyr in sermone de die Iudicij: *Petrus Petra Ecclesiæ, & fidei, quem beatum fecit Christus Dominus Deus noster, Magister Ecclesiæ, primarius discipulus, qui claues regni cælestis habet.*

Addo Occidentalium aliquos. Primus sit S. Hilarius: loco iam citato, hæc ipsa verba, tali acroamate adornans. *Beatus cæli ianitor, cuius arbitrio, claues æterni aditus traduntur: cuius terrestre iudicium, præiudicata authoritas sit in cælo: vt quæ in terris, aut ligata sint, aut soluta, status eiusdem conditionem obtineant in cælo.*

Secundus Gregorius Magnus: Dialogista dictus Græcis: qui cum lib: 4. epistola 32. dixisset; *Cunctis Euangelium scientibus liquet: quòd voce Dominicâ, Sancto & omnium Apostolorum Principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissa est*; subdit huius dicti rationem: *Ipsi quippe dicitur: Tibi dabo claues regni cælorum.*

Tertius sit S. Leo Magnus Serm. 3. de Anniuers: suæ assumptionis. *Etsi (inquit) in populo Dei, multi sunt sacerdotes, multique pastores; omnes tamen propriè regit Petrus: quos Principaliter regit, & Christus.* Et infra: *Si quid, cum eo commune, cæteris voluit esse principibus; nunquam, nisi per ipsum, dedit: quidquid alijs non negauit.* Idem in epistola ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem ait. *Inter Beatissimos Apostolos, in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis: & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est: vt cæteris præmineret.* Et in epistola 89. ad Episcopos Viennensis prouinciæ: *Petro (inquit) præ cæteris ligandi & soluendi tradita est potestas.* Agnoscitur ergo, à Sanctis Patribus: etiam in his verbis, reuelatum esse primatum Sancti Petri, eiusque Successorum: nec enim claues ei datæ sunt, vt priuato homini: sed vt Pontifici: & Cephæ: seu Petræ: supra quam ædificanda fuerit Ecclesia: ad diem iudicij, harum clauium vsu, ob propriam indigentiam fruitura.

Hoc ipsum reuelatum esse, Ioan. 21. ℣. 16. & 17. censent, huius Euangelij interpretes: Sanctus Cyrillus Alexandrinus: Sanctus Ioannes Chryso-

ſtomus: Sanctus Auguſtinus: Theophilactus. Studio tamen breuitatis, aliqua ſolùm magis expreſſa affero teſtimonia. Sanctus ergo Chryſoſtomus in hoc Euangelium ſcribens, ait: *Chriſtus dicit Petro: Paſce oues meas: cur alijs omiſſis Petrum ſolum affatur? Quia, alijs Apoſtolis præſtantior erat: Os diſcipulorum: & Caput numeri eorum.* Et infra. *Iacobus ſedem Hieroſolymis accepit: Petrus verò totius orbis magiſter, & præpoſitus.* Et ibidem. *Cùm Dominus magna Petro communicaſſet, orbisquè terrarum curam eidem commiſiſſet. &c.* Et homil. 80. ad Populum Antiochenum. *Poſt grauem caſum, ad priorem honorem, Petrum pœnitentia reduxit: eiquè per totum orbem terrarum præſidentiam tradit.* Et Lib. ſecundo de Sacerdotio, cùm idem Chriſti cum Petro colloquium expendens, dixiſſet, Sanctũ Petrum authoritate aliquos Apoſtolos præcellere longe; inferiùs ait: *Chriſtum ſuum ſanguinem fudiſſe: vt acquireret oues, quarum curam tùm Petro tum Petri Succeſſoribus committebat.*

Idem diſſertiſsimè docet Theophilactus in Commentario horum verborum. *Cùm finem prandendi feciſſet (Chriſtus) totius orbis ouium præfecturam Petro committit. Non autem alij: ſed huic tradit. Quia omnes præcellebat: & totius cætus os erat. &c.* Et infra. *Commiſit Chriſtus Petro, fidelium omnium præfecturam: etſi enim Iacobus ſedem Hieroſolymis acceperit, ſed Petrus totius terrarum orbis.* Et mox. *Cùm Petrus talibus dignus eſſet habitus, vt ipſi terrarum orbis commiteretur, Ioannem vehementer diligens, de ipſo interrogat: Reſpondet Chriſtus: Quid ad te? &c. Opus quod tibi concreditum eſt, perfice: & ſequere me: qui educo te ad prædicationem: & totum orbem in manus tuas trado.* Et in 22. Lucæ. *Tu Petre conuerſus, bonum omnibus exemplum Pœnitentiæ eris: vt nullus te reſpiciens deſperet: qui cum Apoſtolus fueris, & negâueris, iterum tamen receperis primatum omnium: & præfecturam orbis per pœnitentiam.* Prolixiùs, hæc teſtimonia retuli: quia à viris probatiſſimis & digniſſimis didici, etiam in libris Slauonicis ea deſcripta haberi. Breuiùs innuo reliqua.

Sanctus Baſilius, in Regulis breuioribus, Serm. de obedientia ait. *Hoc ab ipſo Chriſto didicimus: qui Petrum, poſt ſe, Paſtorem Eccleſiæ ſuæ, inſtituit. Petre etenim, (dixit:) Diligis me plus his? Paſce oues meas.* Et Sanctus Epiphanius in Anco. *Hic eſt; (Petrus) qui audiuit: Paſce oues meas: cui concreditum eſt ouile.* Ergo ſi ei ouile creditum eſt, quod vnicum eſt, totum vtique eius curæ & regimini commiſſum eſt.

Ex Latinis libeat audire Sanctum Ambroſium: in fine Commentarij in Lucam. *Petrum, Dominus, eleuandus in cælum, Amoris ſui nobis velut Vicarium reliquit. Sic enim habes: Simon Ioannis diligis me &c. Paſce agnos*

meos &c.

meos &c. *Et ideo quia solus Petrus profitetur ex omnibus; omnibus antefertur.* Et Sanctum Leonem Serm. 3. de Anniu: *De toto mundo, vnus eligitur Petrus: qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur.* Nullus hîc tergiuersationi relinquitur loc°. Clarissimè enim SS. Patres asserunt: hoc Sacræ Scripturæ loco, Sanctum Petrum, toti Ouili Christi, vt Pastorem, post Christum, vniuersalem, institutum esse: totiusque orbis terrarum præfecturam, à Christo sibi datam, accepisse: adeo, vt ne ipsi quidem excipiantur Apostoli: quam prærogatiuam soli Sancto Petro datam, eiusque Successoribus, patet ex Sancto Chrysostomo & Theophilacto citatis.

Alia Sacræ Scripturæ loca, quibus hoc ipsum vel reuelatum vel significatum esse, censent SS. Patres, sufficiet innuisse. Hoc ergo præterea, reuelatum esse, Lucæ 22. (vbi Christus profitetur se orasse pro Petro, ne vnquam deficiat fides eius in ordine ad confirmandos Fratres; (etiam eos: quos ibidem, ait, expetitos à Sathana, vt cribrentur tanquam triticum, id est Apostolos:) hoc inquā loco id reuelatū esse, censet clarissimè Theophilactus: cuius verba iam citaui: & retuli. Deinde Sanctus Chrysostomus in Acta Homil. 3. Sanctus Ambrosius in Ps. 4. Sanctus Augustinus qu. 75. quæstionū noui & veteris testamenti. Sanctus Agatho in Epistola ad Constantinum. Sanctus Leo magnus Sermone 3. de Anniuersario assumptionis. *Commune (inquit) erat omnibus Apostolis periculum: Specialis tamen cura Petri à Domino suscipitur: tanquam si aliorum status certior sit futurus; si mens Principis victa non fuerit: in Petro ergo omnium fortitudo munitur: & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium: vt firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* Hoc idem significatum esse, Matth. 17. (vbi scribitur Christus soluisse didrachma pro se & Petro:) docent; Sanctus Hilarius, & Sanctus Hieronymus, in eum ipsum locum: & Origenes homil. 5. in Mat. & Sanctus Augustinus qu. 75. *Quæstionum vet. & noui testamenti:* vbi ait: *Exactores accessisse ad Petrum: qui Primus inter Apostolos erat: & Christum, soluendo pro se & Petro, soluisse pro omnibus: quia vt in Saluatore erant omnes causæ Magisterij; ita & post Saluatorem, in Petro omnes continentur. Ipsum enim,* (audiant aduersarij) *constituit Caput esse eorū, vt Pastor esset gregis Dominici.* Prolixiùs ex hoc loco, Primatum Sancti Petri, probat Sanctus Chrysostomus: homil. 59. in Commentario huius textus. Asserit primò: exactores huius tributi, Christi Domini personam reueritos, adijsse Petrum: quibus is discipulorum primus esse videbatur. Asserit secundò: ingentem, in hoc, honoris Sancti Petri excellentiam enituisse, quòd fuerit Christo in tributi solutione coniunctus. Asserit tertiò: quòd in illa

 hora,

horâ, (verba sunt eius;) quando Christus alijs omnibus Petrum prætulit: alij discipuli sint, quid humanum passi: ideoque quæsierint; Quis eorum esset maior? quando (*inquit*) cæteros præferri conspexerunt; nihil tale passi sunt: cum verò ad vnum delatus est honor: doluerunt &c. tum quia dixit illi; ***dabo tibi claues Regni cælorum.*** Et ***Beatus es &c.*** & ***Simon oraui pro te &c.*** *tum etiam hîc;* ***da eis pro me & te:*** *tum denique quia liberiùs eum multò, Christo colloqui conspiciebant. Hoc vltimum etiam Theophilactus aduertit:* *in* Cap. 18. Mat. si ergo ipsimet Apostoli, Sanctum Petrum, hoc loco, à Christo, eis omnibus prælatum esse agnouerunt; ideoquè quæsierunt, Quis maior sit in Regno cælorum; sequitur: aduersarios Primatui Sancti Petri contradicentes, non solùm Sanctis Patribus citatis, sed & ipsis Apostolis aduersari.

Idem, docent Sancti Patres, esse significatum, locis illis; quibus Sanctus Petrus nominatur vel ponitur Primus: & quibus contradistinguitur ab alijs Apostolis: v. g. ***prosecutus est eum Simon: & qui cum eo erant:*** Mar. 1. ℣. 36. ***Petrus, & qui cum eo erant:*** Lucæ 9. v. 32. & Act. 2. v. 14. ***Stans Petrus cum vndecim:*** & v. 31. ***Dixerunt ad Petrum: & reliquos discipulos:*** & Act. 5. v. 29. ***Petrus & Apostoli dixerunt.*** Et primæ ad Corynt. v. 5. ***Cæteri Apostoli: & fratres Domini: & Cephas.*** Ex vltimis verbis, Primatum Sancti Petri, infert Theophilactus: in Cōmen. horum verborum. *Aduerte quòd summum Apostolorum, vltimo loco posuit, ceu Maiorem:* secutus Sanctum Chrysostomum: ibid. homil. 21. *Intuere,* (inquit aureū os:) *Sapientiam Pauli: Principem posteriori in loco addidit: qui enim vehementissimus erat, locutus tunc ponitur. Nec enim tam mirum erat, ostendere, id fecisse alios: quàm Principem ipsum, & cui cælorum claues erant creditæ.*

Hoc ipsum significatum esse, aiunt SS. Patres, locis illis: quibus describitur Sanctus Petrus, hac sui primatus excellentia vsus esse: vt cùm toties, nomine omnium Apostolorum respondet: quod eum fecisse, tanquam Apostolorum præsidem; docet Sanctus Cyrillus Alexandrinus Lib. in 4. i Ioan. C. 25. *per vnum qui præerat, omnes respondent:* & Lib. 12. C. 64. *Petrus princeps, Caputque cæterorum primus exclamauit.* Et apud eundem Paulus Episcopus Emessensis homil. 4. *Petrus Coryphæus & os Apostolorum exclamat.* Vnde eapropter, Sanctus Chrysostomus sæpe appellat Sanctum Petrum, os Apostolorum: præsertim homil. vltima in Ioan. In Act. verò hom. 3 illa verba, ***surgens Petrus &c.*** ita illustrat. *Quàm feruidus est Petrus! quàm agnoscit creditum sibi à Christo gregem! quàm in hoc choro discipulorum Princeps est! quàm vbique primus incipit loqui!* Et Homil. 55. in Mat.

Petrus

Petrus (inquit) omnium Apostolorum os : vertex consortij totius : cùm omnes interrogati essent, ipse solus respondit. &c. Theophilactus quoque, Sanctum Petrum vocat cætus Apostolici os : in expositione C. vlt. Ioannis : & omnium Apostolorum Oratorem, in expositione Act. capitis secundi. His consonat Oecumenius in eadem Acta scribens. *Surgit Petrus, non Iacobus : vt is, cui præsidentia discipulorum commissa erat.* Hoc ipsum probat Sanctus Chrysostomus, ex Concione, post acceptum Spiritum Sanctum, primâ, à Sancto Petro habitâ : & ex verbis illis Act. 9. v. 31. *Factum est vt Petrus dum pertransiret vniuersos. &c. Quomodo (inquit) Dux in exercitu, obambulans considerabat, quæ pars sit coadunata, quæ suo aduentu egeat. Vide vbique eum circumcursare : & primum inueniri.* Denique Sanctus Ambrosius, primatum Sancti Petri eiusque Successorum, significatum docet : Lucæ 5. ibi. *Vidit* (D. IESVS) *duas naues stantes &c.* Et, *ascendens in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum, à terra reducere pusillum : & ; sedens docebat de nauicula turbas : vt cessauit loqui; dixit ad Simonē : duc in altum. Hanc* (ait Serm. 51.) *solam Ecclesiæ nauem, ascendit Dominus : in qua Petrus Magister est constitutus : dicente Domino : super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam : quæ nauis in altum sæculi istius natat, ita, vt pereunte mundo, omnes, quos suscipit, seruet illæsos. Vt enim Noë arca, naufragante mundo, cunctos quos susceperat incolumes reseruauit ; ita Petri Ecclesia, conflagrante sæculo, omnes quos amplectitur, repræsentabit illæsos.* Similia habet in C. quintum Lucæ : *Ascendit in Petri nauim Dominus : hæc est illa nauis : quæ adhuc secundùm Matt. fluctuat : secundùm Lucam repletur piscibus : vt & principia Ecclesiæ fluctuantis, & posteriora exuberantis agnoscas. &c. Et quomodo turbari poterat, cui præerat Petrus, in quo Ecclesiæ fundamentum est ? &c. Denique etsi alijs imperatur, vt laxent retia : soli tamen Petro dicitur : Duc in altum &c.* Quod si ita est ; quemlibet æternæ salutis studiosum satagere necesse est : vt in hac nauiget naui : nec ab illâ excidat vnquam : cùm extra eam, non sit salus. Par item est, omnes Orientalis Ecclesiæ Filios, vereri ; ne à suis Patribus iudicentur ab ea desciuisse : si negent Sanctum Petrum, principem Apostolorum, primumque post Christum fundamentum, fuisse : orbisque totius præfecturã, & Apostolorum præeminentiam habuisse : eamque in suos Successores Romanos Pontifices transfudisse : quod, adeo disertis & expresis verbis asserunt, omnium Patriarchiarum Orientalium SS. Patres ; vt vix clarioribus verbis suam de Sanctissima Trinitate sententiam expresserint. Quare vt hæreticorum quæcunque explicationes facere nequeunt ; vt SS. Patres censeamns quidquam Sanctissimæ Trinitati contrarium do-

 cuisse ;

cuisse; ita facere non deberent friuola & futilia Lutheranorum & Caluinistarum effugia; vt quis Orthodoxorum, persuadeatur, SS. Patres Orientales, Sancto Petro primatum Ecclesiæ negare: quem, legere & discere potest vnusquisque, accuratissimè ab eis defensum: idq; è multis Sacræ Scripturæ oraculis, tanquam infallibilem veritatem, agnitum & illatum esse.

PROPOSITIO SECVNDA.

Sancti Patres Orientales, in Synodis Oecumenicis, Primatum Sancti Petri, eiusque Successorum, testati sunt.

FEcêre id primò: in Concilio Nicæno primo: in Præfatione Concilij missi ad Syluestrum: vbi hæc sunt verba. *Sciendum est*: (aiunt SS. Patres) *omnibus Catholicis: quoniam S. Ecclesia Romana, nullis Synodicis decretis prælata est, sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri Primatum obtinuit; vbi dictum est; Beato Petro: Tu es Petrus &c.*

Deinde, hoc ipsum testati sunt Canone Sexto, (prout is in Concilio Chalcedonensi, à Paschasino, Sancti Leonis Magni Legato, citatus, & lectus est:) *Ecclesia Romana semper habuit primatum.* Quem Canonem, cum his verbis lectum, (etsi nunc in vulgatis exemplaribus desiderentur) SS. Patres Chalcedonenses agnouêre, ita fideliter & verè citatum esse; vt eadem Actione, voce communi, exclamauerint; *Perpendimus: omnem primatum & honorem præcipuum, secundum Canones, antiquæ Romæ, Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.* Confirmatur: quia eodem Canone, Alexandrino Patriarchæ, traditi, per totum Ægyptum & Lybiam regiminis, non alia ratio assignatur; quàm quòd Episcopo Romano talis consuetudo sit: quæ ratio vt sit efficax; uon potest aliter explicari: nisi in hoc sensu: Alexandrinum Patriarcham, ideo tam amplas regere debere prouincias; quia Romanus Episcopus, iam inde à Temporibus Sancti Petri, ante vllam Conciliorum definitionem, consueuit eas prouincias per eum gubernare. Pro eadem veritate, P. Franciscus Suarez, in defensione fidei, contra Regē Angliæ Lib. 13. C 16. citat Canonem 39. ex Canonibus octuaginta ex Græco & Arabico versis. Videatur & expendatur Canon secundus & tertius.

In eadem Synodo, (aut fortasse, ei identificata, & pro eadem à Sanctis Patribus reputata Sardicensi) decretum esse; quòd Concilia præter Sententiam Ro-

tiam Romani Pontificis non debeant celebrari : & quòd ad Romanum Pontificem, liceat ex toto orbe, à quibusuis iudicibus appellare : testatur Iulius Papa : in Epistola prima, & secunda ad Orientales : quas in Concilio Ephesino fuisse receptas, testatur, vetustus Author Vincentius Lirinensis. Prima etiam tota, extat in secunda Sancti Athanasij Apologia : & secundæ meminit Concilium Sardicense. Denique eius Canonis simulque Epistolæ Iulij, non sine encomio, meminerunt : Socrates Lib. secundo C. 13. Sozomenus Lib. 13. C. 9. Theodoretus Lib. 2. C. 4. & imprimis, testis omni exceptione maior, Sanctus Athanasius : in epistola ad Felicem Papam, nomine Synodi Alexandrinæ data : cuius verba velim expendi. *Scimus* (aiunt Patres Ægyptij Præside S. Athanasio Alexandriæ cōgregati :) *in Nicæna magna Synodo, ab omnibus concorditer esse roboratum : non debere sine Rom. Pontificis sententia, Concilia celebrari, & Episcopos damnari : licet hæc, & alia quamplura, necessaria Synodica capitula, sint ab hæreticis incensa.* Et paulò infra. *A supra dictis Patribus, in præfata Nicæna Synodo, est definitum constanter : vt si quis Episcoporum, aut Metropolitanum, aut Comprouinciales, aut iudices suspectos habuerit, vestram S. Romanam interpellet sedem : cui ab ipso Domino, potestas soluendi & ligandi, speciali est priuilegio, super Alios concessa.* Et infra. *Antiquis Regulis sancitum est : vt quidquid, quamuis in remotis prouincijs sub Episcoporum querelis ageretur, non prius tractandum vel accipiendum esset; quàm ad notitiam Almæ sedis vestræ fuisset deductum &c. vt huius authoritate infirmaretur, aut firmaretur. &c.* Tota illa epistola plurima Romani Pontificis exhibet præconia : vt patebit legenti.

Denique, hoc ipsum testati sunt Nicæni Patres cùm sua decreta & dogmata à Syluestro Papa confirmari petierunt. *Quidquid (aiunt) constituimus, in Concilio Nicæno, precamur oris vestri consortio confirmetur.* Id quod fecit Syluester : vt patet ex Rescripto.

Fecere id Secundò : in Concilio Constantinopolitano : Primò in epistola ad Damasum Papam datâ, ita scribentes. *Quia fraternam circa nos charitatem ministrantes, Synodum in Romana vrbe fecistis, & nos illuc tanquam propria membra euocastis; &c. Oratio nostra fuit : vt omnes nostras simul relinquentes Ecclesias, desiderio vtili iungeremur : sed quia res erat plurimis impossibilis, quod erat secundum egimus :* quam eorum obsequendi promptitudinem laudat Damasus : in epistola, quâ eis quos ibi Filios appellat, respondet. *Quoniam (inquit) Apostolicæ sedi Reuerentiam debitam, charitas vestra distribuit, vobis quam plurimum, Clarissimi Filij præstitistis.* Deinde, in eodem Concilio, scriptus est hic quintus Canon : *à Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum, habere oportet primatus honorem, post Romanum Episcopum :* qui

Canon

Canon, etsi à Damaso Papa reiectus sit; (vt patet ex eius epistola: & vti in Concilio Chalcedonensi, Sancti Leonis Papæ legati, probauerunt:) sat tamen euidens testimonium est) Orientalium Patrum, (qui in eo Concilio, soli, sine vllo Occidentali fuêre, sententiam fuisse; Constantinopolitanum Episcopum, (nec dum enim Metropolitæ Heracleensi subtractus erat:) vel Patriarcham, non debere esse in Ecclesiastica Hierachia Romano Pontifici æqualem: sed eo posteriorem: solumquè (quantum ex voto eorum erat) alijs Orientalibus Patriarchis priorem.

Præterea; primatum Romani Pontificis, hoc Concilium, ex eo etiam capite testatur: quòd cùm, absentibus Patribus Occidentalibus, actum sit; & ex Orientalibus, multò pauciores habuerit quam Sardicense; authoritate tamen Damasi Papæ factum sit Oecumenicum: & à Nicæno secundum: sine cuius assensu, solius Prouincialis Synodi momentum habuisset.

Fecêre idem Tertiò: in Concilio Ephesino: cùm in epistola ad Theodosium & Valentinianum Imperatores aiunt: *Te, ad damnandum Nestorium accessisse, mandato & exemplo, Deo dilectissimi & Sanctissimi Cælestini, Magnæ Romæ Episcopi: qui ante Concilij sententiam, hæretica Nestorij dogmata, condemnauit: illudque, in ferenda contra ipsum* (Nestorium Constantinopolitanum Patriarcham) *Sententia præuenit: vt, piam & salutarem fidem, à Sanctis Apostolis & Sanctis Patribus traditam, communiret.* Hæc illi: fatentes, Romanum Pontificem, etiam sine Concilio habere, ius Constantinopolitani Patriarchæ iudicandi & damnandi.

Iidem in epistola Sexta ad eosdem Imperatores, aiunt. *Sanctissimus Cælestinus, Magnæ Romæ Episcopus, literis suis significauit: Iniungens Sanctissimo & dilectissimo Cyrillo, Magnæ Ciuitatis Alexandrinæ Episcopo, vt suas vices obiret.* En SS. Patres Orientales, agnoscunt: Romanum Pontificem, posse etiam Patriarchis Orientalibus aliquid mandare: & iniungere: summumquè honorem haberi ei: quẽ is vices suas agere voluerit. Iidem in epistola vndecima eiusdem Synodi, ad Cælestinum Papam, ita scribunt. *Quia necessitas postulauit, vt quæ consecuta sunt in hac S. Synodo, omnia ad Sanctitatis suæ cognitionem referantur, necessariò scribimus.* Ibidem: Ioannem Antiochenum Patriarcham eiusque temeritatem, aiunt: *se reseruasse, eius, (Cælestini) pietatis iudicio.* En, quem tanta Synodus iudicare non præsumpsit, Romano Pontifici tradit iudicandum: potestati eius iudicatiuæ ipsos etiam Patriarchas (Antiochenum & Constantinopolitanum) subiectos esse, agnoscens.

Fecere hoc ipsum, Quartò: in Concilio Chalcedonensi: in quo à SS. Patribus, Leo Papa, vix non in singulis Actionibus appellatur Vniuersalis Ecclesiæ

clesiæ Papa: vel Patriarcha: deinde sigillatim Actione prima scribitur. *Paschasinus Vicarius Sedis Apostolicæ dixit: Beatissimi atque Apostolici viri, Papæ vrbis Romæ, (quæ est Caput omnium Ecclesiarum,) præcepta habemus: &c.* Actione secunda, post epistolam Sancti Leonis ad Flauianum lectam, Reuerendissimi Episcopi clamauerunt. *Hæc Patrum fides: hæc Apostolorum fides: omnes ita credimus: anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus est.* Actione tertia Sanctorum Patrum vox erat. *Sanctissimus Archiepiscopus Magnæ & Senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem Sanctam Synodum, vná, cum ter Beatissimo & omni laude digno Beato Petro Apostolo, qui est Petra & crepido Fidei Catholicæ; nudauit eum,* (Dioscorum Alexandrinum Patriarcham,) *Episcopatus dignitate: & ab omni Sacerdotali alienauit ministerio.* Iidem, in Epistola ad Leonē Papam, (quæ ab aliquibus eidem Actioni inseritur) aiunt. *Quid sublimius fide, quam velut auro textam seriem, IPSE seruasti: vocis Beati Petri interpres, omnibus constitutus: & eius fidei Beatitudinem super omnes adducens?* Et infra. *Sacerdotes in Christi nomine congregati, patriæ suæ confessionis notitiam, prætulerunt: quibus tu, vt membris Caput præeras.* Deinde de Dioscoro agentes, aiunt. *Post hæc, contra ipsum, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam, id est contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem.* In fine petunt confirmari quædam sancita: quibus Pontificij legati restiterunt. *Rogamus (inquiunt) tuis decretis, nostrū honora iudiciū, SVMMITAS tua, Filijs quod decet adimpleat &c. Omnem vobis gestorum vim insinuauimus: ad comprobationem nostræ sinceritatis, & ad eorum, quæ à nobis gesta sunt, firmitatem & consonantiam.* Respondet Sanctus Leo epistola 54. omnia de fide statuta se approbare in sola fidei causa: propter quam generale Concilium, placuit congregari: sed inferiùs monet de custodiendis Nicænis Canonibus: affirmans; infirmum & irritum fore, quiquid à Nicænorum Patrum Canonibus discreparit: quod adiecit: quia aduertebat, Constantinopolitanum Patriarcham conari, supra alios Orientales Patriarchias primatum obtinere: quod Canonibus Patrum Nicænorum repugnabat. Iidem, Actione octaua dixerunt. *Theodoretus (postquam à Deo amantissimo Archiepiscopo, Senioris Vrbis Romæ Leone, susceptus est, eiusque epistolæ subscripsit;) dignus est sede Ecclesiæ: Orthodoxum Ecclesia Pastorem recipiat: post Deum Leo iudicauit.*

Fecere hoc ipsum quintò: in Concilio Oecumenico Quinto: mandante Vigilio Papa, Constantinopoli congregato. Nam primò in eius præambulo, id est Concilio, ibidem collecto sub Menna Patriarcha, Agapeti Papæ Vicario; Actione quarta, in proclamatione contra Anthimum facta, refertur fraus Anthimi Pseudopatriarchæ Constantinopolitani; quòd is,

 decepti-

deceptibilibus rationibus vſus, Imperatori Iuſtiniano promiſerit, ſe omnia facere: quæcunq; ſummus Pontifex Magnæ ſedis Apoſtolicæ decerneret: & ad Sanctiſsimos Patriarchas ſcripſerit, ſe ſequi per omnia Apoſtolicam Sedem. *Erat autem Catholicæ doctrinæ euidentiſsimum ſignum, ſi quis aiebat ſe in omnibus fidei dogmatibus Romanæ Eccleſiæ doctrinam ſequi.* Mox ijdem addunt: *At, Deo non permittente, talia vſque in finem procedere; miſſus eſt huic regiæ verbi, ſecundùm ipſius Deitatem, Agapetus: Sanctæ memoriæ Papa Beatiſsimus, qui ſtatim Sacris Canonibus manum cum Deo porrexit: & ipſum de ſede ſibi non conueniente depulit. &c.* Poſtea vrgente Synodo, condemnationem etiam collegarum Anthimi, reſpondit Mennas. *Nos (ſicut ſcit veſtra charitas) Apoſtolicam Sedem ſequimur: eique obedimus: & communicatores ipſius, communicatores habemus: & condemnatos ab ipſa, condemnamus.* En quantum hic Patriarcha à Recentioribus Græcis diſsidet. In ipſo verò Concilio, habito ſub Vigilio Papa, per Eutychium Patriarchã Vicarium Vigilij, euidens, primatus Romani Pontificis argumentum occurrit: primò: quia indictum eſt à Vigilio Papa: & quia ab eodem, Iuſtiniano Imperatori ea conditio impoſita eſt: vt vel in Italia eſſet hoc Concilium: vel ſaltem, vt ad illud, Conſtantinopoli futurũ, aduocentur, & expectentur, ex Occidente Epiſcopi: tot minimùm; quot è diuerſis Orientis Eccleſijs conuenerint. Secundò: quòd cùm ad eam, tum ob infirmitatem, tum ob abſentiam Occidentalium Epiſcoporum, venire abnueret Vigilius; miſsi ad eum inuitandum ſint, 17. Metropolitani: & tres Patriarchæ: Conſtantinopolitanus: Alexandrinus: Antiochenus: quodquè ad idem impetrandum Iuſtinianus Imperator miſerit Illuſtriſsimos Imperij Senatores, & in his, Belliſarium clariſsimum, Perſidis, Africæ, Italiæque triumphatorem. Cui hoc vnquam Patriarchæ, vlla exhibuit Synodus? quem vnquam ita venerata eſt? quid verò quærebatur ternâ adeo magnifica Vigilij inuitatione, ſi is nullam præ Patriarchis alijs habuit prærogatiuam? quid erat neceſſe, & á Synodo & ab Imperatore, tam ſolicitè quæri præſentiam Papæ; ſi Synodus vim definitiuam, ſine Pontifice habuit tantam, quantam cum Pontifice? Non hoc erat oleum & operam perdere? Tertiò: quia in Conſtituto Vigilij, Mennæ epiſtola ibi relata, ita concludit. *Quia tempore diſcordiæ ſuſcepi* (ait Mennas Patriarcha) *in communionem excomunicatos, vel non receptos à Beatitudine veſtra, veniam poſtulo.*

Quid erat neceſſe tantum Patriarcham veniam petere à Papa, ſi is, neque iudicio, neque cenſuris Papæ, obnoxius fuit: vt profectò non fuit eis obnoxius, ſi Papa non habet vniuerſalem Eccleſiæ Catholicæ præfecturam. Quartò: quia cùm ea Synodus, ob multos defectus, contra Canones Eccle-

siasticos, ne priuatæ quidem Synodi nomen mereretur; (vti probat Baronius in Anno 553.) Vigilij Papæ assensu, facta est Oecumenica. Nam & ipsi Græci, non alia ratione eam esse Oecumenicam probant: quàm quòd illi consensus Romani Pontificis accesserit: licet id factum sit, cum magno Ecclesiarum Occidentalium Schismate. Quod, primatus Pontificij illustre esse testimonium, optimè colligit Baron. in *Anno 555.*

Fuit Vigilius, (vt ex historia Ecclesiastica constat,) ob ambitionem, & ex ea secutam, Sancti Syluerij mortem, redditus admodum contemptibilis: & tamen ei, præualere non potuere edicta Iustiniani Imperatoris: neque Theodoræ Augustæ, minæ: & conatus: neque Patriarchæ Orientales: neque Occidentalium plurimorum defectio. Immò, neque Patriarcharum & Episcoporum Orientalium Concilium, eo inuito, quidquam efficaciter concludere potuit: nullius roboris in Ecclesia Catholica futurum, nisi illud suo assensu firmasset Vigilius: eiusque Successores: ita: quò magis contempta est in Vigilio Apostolicæ Sedis authoritas, (ait loco citato Baron.) eò ampliùs apparuit illustrata: & cùm, nulla fuerint tempora, quibus sub Christiano Imperatore, adeo ignominiosa pati fuerit coactus Romanus Pontifex, vix tamen vnquam, magis cognitum fuit: quanta in Petri Successore vis & potestas esset: vt vel inde pateat; Deum tunc permisisse, Apostolicam Sedem in discrimen adduci: vt ab omnibus intelligeretur, non humanis eam, sed Diuinis inniti præsidijs.

Fecêre hoc ipsum Sextò: in Concilio Constantinopolitano Tertiò: peracto præsentibus, Georgio Constantinopolitano, & Macario, vel Theophane Antiocheno Patriarchis: & præsidentibus legatis Agathonis Papæ. Fecêre inquam; cùm in Sermone ad Imperatorem, aiebant, per Agathonem loquutum esse, Petrum: principem Apostolorum: cuius imitator & Successor esset Agatho: & cum in Act. 4. lecta esset Agathonis eiusdem epistola: cum his verbis. *Hæc veræ fidei est regula: quam viuaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia: quæ per Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam aberrasse probatur: nec hæreticis nouitatibus vnquã deprauata succubuit: quia dictum est Petro;* **Simon, ego rogaui pro te &c.** *Hic, Dominus, fidem Petri non defecturam promisit: & confirmare eum,* ***Fratres*** *suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis præcessores, confidenter egisse semper; cunctis est cognitum.* Quæ epistola Actione 8 est approbata: vno Episcoporum Act. 8. ita subscribente: *Suggestiones directas à* P A T R E *nostro Agathone, Sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ & principalis Sedis antiquæ Romæ, tanquam à Spiritu Sancto dictatas, per os S. & Beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito, ter Beatissimi Papæ Agathonis, scriptas, suscipio & amplector.*

Fecêre id Septimò : in Concilio Nicæno Secundo : in quo à Tharasio Patriarcha Constantinopolitano, & Patribus Synodalibus, Sedes Romana, agnoscitur, *primatum per totum orbem habere ; omniumque Christi Ecclesiarum Caput existere* : cùm ab eis recipitur & approbatur epistola Adriani Papæ, in qua hæc verba habentur. *Cuius sedes, per totum orbem terrarum primatum obtinens, lucet* : *omniumque Ecclesiarum Dei, Caput existit*. Possem insuper, pro ea veritate adducere Concilium Octauum, quod Photio deposito, Sanctum Ignatium Cathedræ Constantinopolitanæ restituit : & Lugdunense sub Gregorio Decimo : & Lateranense sub Innocentio Tertio : & Barense : & Florentinum : quibus etiam Græci interfuere : & eis quæ de Primatu Romanorum Pontificum dicebantur subscripsere. Sed quia hæc scio ab aduersarijs reijci, relinquo. Illud tamen hîc addo. Omnia 7. Concilia, tria argumenta Primatus Romanorum Pontificum exhibere. Primum : quia omnia à summo Pontifice indicta sunt : sine quo à nemine indici potuere : quod vsque adeo etiam in Orientali Ecclesia certum fuit : vt, &, Concilium Chalcedonense, pati noluerit inter Episcopos sedere Dioscorum Alexandrinum Patriarcham : quòd is sine Apostolicæ Sedis authoritate Concilium indixerit : (etsi Hierosolymitano Patriarcha assentiente Iuuenali :) quod (*inquiunt*) nunquam licuit : neque factum est : & Sanctus Stephanus Constantinopolitanus Martyr, cuius Festum 28. Nouembris celebrant Græci, Iconoclastarum Conciliabulum, grauissimè ex eo Capite reprehenderit : *Quomodo vos (aiebat) vestrum Conciliabulum, Sanctum & Oecumenicum Concilium appellare audetis : cui non est assensus Roman: Papa : sine quo nihil in rebus Ecclesiasticis potest canonicè concludi ?* Allusit opinor ad dictum Socratis, Lib. 2. Cap. 13. & Sozomeni, Lib. 3. C. 6 qui referunt : inconsulto Pontifice, non licere Canonicos cætus, seu Concilia, præsertim generalia conuocari : & Canones Ecclesiasticos condi. Secundum : quia in omnibus, primus locus est datus legatis Papæ : non tanquam hospitibus ; (quia cùm remotiores fuerint, qui ex Palæstina & Aegypto veniebant, iustiùs videri potuissent hospites Europæ Patriarchiæ : nec tamen hic honor est eis habitus :) sed tanquam primæ & summæ Sedis legatis : Conciliorumque præsidibus : vnde etiam eis prior dabatur locus, quàm alijs Patriarchis, etsi personaliter præsentibus : cùm tamen aliorum Patriarcharum legati, inferiùs sederent semper, & subscriberent ; quàm, qui intererant Patriarchæ. Tertium : quia, quælibet Synodus Oecumenica, Acta Synodalia, Romam remittebat : & à Pontifice, omnium Sancitorum & gestorum confirmationem petebat : sciens : nihil, quod statueret, ab Ecclesia Catholica recipiendum ; cui non Romanus Pontifex vltimam imponeret manum.

PROPOSITIO TERTIA.

Sancti Petri primatum, per altissimos Titulos, ei collatos, omnes quatuor Orientales Patriarchiæ testatæ sunt.

NAm 1. Alexandrina Patriarchia, per Sanctum Athanasium, & totam Synodum Alex. eo præside congregatam, in epistola supra citata ad Felicem Papam; vocat Sanctum Petrum, Principem Apostolorum: supra cuius fundamentum, Ecclesiæ columnæ confirmatæ sint: & per Sanctum Cyrillum, alterum Patriarcham, Lib. 12. in Ioan. C. 64. vocat S. Petrum Principem Caputque cæterorum: & per Origenem, Alexandriâ oriundum, homil. 2. in varia loca noui Testamenti; vocat eundem Sanctum Petrum, verticem Apostolorum: & hom. 5. in Exodum, magnum Ecclesiæ fundamentum: & Petram solidissimam.

Antiochena Patriarchia, per Sanctum Ephræm Syrum, de Transfiguratione, ait Sanctum Petrum fuisse Principem Ecclesiæ Christianorum: vt fuit Moyses Hebræorum: & per Sanctum Ioannem Damascenum, Orat. de Transfiguratione, vocat eundem Ecclesiæ præsidem. Et per Theodoretum Cyri, Orat. de Charitate vocat, *Magnum Petrum: qui in honore alijs sit præpositus: magnam columnã: quæ orbem terrarũ labantẽ fulsit: & cadere non permisit: sed erexit, stabilemquè reddit.* Et in secundæ Cor. 12. *Apostolorum Summum:* & in verba illa ad Galatas, *veni videre Petrum; Apostolorum principem: ad quem Paulus venit, non vt aliquid ab eo disceret, sed vt tantum Apostolum videret.* Quanquàm idem Theodoretus in Epistola ad Leonem Papam, docet Sanctum Paulum, præconem veritatis, tubam SS. Spiritus, ad magnum Petrum cucurrisse: vt ijs qui Antiochiæ de institutis legalibus contendebant, ab ipso afferret solutionem.

Hierosolymitana Patriarchia, per suum Patriarcham Sanctum Cyrillum, Catech. 2. 17. 21. vocat Sanctum Petrum, *Principem Apostolorum: regni cælorum clauigerum: summum Ecclesiæ præconem.* Per Sanctum Epiphanium, hær. 15. *Ducem Apostolorum:* per Paulum Episcopum Emessenum, apud S. Cyrillum Alexandrinum hom. 7. *coriphæum & os Apostolorum:* denique per Ioannem Patriarcham Hierosolymitanum, in epistola nomine Synodi scripta, ad Ioan. Patriarcham Constantinopolitanum; & insertâ Tomo 7.

1 Baron. in *Anno 518*; vocat eundem; *Apostolorum principem: cui ille ipse dederit soluere & ligare; qui Hieremiæ dedit eradicare & plantare.*

Constantinopolitana Patriarchia, quid de Primatu Sancti Petri senserit; testatur primò, Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 55. in Mat. *Quæ (ait) solus Deus concedere potest, vt futura Ecclesia immobilis permaneat; CVIVS PASTOR & CAPVT piscator homo, & ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam, firmitate superet; hæc, inquam, omnia quæ solius Dei sunt; Christus se pollicetur daturum.* Idem eadem homil. bis, & tertiò, homil. 38. in Mat. vocat Sanctum Petrum, *verticem Apostolorum.* Et homil. quæ incipit; Cæli & terræ bellum &c. *Gubernatorem & Ducem Apostolorum*: & homilia vltima in Ioan. ait: *Os erat Apostolorum, & Princeps Petrus &c. Iacobus sedem Hierosolymis accepit: Petrus verò totius orbis Magister, & Præpositus.* Denique homil. 51. in Mat. docet etiam ipsos Apostolos hunc Sancti Petri Primatum agnouisse. *Apostoli (inquit) gratiâ Spiritus S. nondum corroborati, facile mouebantur: gratiâ verò acceptâ, non tales fuerunt; sed vbique primatum Petro præbent: & in concionibus eum anteponunt: etsi cæteris rudior videretur.*

Secundò, hoc ipsum testatur Eusebius in Chronico Lib. 2. Histo. C. 14. vocans Sanctum Petrum; *Omnium Apostolorum probatissimum: & maximum primorum principem: & ducem ac Magistrum militiæ cæli.* Tertiò, idem testatur, Euthymius in C. vlt. Ioann. dicens; Sanctum Petrum accepisse *præsidentiam super discipulos.* Et addens; *si dicas, quomodo Iacobus sedem Hierosolymis accepit? Respondeo. Hunc (Petrum) totius orbis Magistrum esse constitutum: vel* (vt in idem Caput scribens Theophilactus, loquitur;) *hunc totius orbis accepisse præfecturam.*

Quartò, testatur idem Synodus Ephesina, approbando dictum Philippi, legati Cælestini Papæ. *Omnibus notum est: quòd Sanctus Petrus sit princeps Apostolorum & Caput Ecclesiæ*: & Chalcedonensis, vocando Sanctum Petrum, *Lapidem & fundamentum veræ fidei.* Quintò, testatur idem, Proclus Constantinopolitanus Patriarcha: Serm. de vinculis Sancti Petri: vbi vocat Sanctum Petrum, *Apostolorum formam: magnum orbis terrarum miraculum: Os Christi. &c.* Vt proinde meritò tantos duces sequutus, Vigilius Papa, ad Eucherium Lusitanorum Episcopum hæc scripserit. *Licet omnium Apostolorum par esset electio; Beato tamen Petro concessum est: vt cæteris præmineret: vnde & Cephas vocatur, quia Caput est & Principium omnium Apostolorum.* Eidem Sancto Apostolo, quantum præ alijs tribuerint SS. Orientales Archimandritæ, Macarius in Ægypto, Sabbas & Theodosius in Palæstina, Theodorus Studita in Græcia, Nilus in Italia, homiliæ eorum & epistolæ te-

læ teſtantur : quas à feruidis cultoribus Sancti Petri, malo apud illos ipſos legi, quàm à me in anguſtum contrahi compendium. Vnum tamen Sanctum Nilum, oppono Nilo Theſſalonicenſi, qui Græcorum primus, (quod ſciam,) in primatum Sancti Petri calamum ſtrinxit. Verba Sancti Nili ſunt, citata à Tannero, in Demonſtrationibus Eccleſiæ Catholicæ. *Cernitur id (ait) in Petro, primo lapide Eccleſiæ, qui poſitus eſt poſt pœnitentiam, vertex, Caput, & Faſtigium chori Apoſtolorum.* Eundem Apoſtolorum principem ſummoperè venerati ſunt, Conſtantinopolitani Imperatores : vt teſtantur à Conſtantino Magno, & Iuſtiniano, templa magnis condita ſumptibus : & pretioſa anathemata : & donaria Romam miſſa : & pleraque ad glorioſum eiuſdem Sancti Sepulchrum in Vaticano appenſa : puluis item è claui & vinculis eius detritus, & vela in ſepulchrum eius demiſſa, à magnis Imperatoribus petita : & magni inſtar muneris recepta. His addo Encomium Sancti Petri à Leone Imperatore, qui vocabatur Sapiens, in Sermone, de Sancto Petro. *Poſt Reſurrectionem (inquit) ter Petrum Dominus percunctatus; an ab eo diligeretur; Principem Apoſtolorum conſtituit : vnde manet in hodiernam diem, Petrus, ſequens CHRISTVM in Succeſſore ſuo.*

Eius denique Sancti præeminentiam, & totius orbis (vt loquitur Theophilactus) præfecturam, tota videtur profiteri, Græcia, Ruſsiaque : dum quod nulli alteri facit Apoſtolo, diuturno ieiunio, feſtum eius præuenit : & veneratur. Videant iam : quàm verè Orientalis Eccleſiæ Filios ſe eſſe glorientur ; qui, ab eius Patriarchis & Sanctis Patribus in re tanti momenti irreconciliabiliter diſſident. Negant aliqui, Sanctum Petrum quidquam præ alijs Apoſtolis ſingulare habuiſſe : negant item, Sanctum Petrum alijs Apoſtolis, aut toti Eccleſiæ præfuiſſe : Ergo aduerſantur Sancto Athanaſio : & Sancto Cyrillo Alexandrinis Patriarchis : Sancto Cyrillo & Ioanni Hieroſolymitanis: Sancto Ioanni Chryſoſtomo Conſtantinopolitano Patriarchæ : qui Sanctum Petrum principem Apoſtolorum appellarunt. Aduerſantur iterum Sancto Chryſoſtomo qui ſæpiùs eundem, verticem Apoſtolorum ; Sancto Epiphanio, qui eundem, eorum Ducem ; Emeſſeno, qui Coryphæum ; Euſebio, qui primorum principem ; Euthymio qui eorum præſidem ; Theodoreto qui Apoſtolorum ſummum ; Nilo, qui verticem & faſtigium Apoſtolici chori, Sanctum Petrum prædicarunt. Deinde, contrahunt iſti, Regimen Sancti Petri, ad limites ſatis anguſtos, ne Europam quidem illi integram concedentes : eiuſque regimen tota omnino Hellade & Ruſsia excludere ſatagentes : Deficiunt ergo, à Sancto Ioanne Damaſceno : qui Sanctum Petrum appellat totius Eccleſiæ præſidem : & à Sancto Ephræm : qui eundem, vocat Chriſtianorum Eccleſiæ

principem :

principem : & à Theophilacto, qui Sancto Petro docet, commissam esse à Christo totius orbis præfecturam. Denique, ferè isti, æquis auribus nequeunt, si quis, Sancto Petro, nomen CAPITIS Ecclesiæ tribuat; & dignitatem : Repugnant ergo, Ephesinis Patribus : qui cum Philippo Cælestini Papæ legato, Sanctum Petrum esse principem Apostolorum Caput Ecclesiæ agnouerunt. Repugnant Sancto Cyrillo Hierosolymitano : qui eundem CAPVT Apostolorum appellauit. Repugnant Sancto Ioanni Chrysostomo : qui eundem licet piscatorem & ignobilem, insuperabilis Ecclesiæ Caput esse constitutum à Christo, disertissimè testatus est. Non potest igitur, non esse clarissimum, eos ab Orientali Ecclesia defecisse : qui, perpetuam, Orientalium Patriarchiarum Sanctorum Patrum, doctrinam aspernati; se, totumque Orientem, regimini Sancti Petri ita subtrahunt : vt quemuis alium potiùs, quàm Sanctum Petrum Apostolorum Ecclesiæ Principem, seu (vti nunc loquimur) Oecumenicum Patriarcham, dici & credi malint. Miseri homines! qui fædissimo Apostatæ Luthero, & infami ob scelus nefandum Caluino, se discipulos tradere, eorumquè in Sancti Petri Sedem odia, pleno ore combibere, effugiaque eorundem & versutias condiscere malint; quàm cum SS. Patribus Orientalibus, Sancto Petro eiusque Successori, debitam & toti Catholicæ Ecclesiæ receptissimam exhibere venerationem : & obedientiam. Quid multis? ipsæ Slauonicæ Euchologiæ, & libri Ecclesiastici, prolixè, à Religiosissimo & Reuerendissimo Domino, Patre, Archimandrita Dermanensi citati, testantur : Sanctum Petrum, esse fundamentum Apostolorum : summum inter gloriosos Apostolos : Petram fidei : & fidelium principale fundamentum Apostolorum : &c. Legantur hæc : & expendantur : saltem ab illo : qui, in nouissimo die, dici sibi nolit; *Ex ore tuo iudico te. &c.* id est : In Officio Diu. quod in templis cecinisti, in Lyturgijs quas obtulisti, in Canonibus & Menologijs quæ legisti, in Ritualibus quæ vsui habuisti, profitebaris Sanctum Petrum esse principem & verticem Apostolorum &c. Quare aliter credidisti? aut si hoc credidisti, quare aliud professus es? Non ibi excusabit metus : non humani respectus : durus erit globus deglutiendus in illa die. Sed iam videamus : an eadem Orientalis Ecclesia, Successores Sancti Petri Romanos Pontifices, agnouerit habere in Ecclesiastica Hierarchia primatum : vel (vt sæpius cum Theophilacto loquor) totius orbis Catholici præfecturam.

PRO-

PROPOSITIO QVARTA.

Romanis Pontificibus, Primatum, & Vniuersale totius Ecclesiæ Catholicæ Regimen, conuenire; agnouit Alexandrina Patriarchia.

ROmanum Pontificem esse totius Catholicæ Ecclesiæ vniuersalem gubernatorem, Alexandrina Patriarchia testatur: primò: per Sanctum Marcum: primum suum Apostolum, & Patriarcham: qui in sua Lithurgia Tomo 6. Bibl. Patrum insertâ, primo loco ponit memoriam Rom. Pontificum his verbis: *Sanctissimum & Beatissimum Papam N. quem præsciuisti fore, vt sibi Sancta tua Catholica & Apostolica Ecclesia, omnium suffragijs eligeret &c.* Secundò: per Sanctum Athanasium Patriarcham: qui in epistola, nomine Ægyptiorum Patrum Alexandriæ Synodaliter congregatorum, scripta, ad Marcum Papam, ita loquitur. *Optamus:* (aiunt Ægyptij Episcopi:) *vt à vestræ S. Sedis authoritate, quæ est MATER & CAPVT omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium Orthodoxorum percipere mereamur, quatenus vestra fulti authoritate, vestrisque precibus roborati, illæsi ab æmulis Sanctæ Dei Ecclesiæ euadere mereamur.* Deinde ijdem in epistola ad Liberium Papam, ita scribunt: *Vniuersalis vobis à Christo IESV commissa est Ecclesia: vt pro omnibus laboretis: & cunctis opem ferre non negligatis &c. Ideo tanta vrgente necessitate, summoperè comprimite vestra authoritate infestos, reuelate oppressos &c.* Quibus respondens Liberius ait. *Olim & ab initio, tantam percepimus à Beato Petro Apostolorum principe fiduciam, vt habeamus authoritatem, pro Vniuersali Ecclesia ad rectam defendendam fidem &c.* Tertiò, ijdem Ægyptij Patres, cum Sancto Athanasio, ad Felicem Papam, ita scribunt. *Vestro Sancto suggerimus Apostolatui: vt nostri, more solito, curam gerere dignemini &c. quia semper antecessores nostri, & nos, à vestra Apostolica Sancta Sede auxilium hausimus: & nostri vos curam habere agnouimus. Apostolicam & Summam expetimus, iuxta Canonum decreta, Sedem: vt inde auxilium capiamus; vnde prædecessores nostri, Ordinationes & decreta, atque subleuationes, ceperunt: ad eam quoque quasi ad Matrem recurrimus; vt eius vberibus nutriamur: quia non potest Mater obliuisci infantem suum; sic & vos nolite obliuisci nos vobis commissos &c. Nequaquam vobis inconsultis id agere præsumimus: iubentibus quippe Canonibus, sine Romano nos de maioribus causis, nihil debere decernere Pontifice. &c. Ob id vos Prædecessoresque*

sorcsquè vestros, Apostolicos videlicet Præsules, in Summitatis arce Deus constituit: Ecclesiarumquè omnium curam habere præcepit: vt nobis succurratis &c. Plura in eadem epistola eiusdem veritatis testimonia reperiet, qui eam, & Felicis Papæ responsum, legere voluerit: mihi quæ attuli, videntur sufficecere. Fatetur Sanctus Patriarcha, Vniuersalem Ecclesiam, à Christo, Roman. Pontificibus esse commissam: ad quos solicitudo omnium pertineat: quos in Summitate arcis constituerit Deus: omniumque Ecclesiarum curam habere præceperit: Fatetur idem, Ecclesiam Romanã, esse Summam: ad quam, vt ad Matrem, omnes oppreßi recurrere debeant. Bonum Deum! quid plus vnquam de Romano Pontifice à Latinis scriptoribus dictum est? quid ei plus, quàm tantus tribuerit Patriarcha, ab vllo etiam recentißimorum Theologorum tribuitur? Tertiò: testatur hoc ipsum, per Sanctum Cyrillum Alexandrinum Patriarcham: tam in Actis Ephesinæ Synodi, tum in Concione contra Nestorium habita, quæ etiam Slauonicè legitur 16. Iulij: vbi apertè Sanctus Cælestinus Papa, vocatur Sanctißimus totius orbis Archiepiscopus: Pater: & Patriarcha: & in Menologio Græco, Sancti Cyrilli memoria ita describitur. *Natalis Sancti Cyrilli Alexandrini Episcopi, sublimis doctrinæ & fidei Catholicæ propugnatoris: quem Summus Episcoporum Cælestinus, iudicauit dignum, qui, eius loco, Synodo Ephesinæ præsideret.* Præterea in Thesauro, à Sancto Thoma & Gennadio Patriarcha in libro contra Græcos citato, hæc verba habentur. *Debemus nos, qui membra sumus, CAPITI NOSTRO, Romano Pontifici, & Apostolicæ fidei adhærere.* Tribus his testimonijs contentus, plures qui Romanæ Sedis primatum verbis profeßi sint, non addo: sed qui, facto ipso, eandem Alexandrinæ Patriarchiæ Romano Pontifici subiectionem, & vniuersale totius Ecclesiæ Regimen testati sunt, plures ex Historia Ecclesiastica adduco.

Anno Domini 248. Origenes, apud Romanum Pontificem, à Dionysio Alexandrino Patriarcha, hæreseos accusatus, cùm eius purgatio, & fidei confeßio, per literas missa, Romæ non esset recepta; venire coactus est Romam: vbi Fabiano Papæ rationem suæ doctrinæ reddidit.

Anno Domini 255. Dionysius Alexandrinus Patriarcha, contra Nouatianos, Cornelio Papæ adhæsit: & Fabium Antiochenum Patriarcham, aliquantùm ad Nouatianos inclinatum, in doctrina Rom. Sedis constanter retinenda confirmauit, Idem anno 260. detulit Sabellium hæresiarcham, ad Sixtum Papam: quia Ecclesiastica consuetudo erat; Rom. Pontifici, vt Pastori totius Ecclesiæ, significare: cùm aliquid circa dogmata fidei innouatum est. Idem, apud Dionysium Papam, Anno 263. accusatus à Pentapolitanis Episcopis; quasi Essentiam Diuinam in Diuinis diuideret, Romam

Romam Apologiam misit : suæque doctrinæ tam ædequatam reddidit rationem; vt in Synodo Romana, à Dionysio Papa, alijsque Episcopis, fuerit iudicatus Orthodoxus Episcopus.

Anno 223. Felix Papa, missâ epistolâ, ad Maximum Alexandrinū Patriarcham, hæreses Sabelly & Samosateni, in illis partibus profligauit.

Anno 319. Osius Cordubensis Episcopus, cum literis Constantini Magni, à Sancto Syluestro missus, Alexandriæ Synodo coactâ, Arrij & Sabellij errores damnauit : & Meletianos excommunicauit.

Anno 336, Sanctus Athanasius ab Eusebianis citatus, Romam; misit ad Iulium Papam Legatos : qui calumnias hæreticorum refellerent. Eusebiani verò, cùm Iulius eorum, quæ obijciebant, probationem exigeret, Româ profugere. Ita tunc, tam Alexandrini & Ægyptij, quàm Græci Episcopi, Vniuersalem Controuersiarum iudicem, Iulium Papam agnouerunt.

Anno 340. Sanctus Athanasius, citatus à Iulio Pontifice, Romam præsens venit : & cùm sesquianno suos expectasset accusatores ; neque illi comparerent ; is interea suæ fidei Symbolū, quod exhiberet Romano Pontifici, suæ probandæ innocentiæ causa, ibidem Latino sermone composuit : teste Baron. (etsi alij aliter?) iludq; ei, eiusq; Assessoribus exhibuit : & tandem, Anno 341. à Iulio Papa absolutus est : & ad communionem admissus : & Alexandriam honorificè remissus : teste Sozomeno Lib. 3. Cap. 7. *Cum (inquit) propter Sedis dignitatē, cura omniū ad eum, (Iuliū Papam) pertineret ; singulis suas Ecclesias restituit :* nihil moratus Orientalium Synodorum decreta.

Anno 342. Iulius Papa, cognita seditione, contra Sanctum Athanasium à Gregorio Arriano Alexandrinæ Sedis inuasore, excitata, scripsit ad Eusebianos literas, quibus eis in memoriam reuocat, antiquum ius ; & consuetudinem Ecclesiasticam : quòd prius Romam scribi oporteat, quàm ad damnandum vel ad deponendum aliquem Episcopum accedere. Idem Pontifex anno 350. curauit Hierosolymis cogi Concilium : in gratiam & honorem Sancti Athanasij : teste Baron. Anno 350.

Anno 376. Petrus Alexandrinus Patriarcha, ab Arrianis pulsus, Romam vt ad asylum, confugit : quem Damasus Papa cum suis literis Alexandriam remisit : eique Sedem suam restitui iusit.

Anno 407. Innocentius Papa, Theophilum Patriarcham Alexandrinum, ob iniquissimū Sancti Chrysostomi exilium, excommunicauit : & Episcopatu priuauit.

Anno 444. Dioscorus Patriarcha, mox post suam electionem, misit ad Sanctum Leonem Papam, legatum Posidonium : per quem Sanctus Leo

multas instructiones & ordinationes, Dioscoro Patriarchæ præscripsit.

Anno 453. Proterius Patriarcha Alexandrinus, suæ fidei professionem ad Sanctum Leonem misit: eiusquè communionem expetijt.

Anno 457. Ægyptij Catholici, cùm grauissimè à Timotheo Eluro vexarentur, qui Proterium Patriarcham occidit; petiere ab Imperatore, & Anatolio Constantinopolitano Episcopo, vt quæ paterentur, Romano significarent Pontifici; ab eo certius subsidium sperantes.

Anno 460. Timotheus Elurus, instante Sancto Leone, in Chersonesũ relegatus est: cui cùm, Timotheus Solifaciolus, successisset; ad eundem Sanctum Leonem suæ fidei professionem misit: quem Sanctus Leo in responso admonet, vt sui ouilis curam habeat diligentem.

Anno 475. Solifaciolus, ab Eluro, Zenonis Imperatoris ope, Episcopatu exutus, & deinde, Anno 478. mortuo Eluro suæ Ecclesiæ restitutus, misit ad Simplicium Papam legatos: veniam ab eo petens, quod Eluri violentiã pressus, Dioscori in Sacro fecerit memoriam: & orans; vt ageret cum Imperatore: vt Petrus Mogus pacis Alexandrinæ turbator, in remotius exilium ablegaretur: misit etiam nomina eorum; qui ab hæresi conuertebantur, vt absoluerentur.

Anno 482. Ioannes Talais, in Sede Sanctî Marci, Successor Tymothei, cum alijs Episcopis Synodaliter congregatis, misit iuxta consuetudinem, Legatos Romam: cum fidei professione: petens à Simplicio Papa confirmari. Idem, à Zenone Imperatore, consilio Acatij Episcopi Constantinopolitani, Episcopatu exutus, ad Simplicium Papam appellauit. Eum humanissimè excepit Simplicius: & eo mortuo, Felix Papa, multùm in eius negotio laborauit: &, Petro Mogo quem obtruserat Acatius excommunicato, ipsum Acatium ad causam dicendam citauit: & cùm sistere se Iudicio nollet, excommunicauit: ipsum verò Ioannem, Nolano Episcopatui præfecit: in quo piè obijt.

Anno 484. Petrus Mogus Alexandrinus Patriarcha à Felice Papa, in Rom. Synodo excommunicatus, Episcopatuque priuatus est.

Anno 546. aut 547. Zoilus Patriarcha Alexandrinus, misit in Siciliam ad Vigilium Papam legatũ, ei se purgans: quòd iniquo Iustiniani Imperatoris de tribus Capitulis edicto subscripserit inuitus, & coactus: de quo tamen, à Vigilio Constantinopolim veniente, grauiter est redargutus.

Anno 553. Apollinaris, Zoilo mortuo succedens, cùm fidei professionem, Vigilio Papæ more solito obtulisset; ab eo in communionem receptus est.

Anno

Anno 598. Sanctus Eulogius Patriarcha Alexandrinus, vocabat Sanctum Gregorium, Vniuersalem Pontificem: quem tamen titulum, ipse Sanctus Gregorius deprecatus est; non quòd Vniuersalis Patriarcha non esset, qui (vt ex illius temporis scriptoribus constat;) quatuor Orientales Patriarchias regeret: sed vt humilitatis Christi exemplum sequeretur.

Anno 769. in Concilio Romano, exhibitæ & lectæ sunt literæ, Cosmæ Alexandrini Patriarchæ, ad Paulum Papam missæ: quibus is in honorandis imaginibus se Ecclesiæ Romanæ doctrinam sequi; & Conciliabulum Iconomachicum Constantinopolitanum damnare, profitetur.

Anno 870. venit Constantinopolim, Iosephus Archidiaconus Alexandrinus: qui cùm sufficienter probasset, se Legatum esse Michaelis Patriarchæ Alexandrini; Patres in Octauo Concilio congregati, Acta ei octo sessionum retulerunt: & damnationem Photij, iactumque in eum Anathema: quæ ille, sui Patriarchæ nomine approbauit: & subscripsit. Postea inundantibus hæresibus, ex Eutychianismo emergentibus, & subinde blasphemias hæreticorum puniente Deo, tradita in manus Saracenorum Ægypto, hæc Patriarchia raros admodum habuit Patriarchas, eosque plerumque Eutychianos. Vt minimè mirum sit, si sæculis posterioribus, minùs in ea eluxerit, Rom. Pontificum regimen. Quanquam sæculo præcedenti, Claudius Abassinorum Rex, honorifica Romam legatione missa, ad communionem cum suo regno admitti, & Orthodoxum sibi dari Patriarcham expetijt: datusque est R. P. Ioannes Nunnius Barretus è Societate Iesu: & deinde eo mortuo P. Stephanus Ouiedus. Alias legationes ab eadem Patriarchia missas Romam, referam infra. Cæterum hæc, quæ attuli, qui expenderit; euidentiquè veritati contradicere pertinaciter noluerit; tantam planè authoritatem, in gubernanda Alexandrina Patriarchia, Romanos habuisse Pontifices agnoscet; quantam; in gubernandis Ecclesijs Occidentalibus eos habuisse; ipsi Græci fatentur.

PROPOSITIO QVINTA.

Romanis Pontificibus Vniuersale totius Ecclesiæ Catholicæ regimen conuenire; agnouit Antiochena Patriarchia.

TEstatur id primò: Sanctus Ignatius Patriarcha: cùm Epistolā ad Romanos ita inscribit,

Ignatius Ecclesiæ Sanctificatæ, quæ præsidet in Regione Romanorum. Quæ verò, eo viuente, alia Ecclesiæ Romanæ præsidentia fuerit, quàm commissa à Christo, Sancto Petro, eiusquè in Romano Pontificatu Successoribus, totius Ecclesiæ præfectura?

Secundò: per Theodoretum ex Antiocheno prædicatore, factum Cyri Episcopum: qui ad Sanctum Leonem Papam ita scribit: *Ad Apostolicam vestram Sedem currimus: vt Ecclesiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus: vobis enim, per omnia, primos esse conuenit. Multis enim, quibus Superiores estis, ornatur vestra Sedes.* Et infra; *Horum* (Sancti Petri & Sancti Pauli) *Beatissimum par, exortum est in Oriente: & radios in omnem partem emisit: in Occidente autem, prompto animo, vitæ suscepit occasum; & nunc inde Orbem terræ suis radijs illustrat.* Et infra. *Ego, Apostolicæ Sedis vestræ, expecto sententiam: & obsecro vestram Sanctitatem, vt mihi opem ferat: iustum & rectum appellanti iudicium.* Idem in epistola ad Renatum ait: *Rogo: vt SS. Leoni persuadeas: vt Apostolica vtatur authoritate: iubeatque ad vestrum Concilium adire. Tenet enim ista Sancta Sedes, gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum, ea maxime de causa: quòd nunquam hæretici contagij maculam contraxit, nec vllus in ea sedit, qui de veritate malè sentiret.*

Tertiò: per Sanctũ Ioannem Chrysostomum qui Presbyter adhuc Antiochenus Lib. secundo de Sacerdotio ait. *Quanam de causa Christus Sanguinem effudit suum? certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri Successoribus committebat.*

Eadem Patriarchia, actu ipso, gubernationi Rom. Pontificum se subiectam agnouit; Anno 167. cùm Polycarpus Smyrnensis Episcopus venit Romam ad Anicetum Papam: & per eum componeret dissidium Occidentalium cum Orientalibus, qui festum Paschæ cum Iudæis 14. luna celebrabant: quod tunc aliter componi non potuit, quàm vt in vnitate fidei, quælibet Ecclesia, suam in celebrando hoc festo consuetudinem retineret.

Anno 272. Synodus Antiochena, cùm Paulum Samasatenum, Patriarcham Antiochenum damnasset; id Dionysio Papæ significauit: adiectâ etiam fidei de Christi Diuinitate Professione: & cùm nollet ex aula Episcopali cedere, Samasatenus; Episcopi ad Aurelianum Imperatorem subsidij obtinendi causa confugerunt: qui decidit: eam aulam dandã ijs esse, quibus dandam Rom. Pontifex cum Italiæ Episcopis censuerit. Ita etiam Ethnicis Imperatoribus nota erat, in totius orbis Episcopos Rom. Pontificum authoritas summa.

Anno 342. Iulius Papa, Antiochenam Synodum, ab Eusebianis contra Sanctum Athanasium factam, reprobauit.

Anno

Anno 365. Eustatius Episcopus Sebastenus minoris Armeniæ, alijque Syriæ Episcopi Semiarriani, quia à Synodo Lampsacena damnati, & Episcopatibus priuati erant, ad Liberium Papam appellarunt: estquè eis permissa appellatio. Venêre Romam: Papamque Liberium, mendacijs & periurijs, quasi ab errore resipiscentes, fidem Nicænam in omnibus sequerentur, ita deceperunt; vt is eos ab hæresi absolutos suis Episcopatibus restituerit: fuitque tanta authoritas in Oriente Romani Pontificis, vt cùm hi periuri hypocritæ, literas Liberij Papæ exhibuissent in Concilio Thyano; omnibus, quantumuis scirentur fictè pænitentes, à Catholicis Episcopis eorum Episcopatus restituti sunt.

Anno 370. Sanctus Basilius Magnus, magna audiens Antiochenorũ dissidia & afflictiones, eis aliquo modo subuenire cogitans, scripsit ad S. Athanasium plures Epistolas, quibus ab eo petit, vt ad Romanum Pontificem scribat: vt Orientalibus Ecclesijs subueniat: & epistola 51. petit, vt mittat Romam legatos, qui Pontifici significent, quo in statu res Ecclesiæ Orientalis sint; abeoquè petat; vt Antiochiam suos legatos mittat, qui hæresim Marcelli condemnent: & Antiochenæ Ecclesiæ dissidia tollant.

Anno 372. Vitalis Antiochenus Pseudopatriarcha, à Damaso Papa ob hæresim excommunicatus, & à communione Ecclesiæ eiectus est: vnâ cum Apollinari hæresiarcha: quem diu Orientales Ecclesiæ, damnare non audebant: sed eum vt hæresiarcham, iuxta veterem Ecclesiæ consuetudinem Romano Pontifici iudicandum & damnandum relinquebant.

Anno 381. & sequentibus; Flauianus, in Patriarcham Antiochenum euectus, Romam ad causam dicendam citatus est: Neque aliter securus Episcopatum tenere potuit, quàm Damasus Papa, Theophili Alexandrinæ Patriarchæ, & Sancti Chrysostomi precibus adductus, consensisset: eiusq; legatos se admissurum promisisset: qui mox, multos Episcopos & præcipuos Præsbyteros Antiochenos, Romam misit: teste Theodoreto, & Sozomeno.

Anno 422. Ioannes Antiochenus Patriarcha, à Nestorio transiens ad Orthodoxos, Sixto Papæ fidei professionem misit: suo, sibique adhærentium Episcoporum nomine: perquè eum Pontificem, tam ille quam alij Episcopi, Ecclesiæ reconciliati sunt.

Anno 431. Iuuenalis Patriarcha Hierosolymitanus, in Concilio Ephesino primo aiebat: *Ioannem Antiochenum Patriarcham, venire ad Concilium recusantem, saltem ob honorem legatorum Romani Pontificis venire debuisse: eò quòd Sedes Antiochena semper fuerit subiecta Romanæ.*

Anno 449. Theodoretus Episcopus Cyri, à Dioscoro Alexandrino, & Ephesino II. Concilio, damnatus, & Episcopatu exutus, misit suam appellatio-

pellatio-

pellationem Romam. ad Sanctum Leonem : cuius aliqua verba iam ſupra retuli. Eodem anno, Theodoreto, quantumuis renitentibus Ægypti Epiſcopis, in Synodo Chalcedonenſi, actione prima, inter Epiſcopos datus eſt locus : ea ſola de cauſa, quia à Sancto Leone Papa abſolutus, & Epiſcopatui reſtitutus eſt.

Anno 451. Maximum Antiochenum Patriarcham, Concilium Chalcedonenſe Act. 7. recepit, ea ipſa de cauſa : quia à Sancto Leone Papa in Epiſcopatu confirmatus erat. Idem Maximus Anno 453. legatos miſit ad S. Leonem : petens : vt eum contra Anatolium Conſtantinopolitanum Patriarcham tueretur : quod Sanctus Leo facturum ſe recepit. Tanta ei totus orbis Eccleſiarum cura fuit.

Anno 479. Zeno Imperator, petijt à Simplicio Papa : vt ad comprimendos motus Antiochenos, electio Antiocheni Patriarchæ, penes clerũ Conſtantinopolitanum eſſet : quod ei pro vna vice tantùm indulſit Papa. En etiam, hæreticus Imperator, & Romanæ Sedis inimicus, Antiochenam Eccleſiam, Romanis Pontificibus ſubiectam eſſe, & ab eorum diſpoſitione, electionem Patriarcharum Antiochenorum pendere, agnouit.

Anno 482. Kalendion Patriarcha Antiochenus, Romam ad Simplicium Papam miſit Anaſtaſium Epiſcopum : petens ab eo confirmari : quod feciſſe Symplicium, patet ex eius literis ad Acatium. Ægrè id tulit Acatius : & Fullonem Gnapheum hæreticum, in eam Sedem intruſit, pulſo Kalendione : ſed Felix Papa, Anno 483. ei reſtitit : & Fullonem in Synodo Romana damnatum, Epiſcopatu priuauit : quanquam præualente apud Imperatorem Eutychianum, gratia & potentia Acatij fautoris hæreticorum ; nullus, eo viuente, Orthodoxus Patriarcha Eccleſiam Antiochenam rexit.

Anno 519. Sanctus Hormiſda Pontifex, rebus Conſtantinopoli compoſitis, Antiochenam Eccleſiam Iuſtino Imperatori commendauit : & ad ſuos legatos ſcripſit : vt Eccleſiarum Alexandrinæ & Antiochenæ quietem curæ haberent : quarum literarum pondere inductus Imperator, eligi curauit, in Patriarcham Antiochenum, Paulum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Presbyterum : quem cum Conſtantinopolitanus clerus vellet apud ſe ordinari ; Legati Romani reſtiterunt : aientes : mandatum Beatiſsimi Papæ eſſe ; ne alibi quam Antiochiæ iuxta antiquam conſuetudinem ordinetur : atque ita factum eſt.

Anno 545. Ephræm Antiochenus Patriarcha, miſit in Siciliam ad Vigilium Papam legatum, per quem ſe purgaret, quòd edicto Iuſtiniani de tribus Capitulis inuitus, ſubſcripſit : quamuis prius teſtatus eſſet ; Eccleſiam

Roma-

Romanam, super hoc consulendam: & sententiam Vigilij Papæ expectandam.

Anno 550. Synodus Mopsuestena scripsit ad Vigilium Papam literas cum hoc Exordio. *Decebat verè: cùm primam dignitatem sortiti estis, Sanctissimè, ea quæ ad Sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, manifesta diuinitus vestræ honoratæ beatitudini, fieri. Hoc Christianus noster Imperator bene considerans, ad vestram Scientiam, quædam quæ de Theodoro Mopsuesteno olim Episcopo, motæ sunt, iussit referri.*

Anno 599. refert Baronius Cardinalis, quanta Sancto Gregorio Magno Papæ, cum Sancto Anastasio Synaita, Patriarcha Antiocheno, communicatio intercesserit. Eodem anno, Anastasius minor, Patriarcha Antiochenus, misit suæ fidei professionem ad Sanctum Gregorium Papam: qui ei multa præclara monita rescripsit. Lib. 7. epistola 48.

Anno 680. in Concilio Sexto, Macarium Antiochenum Patriarcham, Monothelitam, Syriæ Episcopi deseruere: & duplicem in Christo voluntatem & operationem, confessi, Agathonis Papæ literis subscripsere. Macarius verò, cum sibi adhærentibus Episcopis, Romam ad Pontificem appellauit: estque ei hæc appellatio à Synodo permissa.

Anno 684. Benedictus Papa, plurimum in Macario conuertendo laborauit: sed eo pertinaciter refragante pijs monitis; electus est in Patriarcham Antiochenum, Ioan. Syrus: qui adhuc Diaconus, in Concilio Sexto legatus Pontificis fuit.

Anno 769. In Concilio Romano, lectæ sunt literæ Theodori Patriarchæ Antiocheni: quibus is profitetur; malle se in colendis imaginibus Romanam Ecclesiam sequi, quàm eas cum Græcis demoliri.

Anno 869, in Concilio Octauo, Helias Tyri Episcopus, nomine Patriarchæ Antiocheni, libellum Hadriani Papæ subscripsit: & in Photium Anathema iecit. Nostro quoque sæculo sub Iulio tertio, anno 1550. venit Romam Stephanus Maioris Armeniæ Patriarcha, cum vno Archiepiscopo: & duobus Episcopis: conclusamque ante annos centum in Synodo Florentina vnionem, confirmauit: vt referunt in Iulio tertio Ciaconius: Victorellus: Onuphrius: & Tursellinus in Comp. Hist. Hîc quoque, ab æquo rerum æstimatore peto: quod supersit indicium, regiminis Papalis, in Ecclesijs Occidentalibus, quod in regimine Antiochenorum Patriarcharum non viderimus. Instituti: confirmati: instructi: depositi: restituti &c. à Romanis Pontificibus sunt. Quis hæc audeat, aut quis legitimè faciat in Patriarcha suæ non subiecto gubernationi?

PROPOSITIO SEXTA.

Romanis Pontificibus hoc ipſum totius Eccleſiæ regimen conuenire; agnouit Patriarchia Hieroſolymitana.

Teſtata id primò; Synodus Hieroſolymitana: quæ fuit ſub Iuſtiniano Imperatore, anno circiter 535. quæ ad Agapetum Papam annò 536. miſit literas, hac cum inſcriptione: *Domino noſtro, per omnia Sanctiſſimo & Beatiſſimo, Patri Patrum, Archiepiſcopo Romanorum, & Patriarchæ Agapeto: ab Epiſcopis Orientalis Diœceſis, & ab his, qui ſunt ſub Sanctis locis Chriſti Dei Noſtri. &c.* Deinde in literis ita ſcribunt. *Ex quo (inquiunt) Chriſtus Deus noſter, pro debitis vobis præmijs, diuulgatam confeſsionem, ſuper venerabile caput veſtrum requieſcere fecit, cùm Sedem Apoſtolicam vobis Pater Beatiſſime commiſit; firmauitque ſuper firmam Petram pedes veſtros; &c. Sperauerunt in Domino clarificati à Spirituali ſplendore veſtro, per quem, tanquam lucerna ſplendens, caliginem eorum qui in tenebris ſedent, & cæcos, illuminaſtis. &c. Ideo experientiâ cognoſcentes, vos eſſe diligentes cuſtodes theſaurorum Apoſtolicorum, excommunicauimus Anthymum.* Et infra. *Tollite à nobis citò malos: liberate ab omni tempore, & hæretica fluctuatione: ornatū Eccleſiaſticum conſeruate: ſtatum confirmate.* Denique concludunt. *Rogamus etiam Sanctiſſime: finem perfectum imponere Diuinæ ac veſtræ ſententiæ contra Anthymum, paternis veſtris decretis conuenientem: vt omne extinguatur Scandalum. Cuſtodiat Dominus Sedem veſtram: & Imperatoris noſtri: ſicut dies cæli: qui imitatores Petri ſaluaſtis, eosque qui vos oderunt, confudiſtis.* Ad eundem Agapetum Papam, literas ab eiusdem Patriarchiæ clero miſſas, Synodus Conſtantinopolitana ſub Menna Actione prima legit. Earum inſcriptio hæc eſt: *Domino noſtro Sanctiſſimo & Beatiſſimo Archiepiſcopo Antiquæ Romæ: & Oecumenico Patriarchæ Agapeto: Primas Monaſteriorū Regiæ Vrbis, & Archimandritæ ac Monachi Hieroſolymorum, & Orientales in eadem Synodo congregati.* In literis inter alia loquuntur ſic: *Nolite pati Beatiſſime, non vti ſolita fiducia ad reformandum tantum malum: ſed vt contra Anthymum inſurrexiſtis, & lupum expuliſtis: ita & nunc Vigilate. Deus, ſicut Petrum Magnum Apoſtolorum Principem his qui Romæ erant, in depoſitione Simonis (magi) miſit: ſic & vos miſit, in depoſitione & expulſione Seueri &c. dabit vobis Deus poteſtatem, coopitulante pijſſimo Imperatore: iſtos expellere de omni Eccleſia. Expellite igitur iſtos.* Et infra. *Hanc defenden-*

fendentes Ecclesiam, Beatissimi, suscipite nostram supplicationem : & potestatem vobis à Deo datam in ipsos mouentes, purgate Dei Ecclesiam : & à lupis liberate, immittentes in ipsos, non pastoralem, sed disciplinatiuam virgam vestram. &c. Huius gratiâ, & Romam ad vos misimus : & vestrum exoptatum aduentum denunciauimus : & ipsum suscepimus. Hanc supplicationem subscripsêre 92. Archimandritæ & Presbyteri : magna ex parte Palæstini, pro suis Monasterijs legatione fungentes. Inter quos, affuit, à Magno illo & Sancto Cænobiarcha Theodosio legatus, Hesychius Presbyter. Videant hîc aliqui, & suas conscientias consulant : rectenè faciant; qui, cum se ex Sancti Sabbæ vel Sancti Basilij legibus, perpetuos Laurarum Palæstinarum imitatores profiteantur, tam dissona, his Sanctorum suorum Antecessorum verbis sentiant, & loquantur : atque illud etiam expendant velim : quo tempore & in quibus circumstantijs, Palæstini Hieromonachi summam in Agapeto Papa agnouêre potestatem. Fuêre tum Romani Pontifices, in summa apud Barbaros seruitute ; & ipse Agapetus Papa, à Theodato Gothorum Rege, difficillimæ legationis onus ad Iustinianum Imperatorem subire coactus est : eamque subijt, tantâ pressus inopiâ, vt ad expensas in via faciendas, Regio Arcario opus habuerit vasa sacra oppignorare ; Constantinopolim ingressus, licet à Deo virtute miraculorum honoratus, Iustinianum Imperatorē inuenit sibi adeo iniquum; vt minæ eius, illud Apostolicæ constantiæ responsum à Sancto Pontifice extorserint; *Ego quidem, peccator, ad Iustinianum Imperatorem Christianissimum venire desideraui : nunc autem Diocletianum inueni, qui tamen minas tuas non pertimesco.* Theodora Augusta, ob depositionē Anthimi fuit Sancto Pontifici infensissima : infensissimi item omnes Eutychiani, qui tum plurimi, Constantinopoli, gratiâ Augustæ freti habitabant. Quid igitur erat, quòd SS. Orientales Archimandritæ & Hieromonachi tantoperè Sancto Agapeto supplicarent ? Habebant vtique suum Hierosolymitanum Patriarcham : habebant Constantinopolitanum : cur non igitur potiùs per eos votorum suorum compotes fieri quærebant ? Sciebant Sanctum Agapetum hospitem Constantinopoli esse : sciebant auersos ab eo Augustæ & multorum Constantinopolitanorum animos : quodsi etiam, eius erant sententiæ, de Romanorum Pontificum regimine, cuius modo sunt Græci; nimirum ad Orientales Ecclesias illud non extendi; quid erat quòd peterent, vt suam disciplinatiuam virgam in Orientales Pseudopatriarchas & Episcopos immitteret ? vnde eis ea fiducia, quòd quæ per Hierosolymitanum & Constantinopolitanum Patriarchas, perfecturos se diffidebant, facilè se perficere posse sperarent per Romanum Pontificem : licet hospitem, egenum, Imperatori

minùs gratum, Augustæ exosum? profectò ex illa solà potestate, quam ei vt Sancti Petri Successori, ad Ecclesiam Catholicam toto orbe à lupis liberandam, à Deo datam esse nouerant: & in his ipsis literis confitebantur: cùm dicerent: *potestatem vobis datam in hæreticos,* (etiam in Orientales,) *mouentes, purgate Dei Ecclesiam: & à lupis liberate.* Longiùs in eo testimonio explicando, quàm speraueram processi: ideo quæ ex Sancto Epiphanio, & Sancto Hieronymo, (qui tam diu in Palæstina mansit, vt meritò pro illius Patriarchiæ ciue censeri debeat;) testimonia, pro eadem veritate collegeram præcido; quia, quæ attuli, tot Palæstinis firmata testibus, sufficiunt. Nonnulla solùm affero: quæ probent; hanc Patriarchiam à Romanis Pontificibus, facto ipso fuisse gubernatam.

Anno 341. Iulius Papa, Asclepium Episcopum Gazæ, multosque ex Celesyria, Phænicia, & Palæstina Episcopos, ab Eusebianis eiectos, & ad Romanum Pontificem appellantes, ac refugientes; absoluit: suosque eis Episcopatus esse restituendos, Apostolica authoritate decidit.

Anno 436. aut aliquo sequentium; Sixtus tertius Papa, vt habetur in Actis eius, excommunicauit, & deposuit, Polichronium Episcopum Hierosolymitanum; fortasse intrusum, aut inuasorem: qualis Anno 451. fuit Theodosius. Constat enim, temporibus Sixti Tertij, verum Episcopum Hierosolymitanum fuisse Iuuenalem, qui Ephesinæ & Chalcedonensi Synodis interfuit: nisi forte duo fuerint Iuuenales; quibus intermedius fuerit Polichronius.

Anno 454. Iuuenalis suo Episcopatui restitutus, ad Sanctum Leonem Papam misit Legatos; quos Sanctus Leo humanissimè excepit; sed ipsum Iuuenalem, quòd (quemadmodum iam olim ad Sanctum Leonem Sanctus Cyrillus Alexandrinus scripserat, idquè ab eo, vt prohiberetur, petierat;) Palæstinæ primatum sibi vendicare conaretur; grauiter reprehendit; prout ipse Sanctus Leo ad Maximum Patriarcham Antiochenum scribit. Ex quo apparet: ea, quæ idem Iuuenalis in Synodo Chalcedonensi in absentia Legatorum Sancti Leonis obtinuerat; ab ipso Sancto Leone, tanquam Nicænis Canonibus repugnãtia fuisse irritata; & primùm anno 559. in 5. Synodo sub Vigilio Papa, Ecclesiam Hierosolymitanam, in Patriarchalem fuisse euectam: certis Metropolijs, Patriarchijs Alexandrinæ & Antiochenæ detractis: tumquè primùm, & Hierosolymitanum Episcopum Metropolitæ Cæsaræensi; & Constantinopolitanum Heracleensi; subijci desijsse.

Anno 517. Palæstini Episcopi & Hieromonachi grauissimè à Seuerianis afflicti scripserunt, opis impetrandæ gratia, ad Sanctum Hormisdam Papam:

pam: se ei, quem Patrem, & verum suum Pastorem, appellant; vnientes: quas literas subscripsêre Archimandritæ 25. Presbyteri & Diaconi 170. fecit quod potuit Sanctus Pontifex: facto ipso testatus, solicitudinem omnium Ecclesiarum ad se pertinere: sed apud Hæreticum Imperatorem Anastasium, condradicente Timotheo Episcopo Constantinopolitano, nihil efficere potuit. Quod reliquum erat, ouibus suis, bonus Pastor compatiens, literas encyclicas ad omnes Syriæ Orthodoxos scripsit: quibus eos solaretur: & ad tolerantiam commoueret; quæ literæ postea in quinta Oecumenica Synodo, (vel potiùs eius præambula,) lectæ sunt. En quot & quanti Orientales Patres, vnâ epistolâ testantur, quàm eorum, de Romanorum Pontificum gubernandi potestate, sententia, longe alia sit ab eorum opinione, qui Regimen Papæ intra Occidentalium Ecclesiarum limites volunt includere? tot vtique contra se, ex Orientali Ecclesia habituri iudices, quot in hac ipsa Epistola, ex Syria, locisque Sanctis, Sanctum Hormisdam, confessi sunt esse Patrem: & verum suumque Pastorem.

Anno 520. Iustinus Imperator, Sancto Hormisdæ Hierosolymitanam Ecclesiam commendat: & ad eum scriptas ex Oriente supplicationes mittit: eo fine; *vt* (quemadmodum ipsemet scribit) *à vestra Sede, etiam tenor eius admissus, ad colligendas proficiat & adunandas vbique venerabiles Ecclesias, & præcipuè Hierosolymitanam, &c.* Quibus literis respondit, Sanctus Hormisda: scribens ad Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum, Anno 521. Hierosolymitanos ad communionem Ecclesiasticam admitti posse his conditionibus: vt quæ à Patribus Ephesinis & Chalcedonensibus statuta sunt, seruent; credant; definita non transcendant: vt professionem suam scripto inditam, vel legatis Romanis Constantinopoli offerant: vel per suas Romam dirigant; vel Episcopo Constantinopolitano tradant, Romam ab eo remittendam,

Anno 536. Agapetus Papa, Petrum Episcopum Hierosolymitanum reprehendit his verbis, *Oportebat; vestram charitatem, memorem paternarum traditionum, neminem permittere, prohibita facere; sed si quis audax appareret, tota virtute resistere.* Et infra, *Supra modum mirati sumus; quòd istud opus, ita apertè Patrum, decretis contrarium,* (quòd scilicet Episcopi Orientales Anthymo hæretico communicauerunt) *non solùm ad notitiam nostram adducere neglexit: sed & reprehensibili consensu confirmauit.* Denique ita concludit. *De cætero præcauete: ne rursus Canonicis Sanctionibus, quid contrarium per vos (quod non credo) fiat; vestro accedente consensu: cùm, vt error eius, qui semel peccauit veniâ dignus est, sic frequens transgressio, motum austeritatis depo-*

scit. En quam cordatum, se Sanctus Pontifex exhibet Hierosolymitani Episcopi iudicem, & Censorem. Vnde ei tanta animi altitudo, nisi ex altitudine Officij, coopitulante Deo, qui eum virtute miraculorum ornauit?

Anno 633. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, suæ fidei confessionem Honorio Papæ misit: eidemquè de noua Monothelitarum hæresi, à Cyro Alexandrino Patriarcha excitata significauit: qui ad Cyrum & Sergium scripsit: prohibens, ne deinde doceant, vnam in Christo fuisse voluntatem. Hîc patet: simul trium Patriarcharum Alexandrinæ, Constantinopolitanæ, Hierosolomytanæ, Papam fuisse iudicem & gubernatorem.

Anno 643. Episcopi Catholici Cypri, scripsere ad Theodorum Papam, quem vocant ibi Patrem Patrum; significantes; se execrari hæreses, quas metu Imperatorum plerique Orientalium sequebantur: sed per omnia epistolam Sancti Leonis sequi. Eodem anno, ad eundem Papam, Catholici Hierosolymitani, misere legatum Episcopum Dorensem, conquerentes de Monothelitis, quòd eis templum eripuerint. Eorum solatij causa, Papa hunc Dorensem Episcopum, suum in illis partibus vicarium fecit: eiquè præcepit: vt authoritate sibi à Sede Sancti Petri commissa, intrusum Patriarcham excommunicet, ab eoquè ordinatos deponat.

Anno 649. Sanctus Martinus Pontifex Romanus, Ioannem Episcopum Philadelphiæ suum constituit vicarium: vt per Patriarchias Antiochenam, & Hierosolymitanam, Catholicos Episcopos & Sacerdotes instituat: ordinetquè: hæreticos deponat: & prouideat: ne in illa Saracenica tyrannide populus Christianus Orthodoxis careat Sacerdotibus. Quis hæc facere præsumat, nisi cui totius Ecclesiæ Catholicæ à Christo commissa sit gubernatio? Certè ambo hi Pontifices, tam manifestè, in hæreticos inter Saracenos degentes disciplinatiuam virgam extenderunt; atque extendissent inter hæreticos in Italia manentes.

Anno 680. Georgius Monachus, Hierosolymitanæ Patriarchiæ legatus, Concilio Sexto & literis Agathonis Papæ subscripsit.

Annno 789. Hierosolymitani Patriarchæ Theodori, lectæ sunt literæ in Synodo Romana: quibus significat se in colendis imaginibus Romam sequi; Constantinopolim cum suo Conciliabulo reijcere.

PRO-

PROPOSITIO SEPTIMA.

Constantinopolitanam Patriarchiam, regimini Romanorum Pontificum semper fuisse subiectam; testatur ex eadem Patriarchia omne genus testium.

QVoniam de hac Patriarchia summum est inter Græcos & Romanos certamen : consilium est : pluribus perscrutari : penes quos veritas sit. Viderint Græci : quomodo se immunes à regimine Successorum Sancti Petri probent : ego huic regimini eos semper fuisse subiectos, vt probem ; non referam testimonia eorum seculorum, quibus florebat Romanum Imperium : sed potissimùm producam testimonia illorum seculorum : quibus, Romani Pontifices, grauissima premebantur seruitute. Adducam autem in testimonium ; Synodos prouinciales : Patriarchas Constantinopolitanos : Græciæ Episcopos : Martyres : Archimandritas : Imperatores : Senatores Imperij : Ciuitates.

Atque vt à Synodis ordiar ; Testantur id voces Synodorum Prouincialium Constantinopolitanarum. Affero in exemplum trium Synodorum verba : & quidem, eo tempore peractarum, quò Romani Pontifices, grauissimâ, aut barbararum gentiũ, aut Exarcharum Græcorũ seruitute, premebantur : quod fere etiam in omni testimoniorum genere tenebo : quò palam fiat, regimen Romanorum Pontificum, non ab Imperatrice Roma pependisse ; sed à solo Christo Domino institutum esse : qui eo etiam tempore, quo Roma, illa princeps prouinciarum, facta est sub tributo ; per Romanos Pontifices, Orientales Patriarchias gubernauit : etiam eam ; quæ erat in vrbe Constantinopolitana : quæ tunc vtriusque Imperij Sedes & Caput erat : vt prolixè Tomo 7. probat Baronius : magnæ vir, etiã apud Kiouienses Hieromonachos authoritatis ; ex quo omnia, quæ hîc referam, decerpo : etsi in compendium contracta.

Primò igitur adduco : Synodum coactam Constantinopoli sub Iustino Imperatore : & Ioanne Episcopo Constantinopolitano : cuius licet Synodales literæ non extent ; extant tamen ab Episcopo Ioanne, & Iustino Imperatore rogante Synodo scriptæ. Ioannes ita literas inscribit, *Domino meo & per omnia Dei amatori Sanctissimo Fratri & Syllyturgo Hormisdæ & Domino salutem.* In literis petit à Pontifice : vt suos legatos Constantinopolim mittat. *Vt*

tat. *Vt inquit) de omnibus satisfiat vestræ Sanctitati (quoniam pacem vestram amplectimur: & de vnitate Sanctarum DEI Ecclesiarum curamus:) rogamus vos: pacificos viros destinare: & vestra dignos Apostolica Sede: qui debeant satisfacere; & satisfactionem nostram suscipere; vt in hac parte Christus Deus noster glorificetur, qui per Vos, HANC PACEM MVNDO SERVAVIT.* Hoc ipsum petit Iustinus Imperator. *Ioannes (inquit) huius regiæ Sedis Antistes, & alij viri Religiosi Episcopi, nostram serenitatem docuerunt, pro concordiâ veram fidem colentium, literas tuæ Sanctitati offerendas confecisse: & magnoperè postularunt, nostras epistolas secundùm hoc emanare. &c. Vt tuæ Sanctitatis, pacis & concordiæ iura, pleniùs patefiant.*

Secundò eam: quæ fuit sub eodem Iustino Imperatore & Epiphanio Episcopo. Hæc ad eundem Sanctum Hormisdam Papam Synodales misit literas ita inscriptas: *Domino nostro Sancto, & Beatissimo Patri Patrum, Archiepiscopo & Patriarchæ Hormisdæ; Theophilus, & cætera Sacra Synodus, quæ in Cōstantinopolitana Ciuitate est congregata.* Circa finem earum ita scribitur. *Ecclesiasticam legem implentes, & Apostolatui vestro debitum persoluentes officium, speramus: vt ampliùs, Paternum affectum circa nos, vestra charitas custodire dignetur: & sapienti gubernatione & mansuetudine, quæ ad Rationabilis traditi vobis Ouilis salutem pertinet, peragatis.* En etiam Constantinopolitanum Ouile Romanis Pontificibus traditum agnoscunt, illudque sapienti gubernatione eorum regi expetunt, ipsi Græci Synodaliter congregati Patres.

Tertiam possem adducere Synodum, factam sub Menna & Iustiniano Imperatore: in quâ non solum Archimandritæ & Monachi Palæstini, sed & Marinus Primas Cænobiorum Regiæ vrbis, & cæteri eiusdem Archimandritæ, leguntur supplicasse Sancto Agapeto: (quem in Epigraphe, vocant Dominum Sanctissimum; & Beatissimum Archiepiscopum Antiquæ Romæ; & Oecumenicum Patriarcham;) vt potestatē sibi datam in Anthymi asseclas moueret: in eosquè disciplinatiuam virgam immitteret. Sed, ne vno eodemque testimonio, bis videar vsus;

Tertia sit, Constantinopoli collecta, à Ioanne Patriarcha: Sancti Eutychij Successore: in qua cùm Ioannes Patriarcha se Oecumenicum Patriarcham scribere cæpisset, clerumquè ad Synodum generalem conuocare præsumpsisset; Pelagius Papa acta illius Synodi rescidit: sola Gregorij, Antiocheni Patriarchæ iuridica absolutione approbata. Extant eius literæ ad omnes Episcopos, qui ad eam Synodū conuenerāt; in qua dicit primò: *Non modico tristamur dolore: quòd ea quæ olim calcata fuerant, & funditus damnata* (nimirum à Sancto Leone Magno in Anatolio, & à Symplicio & Felice in Acatio se super alios Patriarchas Orientales erigentibus) *nec vnquam fie-*

quàm fieri deberent, rediuiuis radicibus germinant : & quia multa, quæ pœnitudinem possunt generare, proueniunt; necesse est ea cassare : quæ contra ordinem & omnem authoritatem facta, esse noscuntur. Et infra. *Relatum est ad Apostolicam Sedem, Joannem Constantinopolitanum Episcopum, Vniuersalem se subscribere : vosq; ex hâc sua præsumptione ad Synodum conuocare generalem : cùm generalium Synodorum conuocandi authoritas, Apostolicæ Sedi Beati Petri singulari priuilegio sit tradita : & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica authoritate non fuerit fulta. Quare quicquid in prædicto vestro conuenticulo, (quia Synodus, taliter præsumpta, esse, non potuit :) statuistis; authoritate Sancti Petri Apostolorum Principis, & Domini Saluatoris voce, quâ Beato Petro, potestatem ligandi atq; soluendi ipse dedit Saluator; quæ etiam potestas, indubitanter in successores eius transit; præcipio, omnia quæ ibi statuistis, & vana & cassata esse.* Et infra. *Multis Apostolicis, & Canonicis, atq; Ecclesiasticis, instruimur regulis : non debere absque sententia Romani Pontificis, Concilia celebrari. Quapropter, vt dictum est, rectè non Concilium, sed vestrum Conuenticulum cassatur, & quicquid in eo actum est, irritum habetur. Vos quoque deinceps, nullius hortatu, talia præsumatis : si Apostolicæ Sedis communione carere non vultis.* Et infra. *Sciat & ipse Ioannes, nisi errorem suum correxerit, à nobis excommunicandum fore : & Apostolicæ Sedis & omnium Sanctorum Episcoporum communione carere.* Et circa finem. *Orate fratres : vt honor Ecclesiasticus, nostris diebus non euacuetur : nec vnquam Romana Sedes, quæ instituente Domino, CAPVT EST OMNIVM ECCLESIARVM, priuilegijs spolietur.* Deinde, cùm quædam circa immediatum Ecclesiarum Regimen, definiuisset; ait. *Maiores vero quæstiones, (vt Sancta Synodus statuit; & beata consuetudo exigit;) ad Sedē Apostolicam semper referantur.* Hîc, ab aduersario quocunque discere vellem : vnde tanta animi celsitudo Pelagio Papæ, eo tempore, quo Longobardi totam Italiam vastabant, & Romanam obsidebant ciuitatem; eo tempore, quo maior pars Occidentis ob damnationem Trium Capitulorum, à communione Romanæ Ecclesiæ recesserat; eo tempore, quo, (vti non sine dolore significat Sanctus Gregorius Magnus in Septem Psalmos Pœnitentiales) Romanorum Pontificum confirmationem, Orientales Imperatores, Reges Arrianos secuti, sibi arrogarunt; eiusquè nomine certam pecuniam exegerunt; eo denique tempore, quo Constantinopolitani Patriarchæ, suorum Imperatorum, suæ Græcæ gentis extollendæ auidissimorum, gratiâ freti, omnia poterant; vnde inquam huic Papæ tanta animi celsitudo, vt totam Synodum prouincialem cassauerit : & excommunicationem Episcopis Græcis, & ipsi Constantinopolitano Patriarchæ, nisi resipuerit, minatus fuerit ? vnde inquam, nisi ab ea potestate, quam in epi-

stola ad Sanctum Agapetum, Orientales Patres, sub Menna Constantinopoli congregati, Romanis Pontificibus à Deo datam esse, disertissimè confessi sunt?

Testantur idem è Constantinopolitanis Patriarchis; Primò; Sanctus Ioannes Chrysostomus: qui ad Innocentiū Papā ita literas inscribit: *Innocentio Episcopo, Romæ D. suo Reuerendissimo Pientissimoq;*: in literis hæc verba habentur. *Igitur Domini maximè venerandi, & pÿ, cùm hæc ita se habere didiceritis, studium vestrum & magnam diligentiam adhibete, quò retundatur hæc quæ in Ecclesias irrupit iniquitas.* Et infra. *Obsecro: vt scribas, quòd hæc tam iniquè facta non habeant robur: sicut neque naturâ suâ habent: illi autem, qui iniquè egerunt, pænæ Ecclesiasticarum legum subiaceant: nobis verò, qui nec conuicti, nec redarguti; literis vestris & charitate, aliorumquè omnium quorum antea fruebamur societate, frui concedito.* Tandem concludit. *Hæc, cùm ita se habere intellexeritis, à Dominis meis pientissimis Obsecro: vt præstetis id, quod peto officÿ: quo non solum nobis gratificabimini, sed & Ecclesiarum vniuersitati. Semper vale: & ora pro me Domine dignissime: & Sanctissime.* Et in Secunda Epistola, gratias ei agens pro curâ eius habita: ait. *Perpetuas vobis gratias agimus; quòd Paternam erga nos beneuolentiam declarastis: nam quantum in vestra pietate situm fuit; iam res omnes sedatæ & emendatæ fuissent. &c.* Et infra. *Oro vestram vigilantiam: vt si curari à morbo voluerint;* (loquitur de suis aduersarijs) *ne affligantur: neque à cætu abÿciantur.* Tandem sic concludit. *Nec mediocriter nos consolantur, solida vestra fides, & charitas, quæ se, in me, tam tenui, oblectant. Hic noster murus, hæc securitas, hic portus, hæc lætitiæ causa est.* En quam clarè hic Sanctus Patriarcha, (licet adeo ab omni assentatione alienus, vt ob eius solius declinationē, in exilium actus sit;) quàm, inquam, clarè testatur, Romanos Pontifices habere potestatem, morbos Ecclesiarum Orientalium curandi: statuta, etiam Synodalia, Orientalium Episcoporum irritandi: Patriarchas & Episcopos Orientales excommunicandi. Quod quomodo dicere posset, si Romanorum Pontificum regimini, Orientales Ecclesiæ non essent subiectæ, æquè ac Occidentales?

Secundus sit Sanctus Gregorius Nazianzenus: Orthodoxæ fidei Constantinopoli reparator, & hæreseon ibi grassantium euersor, eiusquè Ecclesiæ, quam aliquandiu rexit, gloriosus propagator. Hic in Carmine de vita sua ait: *Romanam Ecclesiam semper conseruasse veram de Deo sententiam: vt decet vrbem quæ toti orbi præsidet.* quâ præsidentia? non Imperij: nam tunc Theodosio regnante, & vtrumque imperium gubernante, Sedes imperij erat Constantinopolis: Ergo regiminis Ecclesiastici: quod ipse, quanti faceret, clarissimè testatus est, cùm maluit Episcopatu Regiæ vrbis cedere, quàm

re, quàm à Constitutione Damasi Papæ de Antiocheno Patriarcha auelli : adeo, vt à suismet Græcis fuerit reprehensus; quasi magis Occidentali Ecclesiæ fauerit, quã Orientali. Idẽ, cùm Apollinaristæ, ad se tuendos, mentirentur se à Damaso Papa in communionem receptos: ita eis respondit Epistola ad Chelidon. *Si à Damaso Papa recepti sunt, probent; & nos contenti erimus. Quia manifestè patebit, eos esse Orthodoxos :* (attendant Græci: quam Sanctus Patriarcha & Theologus, assignet notam Orthodoxæ doctrinæ:) *si verè ab Ecclesia Romana recepti sunt: neque aliter esse potest.* Quodsi, ab aliquo, inter Patriarchas Constantinopolitanos, hic Sanctus Pater non ponitur; sit Secundus testis S. Mennas: Græcorum Menologio insertus: qui Patribus in Synodo contra Anthymi asseclas congregatis, damnationem, iam ante ab Agapeto Papa prædamnatorum vrgentibus, dixit: *Nos, sicut scit vestra charitas, Apostolicam Sedem sequimur: eiquè obedimus.*

Tertius Sanctus Eutychius Patriarcha, qui mox à sua electione, in fidei professione, ad Vigilium Papam missa, ita scribit: *Sanctissimo & Beatissimo Domino & Consacerdoti Vigilio Euthymius. Scientes, quantorum bonorum causa, est pax Dei: ideoquè festinantes vnitatem conseruare; ad Apostolicam Sedem vestræ beatitudinis manifestum facimus. &c. Ideo petimus, PRÆSIDENTE NOBIS VESTRA BEATITVDINE, propositis Sanctis Euangelijs eadem capitula quæri: & conferri.* Hic, & alij Patriarchæ ante Photium, Romanorum Pontificum regimini, etiam Græciam, subiectam fuisse testati sunt: post Photium verò, sunt idem testati, Constantinopolitani Patriarchæ, Ioannes Becus, Iosephus, Gennadius, quorum doctissima scripta, vtinam recentiores Græci legere dignarentur: non possent, nisi manifestè pertinaces, ab eis doctissimè defensæ, non assentiri veritati.

Testati sunt idem, aliarum Ecclesiarum Græcarum Episcopi: v. g. Sanctus Basilius Magnus, Episcopus Cæsareæ Cappadociæ; qui in epist. 69. & 70. Damaso Papæ, Ecclesiæ Orientalis curam, commendans; ait: *vnius corporis membra sumus, non dicat Caput pedibus, non estis mihi necessarij. &c. Vt apud nos primò Euangelij veritas cæpit, & apud nos primò deficit, timendum est: ne vniuersum orbem hæ tenebræ comprehendant.* Similia in epistola 77. missa Romam per Petrum Presbyterum habentur. *Si vos esse Ecclesiæ Catholicæ Caput agnoscitis, non potest Caput dicere pedibus. &c. Si ad nos volueritis venire; & à nobis rerum nostrarum exigere rationem; obuijs vos excipiemus manibus: vestroque nos sistemus examini: aut si locum iudicij designare malueritis; debitum veniendi explebimus.* En clarissimè, tantus Sanctus, iudicandum se Romano Pontifici offert: eumquè manifestè suum iudicem, & Caput Ecclesiæ profitetur. Idem epistola 44. negat aliquem Episcopum censen-

 dum

dum esse hæreticum, & ab Ecclesia reiectum, nisi præuia Romani Pontificis Sententia. Idem in Epistola prima in additis, ait: *Ecclesias Occidentales, immaculatam retinere fidem: & inconcussam doctrinæ Apostolicæ structuram conseruare: Orientales autem, Cenodoxiæ studio, nouitates venari.*

Secundus sit Sanctus Irenæus Episcopus Lugdunensis Libro 3. Cap. 3. contra hæreses: *Ad Romanam (inquit) Ecclesiam propter potentiorem eius principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam: id est, omnes qui sunt vndique fideles &c.* Quam vero aliam principalitatem habere potuit Romana Ecclesia, grauissimæ persecutionis tempore, nisi Ecclesiastici, toto orbe diffusi, regiminis?

Tertius sit Andreas Præualitanus Episcopus in Epiro; qui ad Sanctum Hormisdam Papam literas ita inscribit. *Domino semper meo, Beatissimo, & Apostolica Sede intima veneratione præferendo, atque Angelicis meritis coæquando, Patri Patrum, Papæ Hormisdæ &c. Commendans me humillimè, vestigijs vestris pijssimis, indico &c:* Et infra. *vestra intercessio apud Deum laboret: vt ad perfectum serui Apostolicæ Sedis inueniamur.* Denique in epistola Episcoporum Secundæ Mæsiæ, ad Leonem Imperatorem, insertâ epistolis ad Synodum Chalcedonensem pertinentibus; hæc reperiuntur verba. *In Chalcedonensi Ciuitate, multi Sancti Episcopi conuenerunt, per iussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè est Caput Episcoporum.*

Breuitatis studio, (& quia hæc potissimũ Ascetis Kiouiensibus scribo;) eos eligo in testimonium veritatis propositæ, Martyres; qui simul clarissimi fuerant Constantinopolitanorum Cænobiorum Archimandritæ. Eorum primus est Sanctus Maximus Cænobiarcha & Martyr; in epistola ad Marinum: quam citat & refert Baron. in Anno D. 867. *Omnes (inquit) vbiq; terrarum, qui Christum Orthodoxa fide confitentur, quasi ad Solem æterni luminis, ad Sanctissimam Romanorum Ecclesiam, & eius fidem intenti respiciunt: ex ipsa rutilantem splendorem recipientes Sanctorum dogmatum: quemadmodum Sex Synodi Sacræ, disertis verbis, & magna religione exposuerunt. Ab initio enim aduentus Incarnati Verbi, vniuersæ terrarum Christianarum Ecclesiæ, à S. Romanorum Ecclesia originem habuere: & fundamentum solum & maximum: contra quod nullo modo inferi præualebunt, iuxta ipsius Saluatoris promissionem.* Eidem cùm Monothelitæ Constantinopolitani obijcerent; quare Romanos diligis; Græcos vero odio habes? respondit: *Deus præcepit neminẽ odio habere: diligo Romanos; vt eiusdem fidei mecum: diligo Græcos; vt eiusdem mecum linguæ.*

Secundus Sanctus Stephanus Archimandrita Martyr. Qui Iconomachis Episcopis aiebat, teste Sancto Damasceno, in eius vita: *Quomodo vos, vestrum con-*

strum conuenticulum, audetis dicere Concilium Oecumenicum; cui neque Romanus Pontifex, neque Alexandrinus, neque Antiochenus Patriarchæ assensi sint? Exhibete si potestis eorum assensus & subscriptiones.

Tertius Sanctus Theodorus Studita; clarissimus fidei Orthodoxæ in Oriente defensor: & Archimandrita: ac ob graues pro veritate toleratos cruciatus, Martyr: cuius memoriam 11. Nouemb. Menologium Græcum celebrat. Hic, tot encomijs Romanorum Pontificum fidem, officium, regimen extulit; vt mihi non contigerit legisse, quinam Occidentalium Scriptorum, in laudes Romanorum Pontificum latiùs excurrerit. Affero quædam, ex eius epistolis, à Deo specialiter per virtutem miraculorum, eis impressam, (nam earũ vna, domui ardenti iniecta, eius extinxit incendium;) approbatis. Libro 1. Epistolam 33. ita inscribit. *Sanctissimo, & Supremo Patri Patrum, Leoni Papæ Apostolico &c.* In epistola explicat quid in Conciliabulo Iconomachorum conclusum esset: opemque contra hæreticos postulat: ita orsus. *Cùm Deus, magno Apostolo Petro, post traditas regni cælestis claues, pastoralis etiam primatus contulerit dignitatem; ad Petrum, eiusque Successorem referri conuenit: quidquid in Ecclesia Catholica innouatur, ab eis, qui à veritate aberrant.* Et paulò infra *Sanctissime, supreme Patrum Pater, æquande Angelis, Sanctissime Apostolice Papa, Diuinum super omnia capita Caput constitute, Pastor Ouium Christi, Clauiger Cælestis regni, vertex benedictionis, lampas orbis vniuersi, fons Orthodoxæ doctrinæ, Purum & immaculatum Apostolicum Caput, dux Sacerdotum prime, Petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catholica: conserua nos Pæmenarcha Ecclesiæ, quæ sub cælo est: perimus. Imitare Magistrum tuum Christum, & manum auxiliatricem Ecclesiæ nostræ porrige. Imitare tuum antecessorem eiusdem nominis Papam, qui contra Hæreticum Eutychen rugijt: & tu contra hanc recentem hæresim irrugias. &c.* Ibidem, negat Orientales Episcopos, Pontifice inconsulto, iuxta veterẽ consuetudinem, Conciliũ Orthodoxũ facere potuisse. Idem epist. ad Paschalem Papã Lib. 2. ita inscribit. *Lumini magno, primo Sacerdotum principi, Domino nostro Apostolico, Papæ Paschali &c.* In epistola hæc habentur. *Audi Caput Apostolorum, à Deo Præposite Ouibus Christi, Pastor, Ianitor Cælestis, Petra fidei super quã ædificata est Ecclesia Catholica. Quia tu es Petrus: qui Petri Cathedram gubernas & ornas.* Et infra. *Tibi dixit Christus Deus noster: Confirma Fratres tuos. En tempus, en locus, adiuua nos: ad hoc à Deo ordinatus es: habes potestatem à Deo, quia omnibus es præpositus. &c.* Et epistola 35. ad eundem. *Vos estis illimis fons Orthodoxæ veritatis: nunquam à sui initiò cænosus, semper purus. Vos ab omni hæreticorum procella longe positi: securus totius Ecclesiæ portus: Vos à Deo electa ciuitas ad salutis refugium.* Denique idem, in data, ad omnes qui

nes qui pro cultu imaginum paterentur, epistola; (quæ est libro secundo octaua,) ait. *Nos Ecclesiæ Apostolicæ consentientes, & Catholicæ: quia Constantinopolitana Ecclesia,* (en apertè Sanctus hic Martyr & Cænobiarcha, Constantinopolitanam Ecclesiam opponit Catholicæ: quia eadem ei Catholica est, quæ Romana: in cuius laudibus perpetuò occupatur:) *quia (inquit) Constantinopolitana Ecclesia, est Seminarium hæreticorum: cui solemne est ab alijs deficere.* Et in epistola ad Naucratium, libri secundi Sexagesima tertia: *Constantinopolitani, se à Corpore Christi separarunt: & à Supremo verticali throno, in quo Christus claues fidei deposuit, cui non præualebunt portæ inferi: prout is promisit qui non mentitur.* Ite in suffragium Quirites; & qua estis prudentia, solo Deo oculis obiecto, omni alteriusutrius persuasionis præiudicio semoto, decidite: fueritnè vllus Occidentalium, qui clariùs & disertiùs vniuersale Romanorum Pontificum regimen, fuerit professus; quàm hic Sanctus Cænobiarcha? & sitnè aliquid, quod modo Romano Pontifici Catholici tribuamus, quod non eidem, Sanctus hic tribuerit Martyr? Dicit is, Sancto Petro collatam pastoralis primatus dignitatẽ; Ecce Sancti Petri Primatus, non loci, sed pastoratus: cuius etiam causa Successor eius, vocatur supremus Pater Patrum: Primus Sacerdotum Princeps; Dux Sacerdotum primus. &c. Qui supremus est, neminem habet superiorem se, nec æqualem: nam supremus Pater Patrum, non est nisi ille, qui supra omnes est: qui autẽ supra omnes est; huic nemo, in eo genere, in quo dicitur supremus, æqualis est. Dicit idem: ad Romanum Pontificem referendum, quidquid in fide innouatur: eundem, contra hæreticos excitat: datam ei ad eos compescendos potestatem confitetur; Ecce Iudex Supremus Controuersiarum. Dicit, eundem, esse Caput supra omnia capita constitutum: Pæmenarcham. &c. Ecce Caput omnium fidelium: seu Caput Ecclesiæ. Negamus, Pontifice Romano inconsulto, vllum posse cogi legitimum Concilium; hoc ipsum negat hic Sanctus Archimandrita Martyr. Negamus Romanos Pontifices vlli vnquam succubuisse hæresi; hoc ipsum negat Sanctus idem: asserens Romanam Ecclesiam esse fontem Orthodoxæ veritatis, nunquam cænosum, semper purum: Asserimus: omnes qui se à Sancti Petri Cathedra separant, à Corpore Christi separari; hoc ipsum asserit, Sanctus idem. Vlteriorem comparationem, quam idem Sanctus facit, Constantinopolitanorum & Romanorum, prudens omitto. Est tamen, illustris Sanctitate & doctrina vir, qui, quæ retuli, dixit: estquè dignus, cuius verba vt Spiritu Sancto dictante scripta, & miraculo (vt dixi) approbata, diligenter ponderentur. Verendum enim est: ne durus sit in nouissimo die iudex, & veritatis agnitæ exprobrator, omnibus ijs, qui aut

suas epi-

ſuas epiſtolas legerint, aut legere noluerint: nolentes intelligere, ne bene crederent: omnibus inquam; at potiſsimum his; qui eandem cum illo, Sanctiſsima Magni Baſilij præcepta ſecuti, viuendi rationem amplexi ſunt. Quàm enim ei durum erit, faciem huius Sancti oculoſque ſuſtinere, qui fuerit deprehenſus maiorem dediſſe fidem, alicuius Nouiodunenſis ſtigmatiæ, blaſphemijs, aut alicuius Seditioſi Britanni latratibus; quàm adeo S. Cænobiarchæ & Martyris theopneuſtis epiſtolis! quàm vero ignominioſum Sancti Baſilij aſcetæ alicui erit, ſi dies illa oſtenderit, multum illum temporis legendis hæreticorum libris impendiſſe: Sancti vero huius Confratris ſui epiſtolas, ne aſpectu quidem dignatum fuiſſe: & quæ ab hæreticis in Romanos Pontifices blaſphemo ore eiecta ſunt, auido combibiſſe animo; quæ verò à tam Sancto ſuo Confratre in laudem Romanorum Pontificum ſcripta ſunt, tanquam antichryſtiana auerſatum eſſe: maiori (ô probrum!) fide, data Caluiniſtis; quam Sancto Theodoro Studitæ: Sancti Baſilij Cænobiorum Archimandritæ: & illuſtriſsimo, Orthodoxæ veritatis, contra Iconomachos propugnatori: & Martyri. Mihi quidem quæ retuli, quæquè adhuc relaturus ſum accuratè expendenti, videtur: per mille quingentos annos, nunquam ita prædicatam vel exercitam fuiſſe, Romanorum Pontificum authoritatem in Occidente, quàm fuerit prædicata vel exercita in Oriente: eò, quod, in Occidente, hæreſibus rariùs emergentibus, ijsque deleri facilioribus, rarior fuerit vſus Pontificiæ poteſtatis: at in Oriente, ſingulis prope ſæculis, noua enaſcente hæreſi; eaquè maiorem Orientis partem depaſcente; frequentior fuit neceſsitas, recurrendi ad Sūmum Pontificem: vt ad vltimam hæreſeon omnium medicinam. Vnde & clariſsimus ille, Sanctimoniâ & doctrinâ, Angliæ Cancellarius, Thomas Morus, ingenuè fatebatur: ſe, qui olim Romani Pontificis primatum, & ſupremum in decidendis fidei quæſtionibus iudicium, inter adiaphora cenſuiſſet; tandem Lutheranorum & Caluiniſtarum enatis hæreſibus, mutaſſe ſententiam: his enim, noua in dies commenta deſignantibus, ſe vetera Sanctorum Patrum monumenta conſuluiſſe: ab eiſquè abunde inſtructum, & inſuper, euidenti argumento neceſsitatis ſupremi Controuerſiarum iudicis conuictum, deprehendiſſe: omnino inter fidei dogmata agnoſcendum eſſe: quòd Romanus Pontifex ſit viſibile totius Eccleſiæ Catholicæ Caput: & ſummus omnium fidei controuerſiarum iudex: alioqui nullum tollendis hæreſibus efficax relinqui remedium, cùm nulla ſit fueritque hæreſis, quæ non, ſcripturas in ſui patrocinium plauſibiliter trahat, vel traxerit. Hæc ille. Et reuera, nunquam in Occidente, Pontificia poteſtas, clariùs illuſtrata eſt virorum doctorum monumentis, Monarcharum

& Regum

& Regum Christianorum veneratione, honorificis, & à finibus vsque Orientis missis legationibus; quàm nunc; cùm à Lutheranis & Caluinistis contentissimis viribus, Marte & Arte impugnata est. Viuit illa: certa promissi sibi à Christo facti: portas inferi sibi non præualituras. Et verò, quæ præualuerint, si hæ, quæ hac ætate eam impugnarunt præualere non potuerunt; eamquè suis hoc tempore impugnationibus illustriorem reddiderunt?

Iam ab Ecclesiasticis testibus ad seculares transeamus. Primus sit Theodosius Imperator: qui (de SVMMA TRINITATE & fide) tale reliquit edictum. *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus religione censeri: quam Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsq; adhuc ab ipso insinuata declarat: quam Damasus profitetur. &c.* Quod si hoc, magis ad fidem quàm ad Romanum primatum pertinere videtur; Primus Imperatorum Romanorum testis sit Pontificum Primatus, Martianus Imperator: qui in epistola ad Sanctum Leonem magnum data, & Synodo Chalcedonensi præmissa, ita scribit. *Catholicam religionem quâ imperium nostrum prosperè dirigi arbitramur, honorare volentes, Sanctitatem tuam, qui Principatum Episcopatus fidei tenes, hac primâ scriptione compellamus: orantes: vt Sanctitas tua pro imperij nostri firmitate oret, vt omnes errores per futuram Synodum, te authore euertantur.*

Secundus sit Iustinianus Imperator: qui in epistola ad Ioannem Papam anno 333 per duos primarios Græciæ Episcopos missa, & inserta legi de Summa TRINITATE ita scribit. *Reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & vestræ Sanctitati; (vt decet Patrem,) vestram honorantes beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, festinauimus ad notitiam referre vestræ Sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studium, vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, vt statum Sanctarum Dei Ecclesiarum, custodire: ideoquè omnes Sacerdotes, vniuersi Orientalis tractus, ei subijcere & vnire, vestræ Sanctitati properauimus: in Præsenti ergo; quæ commota sunt, necessarium duximus, vt ad notitiam vestræ Sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat Sanctitati: quæ CAPVT est omnium Sanctarum Ecclesiarum.* Neque sibi plus æquo ab Imperatore adscriptum censuit Pontifex, etsi magna præditus humilitate. Ita enim respondet: *Inter claras Sapientiæ vestræ laudes, Christianissime Principum, tanquam aliquod Sydus irradiat: quòd amore fidei, edocti Ecclesiasticis disciplinis, Romanæ Sedis reuerentiam conseruatis. &c. ad cuius authorem, hoc est Apostolorum primum, Domino loquente præceptum est: Pasce oues meas: quam esse omnium Ecclesiarum ve-*

rum verè C A P V T, & *Patrum regulæ & principum ſtatuta declarant.* Hoc ipſum, is Imperator, repetit in epiſtola data ad Epiphanium Conſtantinopolitanum Patriarcham & habentur lege 7. C. de Summa TRINITATE. *In omnibus, ſeruato ſtatu vnitatis Sanctarum Eccleſiarum, cum ipſo Sanctiſſimo Papa veteris Romæ : ad quem ſimilia præſcripſimus. Nec enim patimur vt quidquam eorum quæ ad Eccleſiaſticum ſtatũ ſpectant, non etiam ad eiusdem referantur beatitudinem : cùm ea ſit* C A P V T *omnium Sanctiſsimorum Dei Sacerdotum : vel eô maximè, quòd quoties in his locis hæretici pullularunt, & ſententia & recto iudicio illius venerabilis Sedis coerciti ſint.* Et Nouella 9. aut 10. *Vt legum originem anterior Roma ſortita eſt ; ita & Summi Pontificatus apicem, apud eam eſſe ; nemo eſt qui dubitet : vnde & nos neceſſarium duximus : Patriam legum, fontem Sacerdotij, ſpeciali noſtri Numinis lege illuſtrare.*

Tertius : (omiſsis alijs legenti Baronium, paſsim occurſuris ;) ſit Baſilius Macedo Imperator : (ſub quo primùm Roſsi fidei Chriſtianæ miſteria edocti ſunt :) qui in epiſtola mox à ſua electione, ad Nicolaum Papam per Baſilium Spatharium legatum ſuum miſſa : ita alloquitur Pontificem. *Pater, & ſecundùm Deum, honorande Summe Pontifex, accelera ad corrigendos Eccleſiæ errores : redde nobis puram vnitatem : & ab omni Schiſmate & contentione liberam, vnam in Chriſto Eccleſiam, & Ouile vnum.*

Senatorum & Magiſtratuum Imperij, primus ſit Vitallianus Magiſter militum : qui à Pontifice Hormiſda petijt informari, quid de Fauſti Regienſis libro ſentiendum eſſet : vti explicat Poſſeſſor Africanus Epiſcopus, tunc Conſtantinopoli degens : in ſua Epiſtola ita inſcripta : *Domino Beatiſsimo, & ineffabiliter mirabili, & in Chriſti gratia præferendo Papæ. &c.* Eam ita orditur. *Decet & expedit : ad Capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de Sanitate membrorum. A quo enim magis nutantis fidei ſtabilitas expectanda, quàm ab eius Sedis Præſide ; cuius primus à Chriſto Rector audiuit : Tu es Petrus. &c.*

Secundus, Pompeius, vir apud Iuſtinum Imperatorem Summæ authoritatis : hic ſcripſit ad Sanctum Hormiſdam literas ita inſcriptas : *Domino meo beatiſsimo, & Apoſtolico Patri, Hormiſdæ, Archiepiſcopo Vniuerſalis Eccleſiæ, Pompeius. &c.*

Tertius, Iuſtinianus, eiuſdem Iuſtini conſanguineus : & poſtea in imperio Succeſſor : hic ad eundem Pontificem ſcripſit Anno 519. literas ita inſcriptas : *Domino Sancto, meritis beatiſsimo, & Apoſtolico Domino Papæ, Patri Hormiſdæ Iuſtinianus* quas : ita orditur. *Propitia Diuinitate, quæ ſemper Eccleſiam Catholicam per incrementa fidei inſtituit, vnitas Sanctarum Eccleſiarum, per doctrinam & authoritatem Apoſtolatus veſtri, prouenit.* Et infra. *Hæc noſtra eſt maxima ſolicitudinis cauſa : ne vnitas, quam veſter labor oratioque perfecit, per*

cit, per inquietos homines dißipetur. Intelligit hîc Scythenses Monachos, pacis Constantinopoli conclusæ turbatores, contra quos aliam insuper epistolam scribens, ita alloquitur Pontificem. *Hoc* (quod asserunt Scythenses) *si suscipiendum sit, paterna prouisione, Reuerentia vestra, cautissimo suo rescripto, quid sequi quidue super hoc vitare debeamus, nos certiorare dignetur. Imponite vobis semel susceptum laborem, Sancte ac venerabilis Pater: etiam in hoc prædecessores vestros sequentes: & de hac intentione liberos nos properate reddere: & securos. Hoc enim, CREDIMVS ESSE CATHOLICVM; quod vestro religioso Responso nobis fuerit intimatum. &c.* Et in epistola Anno 520. data, ad eundem petens: ne Successores Acatij, è diptychis expungerentur; ita supplicat. *Finire dignetur inueteratum certamen, de cæterorum nominibus, quæstione sopita, vt redimatis de sanguine plebem:* (audiatur quid Græcus de Græca Ecclesia dicat:) *quam vobis DEVS noster regendam commisit.* Et in alijs literis ad idem impetrandum missis, ita supplicat. *Ostendat tuus Apostolatus, quòd Petro successit Apostolo; quia Dominus, à vobis, vt pote summis Pastoribus exacturus est, vniuersorum salutem: qui poterant esse salui firmata concordia.* En Romanus Pontifex, vocatur Summus Pastor: à quo tam solicitè petitur vt certorum suorum Episcoporum, liceat Clero Constantinopolitano in Sacris Fastis memoriam & nomina retinere. Quorsum id Imperator Iustinus, Ioannes Patriarcha, Iustinianus Senator, tantis precibus petunt ab Hormisda; si (quod Recentiores Græci volunt) Romanorum Pontificum regimini Græcia subiecta non est, neque vnquam fuit? Denique, hoc ipsum, Romanorum Pontificum Regimen, testatæ sunt Græcæ ciuitates: per Summos honores, Pontificibus, eorumue legatis, Constantinopolim vel in Græciam venientibus, exhibitos. Anno 519. Szampinum Macedoniæ, ingredientibus Sancti Hormisdæ Papæ legatis, tota cum Episcopo Troilo Ciuitas, cereis prælatis, & crucibus, obuiam processit: tanta deuotione, gaudio, lachrymarumque profusione, quantas nec ipsi legati, se posse explicare, in relatione ad Sanctum Hormisdam missâ fatentur; clarissimi viri ab Imperatore eisdem obuiam missi: priusquam ex Italia egrederentur. Iisdem Constantinopolim ingredientibus, decimo ab vrbe milliario multi viri Illustrissimi occurrerunt, præsertim Vitallianus, Iustinianus, Pompeius & alij Senatores.

Anno 525. Ioanni Papæ, à Theodorico Rege tyrannicè compulso ad obeundam legationem Constantinopolim, duodecimo ab vrbe milliario, Omnis ciuitas Constantinopolitana cum cereis & crucibus occurrit. Ipse Iustinus Imperator, humiliauit se pronus ad terram: & licet iam fuisset coronatus, voluit tamen iterum à Sancto Pontifice, suo capiti imponi diadema.

dema. Eodem tempore (teste Nicephoro lib. 17. C. 9.) cùm Iustinus Imperator inuitasset Pontificem; vt assideret Epiphanio Patriarchæ Constantinopolitano: vt quasi pares viderentur; Pontifex (etsi eximiè Sanctus, ita vt eius Sanctitatẽ, in illa ipsa legatione, miraculis testatus sit Deus; cuius Submissionẽ Synodus Cartaginensis Anno 635. congregata, hoc celebrauit elogio; *Talis est, qualem Sancta Sedes Petri merebatur habere Pontificem: dignus veneratione, loquens veritatem sine mendacio, nihil faciens arroganter*;) Pontifex (inquã) tam S. negauit se ei assessurũ, quin priùs pro prærogatiua Apostolicæ Sedis, thronus sibi supra Epiphanium fuerit collocatus. Ex quo patet: Canonem de paribus priuilegijs, nihil etiam tunc habuisse momenti: alioqui illum Epiphanius protulisset: neque passus fuisset in sua Ecclesia Romano Pontifici thronum supra se collocari.

Anno 536. Agapeti Papæ funus, tanto omnium populorum concursu Constantinopoli peractum est: vt, Historico teste, apud Baronium, nemo Imperator, nemo Episcopus, inter tantas exequiarum copias funeratus sit.

Anno 647. Vigilius Papa, summo est honore, ab Imperatore Iustiniano, totaque Constantinopoli exceptus: & ad Ecclesiam Sanctæ Sophiæ deductus: psallente populo: & dicente; Ecce aduenit Dominator Dominus. &c.

Anno 710. Constantino Papæ, Constantinopolim ingredienti, missus obuiam ab Imperatore Iustiniano Secundo, occurrit Filius Imperatoris Tyberius: cum omni Senatu: & Cyro Patriarcha: omniq; populo: Omnes Pontificem ornatissimis equis Imperatoris impositum in vrbem induxerunt. Ipse Imperator, Nicomediæ, ad Pontificis se pedes abiecit: eosquè piè osculatus est: magna astantis populi ædificatione.

Anno 869. Photio suum schisma incipiente; Basilius Macedo Imperator, legatos Adriani Papæ, eo excepit honore. Misit Thessalonicam vsque, viros illustres: qui legatos Pontificios summo honore exciperent: & Constantinopolim vsque deducerent: quod & fecerunt: legatosquè equis Imperatoris, omni instructissimis apparatu, inuectos, sumptuosissimè sustentarunt: & Constantinopolim vsque deduxerunt. Vrbem ingressos, Imperator cum tota sua aula & clero, vestes Ecclesiasticas induto, populoquè cereos præferente, honorifica salutatione excepit.

Quid erat, in Romanis Pontificibus, sub tyrannide barbararum gentium, aut Exarcharum Græcorum gementibus, tanta dignum veneratione, si non Vniuersalis Ecclesiæ Pastoratus? cuius vnquam Patriarchæ Orientalis legatis tanti exhibiti honores? cuius Patriarchæ legati tot precibus petiti: tantis sumptibus deducti & reducti? quæ verò tanta eorum petendorum

dorum & honorandorum alia poſsit aſsignari cauſa; quàm quòd omnium in fide difficultatum penes ipſam Romanam Sedem definiendi maneret prærogatiua?

PROPOSITIO OCTAVA.

Græciam, Romanorum Pontificum regimini ſemper fuiſſe ſubiectam; ſingulis ſeculis, Eccleſiaſtica teſtatur Hiſtoria.

PRimo Seculo, ante conditam Conſtantinopolim, quantum, par illud Beatiſsimum, & duo Eccleſiæ Romanæ lumina, Sanctus Petrus & Sanctus Paulus in tota Græcia laborauerint; quot ibi Eccleſias fundauerint; quas ad Græcos, etiam Aſiaticos, ſcripſerint epiſtolas; conſtat ex Sacris Biblijs: ex quibus etiam notum eſt: primum Sanctum Petrum acceſsiſſe ad prædicandum Euangelium gentibus: qui tunc ἑλληνες vocabantur. Ex Hiſtoria vero Eccleſiaſtica habetur: Sanctum Petrum multas per Græciam fundaſſe Eccleſias: ordinaſſequè Epiſcopos; Prochorum Nicomediæ: Cornelium Ilij in Helleſponto: Vrbanum Tharſi: Phrygellum Epheſi: Apellem Policarpi Fratrem Smirnæ: Olympum Philippis: Iaſonem Theſſalonicæ: Syluanum Corynthi: Maximum Siciliæ: Hæc & plura Ciaconius in Vitis Pontificum. Præterea vniuerſale Sancti Petri, eiusquè in Romano Pontificatu Succeſſorum regimen, teſtantur; Sanctus Linus, & Sanctus Clemens qui eo ſeculo ſcripſerunt. A Sancto Clemente miſſa epiſtola, grauiſsima Corynthiorum diſsidia compoſuit: & nutantem eorum fidem confirmauit: quam in Græciæ Eccleſijs legi ſolitam ſuo tempore teſtatur Euſebius: Lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: eiusquè aliqua fragmenta reperiuntur, apud Iuſtinum, Clementem Alexandrinum, Euſebium, locis à Ciaconio citatis. Sancti Lini teſtimonia videri poſſunt in Bibliotheca SS. Patrum. Secundo ſeculo, Romani Pontificis Primatum totiusquè Catholicæ Eccleſiæ regimen, teſtantur epiſtolæ Sanctorũ Pontificum & Martyrum: Anacleti, Euariſti, Alexandri, Sixti, Telesphori, Higyni: inſertæ primo Tomo Conciliorum: quarum veritatem tuetur Franciſcus Turrianus Soc. IESV: efficaciter refellens Magdeburgenſium Centuriatorum calumnias.

Anno 113. Montanus Phryx, Hæreſiarcha, qui ſua hæreſi magnam partem Græ-

tem Græciæ infecit; falsa Sanctitatis opinione, quam sibi apud plerosque conciliauerat, obtinuit à Sancto Aniceto Papa literas communionis: qui mox à Praxea optimo Catholico, eius hypocrisim edoctus, datas ei literas reuocauit: missisque encyclicè oppositis literis, eam illi vt hæreseos suspecto, negauit.

Anno 175. Dionysius Corynthi Episcopus, in literis ad Romanos datis, (quæ habentur apud Eusebium Lib. 4. Cap. 23.) prædicat Romanorum in omnes egenos liberalitatem: & in primis Soteris Romani Pontificis; vbi ait: *vt ab initio, à fundamentis Ecclesiæ, cæpistis; consuetudinem Romanam à Patribus traditam Romani ipsi diligenter retinetis: & Soter Episcopus vester, non solùm multam pecuniam ad iuuandos Sanctos misit, sed etiam fratres aliunde ad se venientes, tanquam beneuolus filijs suis Pater, ad virtutem suo benedicto hortatur alloquio.*

Anno 196. Theodorum Bisantinum Cerdonem, primum Diuinitatis Christi blasphemum impugnatorem, Socinistarum nostri Seculi Apostolum, Victor Papa excommunicauit.

Anno 198. Idem Victor Papa, scripsit ad Ecclesias Orientales & Occidentales: vt coactis prouincialibus Synodis, antiquam celebrandi Paschatis consuetudinem inquirerent: ad eumquè, quod intellexerint, remitterent. Fecêre illi: & significauêre, die Dominico plenilunium primi Mensis, (qui Hæbreis Nisan est) sequente, celebrari semper solitum Pascha: non autem 4. luna: in quemcunque solis incideret diem. Id Victor, omnibus significauit Ecclesijs: seruarique præcepit: cui præcepto, cùm Asiæ Minoris Episcopi, duce Policrate, non essent obedientes; à Victore Papa à Communione Ecclesiæ separati sunt. Vbi, in illa persecutionum tempestate, clarè enituit, Pontificia Potestas: in Concilijs toto orbe indicendis: & inobedientibus iudicandis: & puniendis.

Tertio Seculo Sanctus Zepherinus Papa, ad expugnandas toto orbe hæreses Marcionis, Sabellij, Theodoti, operam suam feliciter conuertit. Eodem Seculo Stephanus Papa, cuius nomen etiam Græci Sacris Fastis intulerunt, Iconiensis, Orientalium, & duplicis Cartaginensis Synodorum, definitionem, de hæreticis rebaptizandis rescidit: eumquè omnes Orthodoxi secuti sunt. Immò, & illi 50. qui Sancto Cypriano adhæserant; in Sancti Stephani sententiam, tandem concesserunt: eiusquè summam in retinenda traditione Ecclesiastica constantiam, magnis laudibus extulerunt: tandemquè ab eodem Pontifice, in communionem, deprecante pro eis Dionysio Alexan. Patriarcha, recepti sunt. Idem Stephanus, Firmilianum Cæsareæ Cappad. Episcopum excommunicauit: quòd pertinaciter tueretur,

 rebapti-

rebaptizandos esse hæreticos : cuius Firmiliani contra Stephanum Papam literas, post Centum annos, Sanctus Basilius eiusdem Cathedræ Archiereus, reprehendit.

Eodem Seculo, Anno 313. Constantinus Magnus, adhuc Catechumenus, Donatistas ad eius tribunal appellantes, ab eoque iudicari volentes, ad Melchiadem Papam remisit : additis tribus è Gallia Episcopis : à quibus in Synodo Romana damnati sunt. Idem Imperator, paulò ante, suum Lateranense Palatium Melchiadi Papæ, tanquam Supremo Christianorum Episcopo, donauit. Ita Baronius : etsi alij aliter.

Anno 324. Romanæ Synodo, 284. Patrum, præside Sancto Syluestro congregatæ, Constantinus Magnus, recens à Syluestro baptizatus, interfuit : & subscripsit : in qua hic Canon legitur. *Nemo primam Sedem iudicare præsumat, quia omnes Sedes à prima iudicantur &c.* Hunc Canonem postea, Nicolaus Papa, Michaeli Imperatori, ordinem turbanti Ecclesiasticum obiecit.

Anno 325. fuit Concilium Nicænum : in quo Primatum Romani Pontificis, quæ testentur ; supra retuli. Vnum hîc addo ; in eadem Synodo Alexandrinis Patriarchis præceptum esse : vt quotannis, (vt pote Matheseos & obseruationum cursus solaris peritiores ;) significarent Pontifici Romano : quo die Dominico festum Paschæ celebrandum esset : vt deinde, Romanus Pontifex, omnibus hoc significaret Ecclesijs : ad concordiam in hoc festo celebrando retinendam.

Anno 338. Constantinus Magnus, sepultus est Constantinopoli : in Atrio templi SS. Apostolorum : Filio, se magnum honorem Patri exhibere arbitrato : si paternum corpus collocaret pro foribus Piscatoris : vt quod Regibus, in Regijs sunt ianitores ; hoc in monumento, sint piscatoribus Imperatores : vt piè ad populum Antiochenum, homilia 67. Sanctus concionatur Chrysostomus.

Anno 337. Iulius Papa, Romæ, congregata Synodo, Arrianam sectam damnauit : etsi iam, Constantio imperante, per Maiorem Græciæ partem diffusam.

Anno 340. idem Iulius Papa, Eusebianos, nihil Constantij Imperatoris potentiam veritus, ad Synodum Romanam citauit : eorumquè Acta in Conciliabulo Antiocheno rescidit. Extat, eius ad Orientales Episcopos epistola : apud Socratem Lib. 2. C. 13. Sozomenum Libro 3. C. 6. in qua dicitur : *non debere, præter sententiam Episcopi Romani, condi Canones Ecclesiarum : seu Concilia cogi in Ecclesia :* quod iam olim ab Apostolis sancitum esse testatur S. Marcellus Papa : in epistola ad Episcopos Antiochenos.

Anno

Anno 341. idem, Iulius Papa, Paulum Episcopum Constantinopolitanum, & Marcellum Ancyræ, aliosque Thraciæ Episcopos, ab Eusebianis pulsos & damnatos, absoluit: suisque restitui præcepit Episcopatibus.

Anno 347. Sardicenses Patres, è 37. Prouincijs congregati, omnia Synodi Romanæ Acta approbarunt: eorumquè, quæ ipsi in tanta Synodo decreuerunt, approbationem à Iulio Pontifice petierunt.

Anno 350. Vrsatius & Valens, Arriani Episcopi, vrgente errorum conscientia, hæresim Arrij ad tempus auersati; Romam ad agendam Pœnitentiam perrexere, à Iulio Papa absolutionem petituri.

Anno 352, Arriani à Liberio Papa, cùm primùm electus esset, in communionem admitti petiere: & contra Sanctum Athanasium multas posuere querelas: sed à Pontifice reiecti sunt.

Anno 369. Sanctus Damasus Papa, Auxentium, ab Eudoxio Constantinopolitano Episcopo Arriano, in Mediol. Episcopatum intrusum, hæreseos damnauit: simulque Vrsatium & Valentem Pannoniæ Episcopos: idquè se fecisse, missis ad omnes Orthodoxos literis significauit.

Anno 370. cùm Ecclesia Constantinopolitana grauissimè à Valente affligeretur; misit eo Pontifex Sanctum Zenobium, qui Arrianorum furorem doctrina & miraculis coërcuit.

Anno 373. Sanctus Damasus Papa, errorem Chiliastarum docentium, Sanctos post resurrectionem, mille annis in terris delitijs fruituros; qui, per multos annos, à multis Orientalium etiam SS. viris, docebatur; in Concilio Romano damnauit: ita vt ab eo tempore ea doctrina pro hæresi haberi cæperit.

Anno 380. Theodosius Imperator, edidit per totum imperium edictum quod superiùs retuli *Fol. 208.*

Anno 381. Timotheus Alexandrinus Patriarcha, cum Ægyptijs, & aliquot Macedonicis Episcopis, Sancti Gregorij Nazianzeni electionem, in Patriarcham Constantinopolitanum irritauit: dicens, se inconsulto Patriarcham Constantinopolitanum constitui non posse: quod nec dicere, nec facere potuisset; si verè, in Concilio primo Constantinopolitano, in quo Sanctus Gregorius constitutus fuerat Constantinopolitanus Episcopus, conditus fuisset Canon; de Secundo post Pontificem Romanum loco, Constantinopolitano Episcopo inter Patriarchas tribuendo.

Anno 382. in Synodo Romana, confirmatus est ordo Patriarchalium Sedium, à Nicæno Concilio descriptus: vt prima dignitas sit Pontificis Romani: secunda Patriarchæ Alexandrini: tertia Antiocheni: de Constantinopolitana nihil est dictum; quia nondum hic Episcopatus in Patriarchiã

fuit eue-

fuit euectus. Quando autem vnâ cum Hierosolymitano in Patriarchiam euectus sit; dicetur suo loco.

Anno 397. Theophilus Alexandrinus Patriarcha, post mortem Nectarij, qui post Concilium primum Constantinopolitanum, Episcopus Constantinopolitanus fuerat creatus; nitebatur quendam Isidorum, facere Episcopum Constantinopolitanum: sed repugnante Imperatore, tandem ex sententia Imperatoris, eius Sedis Episcopum constituit, Sanctum Ioannem Chrysostomum: per quod etiam manifestè probatur, supposititium esse Concilij Constantinopolitani primi Canonem: quo Constantinopolitanus Episcopus Patriarchæ Alexandrino præponendus dicitur.

Quarto Seculo, Anno 403. Idem Theophilus, veniens Constantinopolim, Synodum ibidem cöégit: adquè eius Tribunal, Sanctum Ioannem Chrysostomum citauit: cuius tribunali se subijcere non teneri; varijs probauit rationibus Sanctus Chrysostomus: nulla tamen facta mentione Canonis in Constantinopolitano Concilio facti: etsi eius obijciendi occasio tunc fuisset maxima. Patet ergo, hunc Canonem à Sancto Chrysostomo non fuisse agnitum, pro vero & legitimo: ideoquè Sanctum Præsulem non esse vsum illo.

Anno 404. Sanctus Ioannes Chrysostomus, à Theophilo, Episcopatu exutus, misit ad Innocentium Papam, supplices literas: quibus petijt irritari, iniquam illam, contra se latam, ab Orientalibus Episcopis sententiam: ad eundem Pontificem, misit legatos suos Theophilus, facti rationem reddens. Ita duo maximarum Patriarchiarum Episcopi, summum suarum controuersiarum iudicem, Romanum Pontificem agnouerunt. Ad eundem Pontificem, Palladius, & alij Episcopi, Sancti Chrysostomi defensores, confugerunt.

Anno 407. Innocentius Papa, cognita Sancti Chrysostomi morte, Imperatorem Arcadium cum Imperatrice excommunicauit: Arsacium intrusum, etiam post mortem eius, deposuit: cum omnibus Episcopis, qui ei adhæserant: Theophilum deposuit: & anathemati subiecit.

Anno 408. Episcopi, qui Sanctum Chrysostomum iniquè damnauerant, ab Innocentio Papa veniam petiêre. Præsertim Acatius Beroensis Episcopus. Eodem anno; idem Pontifex, Atticum Episcopum Constantinopolitanum absoluit: & ad communionem admisit: postquam, iussu Pontificis, Sacris Fastis nomen Sancti Chrysostomi restituit: & nomen Arsatij eiecit.

Anno 427. Cælestinus Papa, festum Sancti Ioannis Chrysostomi, ritu solemni in Ecclesia celebrari instituit.

Anno 430. Idem Cæleſtinus Papa, Neſtorij Conſtantinopolitani Epiſcopi hæreſim, damnauit: & Neſtorio niſi intra decem dies reſipiſceret, anathema comminatus eſt: multaque alia ab eodem facta reprehendit: in datis ad eum literis: quas Euagrius Diuinas appellat: & Synodus Epheſina ſummè prædicat.

Anno 434. Clerus Conſtantinopolitanus, cùm Proclum Epiſcopum Cizycenum, in Epiſcopatum Conſtantinopolitanum euehere cuperet; & ſciret; per Canones Nicænos, non licere Epiſcopos de Sede in Sedem transferri; à Cæleſtino Papa petierat conſilium, quid in propoſita difficultate faciendum eſſet; reſpondit is: in tanta Eccleſiæ neceſsitate, poſſe Proclum, ob tantam, quanta ſignificabatur, eius dignitatem, de Sede Cizycena in Conſtantinopolitanam transferri: quod conſilium, hoc primum anno, executioni mandatum eſt.

Anno 447. Sanctus Leo Papa, Baſsianum Epiſcopum Epheſinum, Aſiæ primatem, tanquam intruſum, multorum ſcelerum reum, Epiſcopatu priuauit.

Anno 448. Ad Sanctum Leonem Papam, Sanctus Flauianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, de hæreſi Eutychiana, per ſuam Synodum damnatâ ſcripſit: ad quem etiam ſcripſit Eutyches, multa mentiens: & inter alia, negatam ſibi ad Romanum Pontificem appellationem.

Anno 449. Sanctus Flauianus, in Conciliabulo damnatus Epheſino, ad Pontificem Leonem appellauit: quod ægre ferens Dioſcorus, Pſeudopatriarcha Alexandrinus, virum Sanctum occidi curauit. Eodem anno, Theodoretus Cyri, ab eodem Conciliabulo damnatus, appellauit ad eundem Pontificem: miſsâ per duos presbyteros epiſtolâ, ex qua, ſupra aliqua decerpſi. Eodem anno, Sanctus Leo, ſcripſit ad Archimandritas Conſtantinopolitanos, ne, à Dioſcoro inſtituto Epiſcopo, communicent.

Anno 450. Theodoſius Imperator, non audens, inconſulto Romano Pontifice, Anatolium, in Sedem Conſtantinopolitanam eleuare, ſcripſit ad Sanctum Leonem, eius voluntatis intelligendæ ſtudio: Sanctus Leo, negauit eum Epiſcopum eſſe poſſe, donec Catholicam religionem ſub iuramento profeſſus fuerit: neque ad communionem Eccleſiæ admiſſum iri, donec Neſtorium condemnet: ſuasque ad Flauianum literas recipiat: & ideo ſuos nuncios miſit, qui eius fidem explorarent: aliosquè Epiſcopos, à Dioſcoro ad ſubſcribendum coactos, abſoluerent. Eodem Anno, Anatolius, Pontificis nuncijs profeſsionem fidei exhibuit: & literas Sancti Leonis ad Flauianum ſubſcripſit. Eodem Anno, Martianus Imperator, binas ad Sanctum Leonem dedit literas: vt, loco, quo vellet, Synodum in-

diceret Oecumenicam. Anno 451. fuit Concilium Chalcedonense; quod quantum Romano Pontifici tribuerit; retuli supra. Eo finito, cùm post egressum Legatorum Romanorum, & discessum Episcoporum Ægypti, alij Græci Episcopi, ab Anatolio persuasi, scripsissent Canonem de Sede Constantinopolitana, omnibus alijs Orientalibus Patriarchijs præferenda; Romani Legati, re cognita, acriter coram illis ipsis conquesti sunt, de iniuria alijs Patriarchijs facta: violatisque Nicænis Canonibus: suntquè protestati: neque se, neque Pontificem, huic Canoni assensuros: quo facto, Patres Chalcedonenses quæ de præeminentia Sedis Constantinopolitanæ statuerunt; à Sancto Leone petiere confirmari: eo ipso testati, Constantinopolitanos Episcopos nunquam alijs Patriarchis in Ecclesia Catholica prælatum iri, donec Pontifex Romanus annuerit. Quod vt à Sancto Leone impetrarent; etiam Martianus Imperator, cum Imperatrice Pulcheria, pro Anatolio supplicarunt, Anno 452. quibus tamen Sanctus Leo rescripsit: se id facere non posse: quod Ecclesiasticis Canonibus, & dignitati antiquissimarum Patriarchiarum derogaret: ipsum verò Anatolium, magna vi verborum, & Apostolico Spiritu, dehortatus est ab instituto: ne per calcatas Antiquissimarum Patriarchiarum prærogatiuas, cum Canonum Nicænorum violatione, efferri vellet: sciretquè: se nunquam id fieri permissurum.

Anno 453. Cùm Anatolius, ad deprimendam Sancti Leonis authoritatem, finxisset; reijci ab eo Concilium Chalcedonense; Sanctus Leo, alias literas, ad Græcos Episcopos dedit: in quibus, damnatis hæresibus Nestorij, & Eutychis, & Concilij definitionibus fidei confirmatis; professus est: nunquam se permissurum Episcopum Constantinopolitanum contra Nicænos Canones Patriarchiæ Alexandrinæ præferri: & cùm, idem Anatolius, Aetio Archidiacono dignitatem eius sustulisset; eiquè quendam Eutychianum suffecisset; eum coram Imperatore accusauit: estquè ei anathema, nisi resipuerit, comminatus.

Anno 454. Anatolius, pluribus Pontificijs literis reprehensus, & ab Imperatore desertus, cæptis destitit: sequè recepit nunquam deinceps hanc prærogatiuam quæsiturum: atque Aetio, dignitatem, quâ eum mouerat, restituit. Ita Sancti Leonis constantiæ, tantus Episcopus cedere tandem debuit: & Pontificali voluntati, Canonem de sua Præeminentia Chalcedone conditum submittere. Eodem anno, Sanctus Leo, certior factus; ab Eutyche in locis quibus exulabat, suum virus diffundi; petijt: vt in locum minùs habitabilem amandaretur: idq; impetrauit anno 457. Idem Sanctus Leo, ad Anatolium eundem scripsit epistolam: (quæ numero est 76) in

ea laudat

ea laudat eius hospitalitatem, quam Catholicis ex Ægypto venientibus exhibuit: at eundem reprehendit: quòd quosdam hæreticos, occultè hæresim Constantinopoli disseminantes, è cætu Ecclesiæ non excludat: sed eos impune id agere patiatur: quod ipsum, fieri queritur, in epistola 75. data ad Leonem Imperatorem. Anno 458. Idem Sanctus Leo, reprehendit Anatolium: quòd Atticum quendam hæreticum, non seruato rigore Ecclesiastico, ab hæresi absoluerit; & præscribit epistola 77. quid à quouis hæretico resipiscente, & absolutionem petente, exigere debeat. Ita, in ipsa Ciuitate Constantinopolitana, hoc plane ipsum regimen, exercuit Sanctus Leo in Patriarcham Orientalem; quod Romæ in Episcopos Occidentales.

Anno 467. Leo Imperator, quod nec ille, nec Martianus à Sancto Leone impetrare potuit, ab Hilario Papa impetrare tentauit: vt Canonem Chalcedonensem de Præeminentia Sedis Constantinopolitanæ confirmaret: sed non impetrauit: immo missus est à Pontifice legatus ad Imperatorem, Probus, Episcopus Canusinus: qui hoc ei disuaderet; spemquè omnem eius impetrandi tolleret.

Anno 472. Acatius Episcopus Constantinopolitanus, malè persuasus, primatum Romanæ & Apostolicæ Sedis, ruente Occidentali Imperio, esse collapsũ; se allijs Patriarchis præferre cæpit: sed vt Anatolio Sanctus Leo Magnus, & Hilari⁹, Pontifices restitere; ita & Acatio, Simplicius & Felix.

Anno 475. Cùm Timotheus Elurus homicida, à Constantinopolitana plebe; cum gratulatione exceptus esset; Acatius in gratiam Zenonis Imperatoris Eutychiani, tantos ei honores haberi permisit. At Clerus, & Archimandritæ Constantinopolitani, Ecclesias clauserunt: ita vt, eis exclusus Elurus, in priuatis domibus sua impia sacra peragere debuerit. Quod ipsũ, vt tolleretur, ijdem Archimandritæ, scripsere ad Simplicium Papam, misso ad eum Epiphanio legato, auxiliumquè ab eo petiere.

Anno 476. Pontifex scripsit ad Zenonem Imperatorem: petens, ab illo homicida Ecclesiam Dei liberari: scripsit & ad Acatium: eum constituens suum ad Imperatorem legatum: (quod bene expendendum est:) vt eum inflammaret, ad resistendum hæreticis: scripsit & ad Clerum Constantinopolitanum, & Archimandritas: eos adhortans, vt hæreticis resistere non desisterent.

Anno 478. Idem Simplicius Papa, etsi grauissima barbarorum tyrannide premerereretur, non reliquit Orientalium Ecclesiarum curam: sed sæpius ad Acatium scripsit; desiderans ab eo de omnibus quæ agerentur certior fieri: atque omni quo potuit studio Ecclesiarum earundem seruiuit necessitati: vt vel ex eo manifestum fieret; regimen Romani Pontificis,

etiam collapſo Occidentali Imperio non euerti: vt pote non ab hominibus inſtitutum, ſed à Deo.

Anno 483. Felix Papa, Enoticon Zenonis Imperatoris damnauit; quod Orientales Patriarchæ cum aliquibus Epiſcopis approbauerunt: deinde Acatium, vt fautorem hæreticorum, ad Romanum iudicium citauit: & citationem per ſuos nuncios Epiſcopos, miſit: qui priusquam Conſtantinopolim venirent; Cyrillus Cænobiarcha Acæmetarum, ſcripſit ad Felicem Papam literas: quibus ei explicat, quàm multa contra fidem Orthodoxam fierent: petitquè quàm celerrimum ſubſidium.

Anno 484. Cùm Romani legati territi Zenonis Imperatoris tyrannide, & vinculis, quibus ab eo fuerant iniecti, communicaſſent Acatio; quod eis à Pontifice, grauiter prohibitum erat; Cyrillus alijque Hieromonachi, Conſtantinopolitani, id Pontifici, miſſo ad eum Nuncio, celerrimè ſignificarunt: Pontifex nuncios Romam reuerſos, in Concilio Romano iudicatos, Epiſcopatu priuauit: & in eodem Concilio in Acatium anathema iecit: (*notetur id diligenter:*) iactumquè; per Defenſorem, Conſtantinopolim miſit. Ita tunc, tres Orientales Patriarchæ, Petrus Mogus Alexandriæ, Petrus Fullo Antiochiæ; Acatius Conſtantinopolis, excommunicati: & anathematiſati à Romanis Pontificibus fuêre.

Anno 485. Felix Papa, Acatium excommunicatum ad pœnitentiam reducere conatus eſt, per Andromachum virum clariſsimum: ſed, apud hominem pertinacem & arrogantem, nihil effecit: eâ fortaſſe, de causâ, poſt biennium, ad Diuinum tribunal raptum.

Anno 488. Acatio ſucceſsit Flauitas, fraude nactus Epiſcopatum: quem tamen non priùs adijt, quàm ad Felicem Papam illuſtres miſiſſet legatos: qui ei confirmationem impetrarent: ſed Felix, certior factus de eius hypocriſi & mendacijs, Legatos eius Româ expulit.

Anno 489. Flauitæ ſucceſsit Euphemius, qui mox ad Felicem Papam miſit legatos: ab eo petens recipi in communionem: quæ ei non aliter promiſſa, quàm vt Acatium ſacris diphtychis expungeret: vt iam expunxerat Mogum Alexandrinum.

Anno 492. Idem Euphemius, miſit ſuæ fidei profeſsionem, ad Gelaſium Papam: Felicis Succeſſorem: recipi ab eo petens in communionem; quæ cùm ei, non niſi, ſub data à Felice conditione offerretur; iterum, ad eundem Papam, nouum legatum miſit: petens, ne tam dura ab eo conditio exigeretur: ſed Gelaſius prolixas ad eum literas dedit: quibus docebat; non poſſe eum integritatem fidei Orthodoxæ retinere, quamdiu communicaret Acatio fautori hæreticorum. Quod cum contemneret Euphemius, præ-

us, præclaram Epiſtolam ſcripſit, ad Epiſcopos Dardaniæ: eos adhortans; vt ab Euphemij cõmunione abſtinerent: quod illi, ſe facturos polliciti ſunt: Sanctè affirmantes: ſe ei vt Patri Patrum, debitum præſtituros obſequium.

Anno 493. Idem Pontifex Gelaſius, Fauſtum (vnum, è Legatis Theodorici Regis, ad Anaſtaſium Imperatorem miſsis,) inſtruxit: vt eundem Euphemium induceret ad hoc explendum; quod Pontifex ab eo exigebat: quod cùm ille facere nollet, ſequè minaretur, Pontificem ad ſuum tribunal citaturum; ſcripſit idem Commonitorium Fauſto: in quo inter alia ait: *Quo nos citabit? An non de tota Eccleſia Sedes Apoſtolica iudicat, ipſa verò à nemine iudicatur?*

Anno 495 Cùm Euphemius, tanta pertinacia, negaret Acatij nomen è diphtychis tollendum; vt eapropter Orientales Eccleſias à communione Romani Pontificis auertere conaretur; Gelaſius Papa ſcripſit Encyclicam epiſtolam ad Epiſcopos Dardaniæ: in qua arguit Euphemiũ arrogantiæ: quòd Regiæ ciuitatis fiducia, ſe alijs præferret Epiſcopis: qui alioqui Metropoli Heracleenſi ſubiectus eſſet; & quidquid haberet dignitatis, Romanis id Pontificibus acceptum referre deberet; cùm alijs quoque ciuitatibus, Regum & Imperatorum habitatio, nihil ad dignitatis Eccleſiaſticæ augmentum contulerit. Nihil hæc mouêre Euphemium: ideo, pertinaciam eius puniente Deo, eodem anno, ab Imperatore Epiſcopatu deiectus, Macedonium habuit Succeſſorem: qui libenter, communionem Romani Pontificis, victis omnibus difficultatibus petijſſet; niſi ab impio Imperatore Anaſtaſio fuiſſet prohibitus.

Quintum Seculum, & ſequentia, illuſtriſsima exhibuere Pontificij Regiminis argumenta. Nam in illis, Romani Pontifices, etſi grauiſsima barbarum gentium, & deinde Exarcharum Græcorum, premerentur ſeruitute; tantam Orientalium Eccleſiarum curam habuerunt, & tantâ authoritate eas gubernarunt, quantâ Eccleſias Occidentales.

Anno ergo 502. Symmachus Papa, etſi non ſolum Gothorũ tyrannide, ſed etiam graui calumnia premeretur; in Synodo Romana, Anaſtaſium Imperatorem excommunicauit: & excommunicationẽ Acatij, eiusq; aſſeclarum repetijt: & ad Imperatorem, fortes & Spiritu Apoſtolico plenas dedit literas: inſertas Tomo primo Bibliothecæ Sanctæ: quæ præclarè demonſtrant: quantum Pontificia dignitas Regiæ præmineat. Anno 512. Epiſcopi Græci, ſcripsêre ad Symmachũ, literas ſupplices: quibus petiere, ne ob vnum Acatium, omnes excommunicentur: agnoſcunt eum, ſuper omnes Oues Chriſti, per omnem habitabilem orbem, vniuerſalem habere præfecturam: & addunt, *Si poſſemus, libentes tuis aduolueremur pedibus: ad referen-*

referendam nostræ præuaricationis medicinam. Anno 516. & seqq. Alexandrinam, Antiochenam, Constantinopolitanam Ecclesiam, rexere hæretici: eisdem adhæsit, Dorotheus Thessalonicensis Episcopus: sed quadraginta Episcopi ei subiecti, summo Pontifici adhæsêre. Eodem anno, Ioannes Nicopolitanus Episcopus in Epiro, è Synodo Prouinciali, misit Romam, Rufinum Diaconum, cum fidei Catholicæ professione: hæreseonquè & eius fautorum condemnatione. In eisdem literis, Synodus illa petit: vt eos instruat: & sicut Pater Patrum, & omnium Episcoporum dux gubernet. Idem Ioannes, cùm à Dorotheo Thessalonicensi affligeretur, cum suis asseclis; ad Pontificem Sanctum Hormisdam confugit: qui eos per literas solatus, & ad tolerantiam adhortatus, quô eis aliquod obtineret auxilium; suos ad impium misit Imperatorem legatos: quos homo hæreticus grauiter afflixit: sed hoc ipso anno, scelerum suorum debitum supplicium, fulmine ictus, luit.

Anno 518. Iustinus Imperator de sua Electione significauit Sancto Hormisdæ Papæ. *Dei (inquit) beneficia, licet multis, maximè tamen Summis Pontificibus, conuenit indicari.* Quod eum debiti causa exoluendi fecisse; innuit Sanctus Hormisda ita rescribens: *Debitas imperij vestri Beato Apostolo primitias reddidistis: quas hâc ratione deuoti suscipimus. &c.* Anno 519. missi sunt à Pontifice Constantinopolim legati: vt exigerent ab Episcopo Constantinopolitano: vt is fidei formam quam mittebat Pontifex, præsente populo, vel saltem præsentibus Clericis, & Archimandritis profiteatur: datisquè, ad omnes sibi subditas Ecclesias, literis, hoc ipsum cunctis faciat innotescere: se nimirum non solùm Acatij, sed etiam Flauitæ, Euphemij, Macedonij nomina, è diptychis, Romani Pontificis iussu, expunxisse: quibus ea, frequentissimâ populi Orthodoxi acclamatione, & summâ Patrum Orientalium Græcorum ac Syrorum voluntate, Iustino Imperatore assentiente, intulerat. In eo libello fidei, quem Episcopus Constantinopolitanus, (cum omnibus Episcopis Orientalibus qui ad communionem recipi voluerint;) subscribere iubebatur; habentur ea verba. *Non potest Domini nostri dicentis; Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c. prætermitti sententia. &c. Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica, inuiolabilis sēper Catholica custoditur religio.* Huic libello, subscribpsere; Ioannes Episcopus Constantinopolitanus: aliique diuersarum ciuitatum Episcopi: & Archimandritæ: continuoquè nomina Acatij, Flauitæ, Euphemij, Macedonij, Timothei, per omnes Ecclesias è Sacris tabulis erasa sunt: & insuper nomina Zenonis & Anastasij Imperatorum: in quo, Sedis Romanæ, insuperabilis & plane petrea potestas, mirificè enituit. Visa certè tunc Roma,

etsi ho-

etsi hostili iugo pressa, vniuerso leges dicere Orienti: hominumquè animos, diu rebelles, trahere in obsequium veritatis.

Anno 520. Sanctus Hormisda, Epiphanium in Sede Constantinopolitana Ioannis Successorē, quod post suam electionem Romam legatos mittere moraretur; ita reprehendit: *Diu nos, non nunciata tuæ dignitatis primordia, tenuere suspensos: & in ipsa communis lætitiæ gratulatione mirati sumus: MOREM PRISTINVM FVISSE NEGLECTVM: quia id plenum fraternæ pacis flagitabat officium: præsertim, quia illud sibi non arrogantia personalis, sed Regularum obseruantia vindicabat. &c.* Et infra. *Legationem tuam, eâ qua dudum gratiâ, sustinemus: & fulti veteribus constitutis, exigimus.* Expendatur, quid, & quo titulo, ab Episcopo Constantinopolitano tam humilis & Sanctus exegerit Papa. Paruit monitis Epiphanius: & mox ad eum honorificam expediuit legonnem. Eodem anno, Sanctus Hormisda, paulò acrius reprehendit Epiphanium: quòd Eliam Episcopum Cæsareæ, aliosquè pulsos ab Eutychianis, suis Episcopatibus restituere moraretur.

Anno 521. Sanctus Hormisda, Scythensium Monachorum propositionem, quâ asserebant, credendum esse; vnum ex Sanctissima Trinitate crucifixum esse; ab Orientalibus Episcopis requisitus, reiecit; iussitquè eam silentio supprimi.

Anno 523. Ioannes Papa Constantinopolim à Theodorico Rege missus, summa est à tota ciuitate veneratione exceptus: vt dictum supra.

Anno 534. Ioannes Papa, à Iustiniano Imperatore, & Episcopis Orientalibus requisitus, illam propositionē; Vnum ex Sanctissima TRINITATE crucifixum esse; quam Hormisda iudicauerat silentio supprimendam esse; mutatis circumstantijs, & Nestorianis inualescentibus, definiuit esse verā: & prædicandam: & Acæmetas contrarium sentientes, damnauit: quòd facere Orientales Episcopi inconsulto Pontifice non sunt ausi.

Anno 538. Anthymus Euthychianus, in Sedem Constantinopolitanam à Theodora Augusta intrusus: quô Orthodoxis imponeret; disertè coram Imperatore professus est: se in omnibus assensurum ijs, quæ summus Pontifex, Magnæ Sedis Apostolicæ, decerneret: & ad alios Patriarchas scripsit: se per omnia Apostolicam Sedem sequi: nulla quippe Orthohoxæ fidei certior erat probatio, quàm si quis diceret se credere quidquid Romana Ecclesia credit.

Anno 536. Agapetus Papa, etsi ita pauper, vt à Theodoto Gothorum Rege Constantinopolim missus, vasa Sacra oppignorare debuerit; quo suam subleuaret egestatem, in ipso Græciæ ingressu, virtute miraculorum

à Deo

à Deo honoratus; Constantinopolim ingressus, Anthimum, gratiâ Imperatoris & Augustæ pollentem, pluriumquè Episcoporum suffragijs confirmatum, ipsemet propria authoritate, nullo super hoc coacto Concilio damnauit: Episcopatuque priuauit: victori gentium Imperatori, leges condens: & ab eo perperam facta rescindens: & rogatu Imperatoris, Mennam in Episcopum Constantinopolitanum consecrauit: postquam is fidei professionem fecisset, iuxta formam libelli à Sancto Hormisda Constantinopolim missi. Eodem anno Iustinianus Imperator, edidit contra hæreticos Nouellam 42. in quâ expresse fatetur: Anthymum de Sede Regiæ vrbis esse deiectum, à Sancto gloriosæ memoriæ Agapeto, Sanctissimæ Ecclesiæ antiquæ Romæ Pontifice.

Anno 538. pro Sancto Siluerio Papa à Iustiniano Imperatore in exilium pulso, scripsit Episcopus Patarensis ad Imperatorem: estque iudicium Dei contestatus; de tantæ Sedis Episcopi expulsione; multos addens esse in hoc mundo Reges: & non esse vnum, sicut ille Papa est, super Ecclesiam mundi totius; à sua Sede expulsus. Quibus literis motus Imperator, iussit reuocari Sanctum Siluerium: sed fraude eorum, qui Theodoræ Augustæ gratiam aucupabantur; in insulam Palmariam relegatus est: vbi Sanctè obijt.

Anno 540. Vigilius Papa, legitima electione mirificè immutatus est: constantiamquè, vnâ cum pallio legitimè excepto, induit Apostolicam: moxquè contra quàm Theodora sperauerat, anathema, in Anthymum eiusquè asseclas, à suis antecessoribus iactum, confirmauit: moxquè ad eum, iuxta veterem consuetudinem, Iustinianus Imperator, & Mennas Patriarcha professionem fidei misit.

Anno 545. Mennas, de tribus Capitulis, Imperatoris edicto, eâ solâ conditione se subscripsisse iurauit; quòd suum chirographum reciperet, si hæc Romanus Pontifex non probaret: tanti hic Sanctus Episcopus faciebat Pontificiam authoritatem; etiam in Vigilio, cuius personalia vitia non poterat ignorare.

Anno 547. Vigilius Constantinopoli manens, nulla habita ratione Imperatoriæ dignitatis, Theodoram Augustam, & Acephalos, Seuerianos, & Eutychianos, nulla Synodo præuia, excommunicauit: teste Sancto Gregorio Magno lib. 2 epistola 36.

Anno 551. Vigilius, Theodorum Episcopum Cæsareæ Cappadociæ, præpotentem Iustiniani armigerum, excommunicauit: & Mennam Episcopum Constantinopolitanum, cum alijs Episcopis, qui Theodoræ præsumptioni assensi sunt, à sacris suspendit: deinde iræ Imperatoris cedens, cùm ad

cùm ad Sanctam Euphemiæ Basilicam recessisset; inde ad omnes Catholicos encyclicam epistolam misit; etiam in illo secessu testatus, penes se omnium Ecclesiarum regimen & solicitudinem esse. Qua Vigilij constantia motus Imperator, sua de tribus Capitulis edicta refixit: & quod voluit Pontifex, cuncta Generali Concilio reseruauit. Theodorus quoque omnium malorum incentor, pœnitens facti, libellum supplicem obtulit Vigilio: quo, & fidem rectam, est professus: & eius consilium, de quæstione de tribus Capitulis silentio premenda, approbauit: & irrogatarum Pontifici iniuriarum veniam petijt. Idem fecit Mennas: amboquè in communionem à Pontifice recepti sunt; quæ omnia referuntur in Vigilij Constituto: Quintæ Synodo oblato.

Anno 553. Mennæ succedens, Sanctus Eutychius, Vigilio, more maiorum suæ fidei professionem obtulit. Reliqua, quæ huc spectarent; retuli supra.

Anno 555. Iustinianus, quod ab alijs Pontificibus impetrare non potuit, tandem à Vigilio impetrauit: vt Prima Iustiniana, eius natale solum, Metropolitanæ Sedis augeretur dignitate: atq; eius Episcopus, vt vteretur pallio: & Apostolicæ Sedis in Græcia Vicarius esset.

Anno 587. Pelagius Papa, Acta Synodi Constantinopolitanæ, habitæ sub Ioanne Patriarcha, Sancti Eutychij Successore, rescidit: & Archidiaconum suum Constantinopoli manentem, vetuit Sacris Ioannis Patriarchæ assistere: donec is Oecumenici Patriarchæ ambitiosum titulum, abijceret. De quò actum supra.

Anno 592. Hadrianus Thebanus Episcopus, à suo Archiepiscopo Primæ Iustinianæ iniquè Episcopatu exutus, appellauit ad Sanctum Gregorium Papam: (non ad eum, qui se Constantinopoli Oecumenicum scribebat Patriarcham;) & à Sancto Gregorio, suæ Sedi est restitutus: & Archiepiscopo, 30. dierum pænitentia indicta. Eodem anno, idem Sanctus Papa, Natalem Salonitanum Episcopum, in Græcia, grauiter ob quædam scelera reprehendit: eiquè, nisi resipuerit, excommunicationem & Episcopatus priuationem comminatus est.

Anno 593. Sanctus Gregorius misit Constantinopolim Sabinianum Diaconum, qui ambitionem Ioannis Constantinopolitani Patriarchæ, qui se Oecumenicum Patriarcham scribebat, comprimeret: eumquè multarum aliarum rerum admoneret: quæ monita Sancti Gregorij, cùm ambitiosus contemneret Patriarcha, non multò post ad tribunal Diuinum euocatus est.

Anno 595. Idem Sanctus Gregorius, Maximum Episcopum Salonitanum,

num, de Simonia suspectum; & fiduciâ fauoris, Mauritij Imperatoris, quiduis audentem; Rauennam ad suum tribunal citauit: ad quod cùm se stitisset, suamquè innocentiam iuramento firmasset; confirmatus in Episcopatu, & pallio inuestitus est.

Anno 596. Cyriacus Patriarcha Constantinopolitanus, misit ad Sanctum Gregorium legatos: cum fidei suæ professione: quem Sanctus Gregorius ab Episcopis, qui eum illi commendauerant, iussit ordinari: suum tamen legatum Sabinianum monuit: ne priùs Sacris eius communicaret, quàm is Oecumenici Patriarchæ titulo renunciaret: quod etiam anno 597. in literis ipsi Cyriaco & Mauritio Imperatori scriptis, repetijt: professus, Cyriacum ad communionem Ecclesiæ non admissum iri, nisi ambitiosè cæptis destiterit. Et rursus, anno 603. ad eundem Cyriacum, scripsit hoc ipsum. Cuius ille pijs monitis obsequi, cùm recusaret; Imperio Phocæ Imperatoris obsequi coactus est: & dolore suæ ambitionis coërcitæ oppressus, mortuus est.

Sexti seculi, anno 639. Seuerinus Papa, Ectesim Heraclij Imperatoris, ei, incitante Sergio, Patriarcha Constantinopolitano, Monothelita, per Exarcham Romanorum, oblatam; damnauit: & anathemati subiecit: Propter quod Græci, Lateranensem Basilicam deprædati sunt: & clerum Romanum, præsertim Cardinales vrbe expulerunt.

Anno 640. Ioannes Papa, nihil moratus Græcorum tunc in vrbe dominantium potentiam, hæresim Monothelitarum, vna cum Ectesi Heraclij Imperatoris damnauit: vtquè, idipsum, Africanæ, Numidicæ, Mauritanicæ Ecclesiæ facerent; dux fuit: & author.

Anno 642. Nullus in Oriente fuit Catholicus Patriarcha. Nam Paulus Constantinopoli, Petrus Alexandriæ, fuere Monothelitæ: Antiochenus & Hierosolymitanus, per Saracenos extincti fuere. Imperator Constantinopolitanus Constans, fuit hæreticus Monothelita. Neque tamen tantis difficultatibus prohibitus est Theodorus Papa, quin Ecclesiarum Orientalium curam susciperet diligentem.

Anno 645. Pirrhus Constantinopolitanus Patriarcha, Constantinopoli profugus, in Africam venit: ibique celebrem, Carthagine, cum Sancto Maximo Martyre, habuit disputationem: quâ superatus, veritate agnitâ, Monothelismum abiecit: & Romam ad petendam absolutionem à Theodoro Papa, venit: à quo humanissimè exceptus, suæque Constantinopolitanæ Patriarchiæ restitutus est. In ea disputatione, cùm Pirrhus interogasset Sanctum Maximum; quid diceret de Honorio, qui vnam in Christo voluntatem confessus est; respondit Sanctus Maximus: Honorium solùm docuisse:

docuiſſe : in Chriſto quâ homo eſt, eius humanam voluntatem vnicam fuiſſe : vt pote nullam habentem inclinationem ad malum : quam nos poſt Adæ peccatum habemus : atque, ad hoc confirmandum, literas eius, ad Sergium Conſtantinopolitanum Patriarcham citauit : at, nunquam (*inquit*) Honorius dixit : eſſe vnam in Chriſto voluntatem, quâ Deus homo eſt.

Anno 648. Paulus intruſus Patriarcha Conſtantinopolitanus, à Theodoro Papa, ob Monotheliſmum, excommunicatus eſt : & ab eodem, edictum quoddam Conſtantis Imperatoris Monothelitæ, quod dicebatur Typus, damnatum eſt. Ab eodem Pyrrhus cùm ad vomitum rediјſſet, & Conſtantis Imperatoris aucupandæ gratiæ ſtudio, Monotheliſmum amplexus eſſet, excommunicatus & damnatus eſt. Quo irritatus Conſtant, grauiter Romanos Catholicos perſecutus eſt. Interea notandum eſt, quàm inuictam, Romanis Pontificibus, conſtantiam, etiam ad errores Orientalium coërcendos, indiderit Chriſtus : qui eo ipſo tempore, quo graui ſeruitute à Conſtantinopolitanis Imperatoribus premebantur, quorum fiduciâ Conſtantinopolitani Patriarchæ, totius Eccleſiæ Vniuerſale regimen ſibi arrogabant ; tam Imperatoribus, quàm Patriarchis, generosè reſtiterunt : quoties hi à veritate aberrarunt.

Anno 649. Sanctus Martinus Papa, in Synodo Lateranenſi, præſentibus Epiſcopis 106. & Sancto Maximo Martyre, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum, Conſtantinopolitanos Patriarchas, (qui ſe dicebant, & ſcribebant Oecumenicos ;) damnavit : vnâ cum Ecteſi Heraclij : & Typo Conſtantis Imperatorum : in quo eximia eius fortitudo eluxit, quòd eo tempore quo premebatur Italia armis Longobardorum, & Roma dominio Græcorum ; nullo ſibi fauente Orientali Patriarha ; Orientalium Imperatorum edicta, & Patriarcharum doctrinam, damnauerit : meritò eapropter etiam in Slauonicis Menologijs magnopere laudatus.

Anno 649. Idem Sanctus Martinus, Paulum Metropolitam Theſſalonicenſem, ob Monotheliſmum Epiſcopatu priuauit : eiusquè clerum monuit : ne eum pro Epiſcopo haberent.

Anno 653. Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus Monothelita, poſt ſuam electionem, fidei ſuæ profeſsionem, ex antiquo more, miſit ad Eugenium : Vicàrium Sancti Martini Papæ, ab Impio Imperatore in exilium relegati. ſed ab eo reiectus eſt.

Anno 667. Vitalianus Papa, Paulum Archiepiſcopum Cretenſem, quòd Ioannem Epiſcopum Lappæ, Romam appellare prohibuiſſet, grauiter obiurgauit : anathema ei comminatus, ſi denuo id agere præſumpſerit. Ipſū verò Ioannem, comperta eius innocentia Epiſcopatui reſtituit ; & damna ei compenſari iuſsit.

Anno 678. Constantinus Pogonatus, Catholicus Imperator, ad Donnum Pontificem, scripsit literas, ita inscriptas: *Donno Sanctissimo & Beatissimo Archiepiscopo, antiquæ nostræ Romæ, & Oecumenico Papæ.* In eis petijt: vt missis suis legatis, & 12. Metropolitis, dissidia Orientalium Catholicorum componeret. Anno 680. Fuit Sexta Oecumenica Synodus: de qua supra.

Anno 684. Constantinus Imperator, Cæsariem filiorum primò tonsam, ad Benedictum Papam misit: significans quòd ab eis habeatur pro Patre, cuius illi consilijs semper obsequi velint.

Anno 692. Græci Episcopi, Constantinopoli congregati, in Conciliabulo Trullano, (quod illi Concilium Quinisextum vocant) scientes Canones ibi conditos, nihil momenti habituros, sine assensu Papæ; per Imperatorem Iustinianum efficere conati sunt: vt à Sergio Papa confirmarentur: sed hoc ab eo obtinere non potuerũt: ita vt eius constantia irritatus Imperator, miserit Romam Protospatarium, qui Sergium Papam Constantinopolim abduceret: sed eum Deus defendit, per milites præsidiarios. Hoc ipsum idem Imperator, à Ioanne 7. genere Græco, per duos Metropolitas à se missos; & deinde à Constantino Papa, genere Syro, obtinere tentauit: sed nihil effecit. Atque ita, hi Canones, qui ad deprimendum Romanæ Sedis primatum, & Latinarum Ecclesiarum contumeliam, conditi fuêre; Apostolicæ Sedis authoritatem maximè illustrarunt; cùm, tanto studio, eorum confirmationem, à Papa, Orientis & Occidentis Imperator quæsierit: eo ipso testatus, suam, & totius Ecclesiæ Orientalis sententiam, esse; eos canones nullum habituros in Ecclesia Catholica momentum; nisi à Romano Pontifice approbentur. Et verò, multò ante, Gelasius Papa inter apocrypha retulit, 85. Canones, qui in eo Conciliabulo pro Apostolicis sunt acceptati: pro qualibus per 600. annos nunquam sunt habiti: & multa absurda ibi, decretis aliorum Conciliorum Oecumenicorum & Prouincialium repugnantia, sunt constituta: vt meritò, titulus legitimi concilij, conuenticulo huic negetur.

Septimi Seculi, Anno 703. Callinicus Patriarcha, Conciliabuli Trullani, & Canonum in eo cusorum Author, exoculatus, Romam in exilium pulsus est: apud eum (ò Iudicia Dei!) cibum quæsiturus; ad cuius Sedis authoritatem deprimendã, Concilio conuocato, Canones condidit: eumquè ipsum Imperatorem, quem ad affligendos Romanos Pontifices incitabat, iusto, ita volente, iudice Deo, suorum est scelerum expertus vltorem.

Anno 705. Iustinianus Imperator, certior factus, in Romanum Pontificatum euectum esse Ioannem Septimum; genere Græcum; duos ad eum misit Me-

misit Metropolitas: supplicans; vt Canones Trullanos confirmaret: vel saltem pro arbitrio reiectis qui viderentur reijciendi, aliquos admitteret: sed nihil obtinuit.

Anno 709. Idem Iustinianus, Constantinum Pontificem, inuitauit Constantinopolim: suisquè Præfectis vrbium mandauit: vt Pontificem ad se venientem summo honore exciperent. Anno 710. Constantinus Papa, honorificentissimè ab Imperatore Iustiniano, & tota Ciuitate Constantinopolitana est exceptus: ipso Imperatore ad oscula pedum Pontificis se abijciente: neque tamen ab eo, quantumuis tantopere honorato, Canonum Trullanorum obtineri potuit confirmatio.

Anno 711. Philippicus Imperator, misit Romam fidei suæ professionem, quam vt hæreticam Constantinus Papa reiecit.

Anno 712. Orientales Episcopi, duce Ioanne Patriarcha Constantinopolitano, Philippici minis inducti, Concilium Sextum damnauerunt: & hæresim Monothelitarum confirmauerunt: Magno Ecclesiæ Orientalis probro: quia tunc apparuit: quàm parum, illarũ partium Episcopis, fidei Orthodoxæ, & in auita retinenda religione constantiæ inesset.

Anno 713. Anastasius Imperator, ad Constantinum Papam suæ fidei professionem misit: atquè ideo, Pontifex, Constantinopolim suum legatum Michaelem Presbyterum expediuit: ad recipiendos & absoluendos pœnitentes: qui impij Imperatoris Philippici metu, ad Monothelismum defecerant.

Anno 714. Gregorius Secundus Papa, legatum misit ad Anastasium Imperatorem, à quo per eum obtinuit: vt Ioannes Monothelita, Patriarchiæ Constantinopolitanæ, à Philippico obtrusus, deponeretur: & in exilium ablegaretur: vtquè ei substitueretur Sanctus Germanus Cyzycenus Episcopus: quod & factum est. Anno 726. Gregorius Papa, certior à Sancto Germano factus, de hæresi Iconoclastarum ab Imperatore Leone Isaurico cæpta, doctissimas de cultu imaginum ad Sanctum Germanum literas scripsit: & Synodo Romæ coacta, omnes Iconoclastas damnauit: & anathemati subiecit. Addunt Historici Græci; eundem Pontificem, Religionis Orthodoxæ Zelo, hæresiarchæ Imperatori vectigalia pendi per Italiam solita, detinuisse: reddiquè vetuisse. Sed hoc Latini Historici negant: quin potius testantur, Exarchas Græcorum, sæpiùs, etiam tum à Pontificibus defensos esse: fatentur tamen, Italiam vltro defecisse: indignatam subesse hæresiarchæ, qui summo studio sacrarum imaginum excidium quæreret: ideoquè per Exarchas a se submissos Pontificem occidere conaretur. Annno 736. Idem Papa, Anastasij Pseudopatriarchæ Constantinopolitani, in lo-

ni, in locum Sancti Germani, ab hæretico Imperatore intrusi, literas Confessionis fidei, ex more, à Patriarchis Romam mitti solitæ, reiecit: & damnauit.

Anno 731. Gregorius Tertius Papa, ad Leonem misit, Michàëlem Presbyterum cum literis: in quibus hæresis eius grauissimè reprehendebatur.

Anno 732. Gregorius idem Papa, Synodo Romæ coacta, Iconoclastas damnauit: in eosque anathema iecit.

Anno 733. Idem Papa, post illam Synodum, Legatos ad Imperatorem misit: misère & Itali: se ad eius obsequium redituros polliciti: modo ille, abiecta hæresi, ad Orthodoxam rediret fidem: sed nihil obtinuerunt.

Anno 743. Zacharias Papa, magno licet suæ vitæ periculo, Eutychium Exarcham, à Luidprando Longobardorum Rege defendit: vt vel inde pateat, quàm falsò Græci scriptores scripserunt: Pontifices, Italiam ab Imperio Constantinopolitano auulsisse: & Exarchas expulisse.

Anno 761. Paulus Papa, Græcis ob tyrannidem Iconoclastarum Romam confugientibus, monasterium Sancti Stephani condidit: amplisquè redditibus instruxit.

Anno 769. Stephanus 4. Papa, Synodum Romæ collegit: in qua, inter alia, in Conciliabulum Constantinopolitanum, ad tollendum cultum imaginum factum, iactum est Anathema: lectæquè ibidem literæ, ad Paulum Papam, trium Orientalium Patriarcharum: Alexandrini, Antiocheni, Constantinopolitani, quibus testabantur se in colendis imaginibus Romanæ Ecclesiæ doctrinam sequi: & Conciliabulum Constantinopolitanum reijcere.

Anno 785. Irene Imperatrix, & Tharasius Patriarcha petiere ab Hadriano Papa: vt Constantinopolim, ad componenda illius Ecclesiæ dissidia, veniret: aut saltem legatos mitteret. Adiecit Tharasius, semper à Patriarchis Catholicis, Romam mitti solitam fidei professionem: quam etiam ad alios Patriarchas misit: professus; se credere Spiritum Sanctum à Patre per Filium procedere, imagines esse colendas: & Deiparam esse inuocandam: quæ omnia negabant Iconoclastæ. Annuit votis, eorum Papa: & Legatos misit Constantinopolim: reprehendit tamen Tharasium: quòd contra Canones, è laico in tam sublimem Cathedram assumptus sit: negauitquè se eius electionem confirmaturum; donec eius operâ & labore, imagines Ecclesijs restituantur.

Anno 781. fuit Concilium Nicænum Secundum: in quo (vti semper) primi Legati Pontificis sedêre: in eo quanta fuerit authoritas Pontificia agnita; dixi supra.

Anno

Anno 795. Sanctus Theodorus Studita adulterinum coniugium Constantini Imperatoris, Romam ad Leonem Papam retulit: seque cum suis damnasse illud significauit: in quo à Pontifice laudatus & confirmatus est.

Octaui Seculi, Anno 806. Nicephorus imperij Constantinopolitani inuasor, vetuit Patriarcham Nicephorum, Tharasij Successorem, Romam (vti mos perpetuus erat) professionem mittere: & in communionem recipi petere.

Anno 809. Constantinopoli fuit impium Conciliabulum, in quo impium illud decretum, conditum: Reges, diuinis legibus non teneri: & quemlibet Episcopum à quibusuis Canonibus absoluere posse. Ab eodem Conciliabulo Sanctus Theodorus Studita, & Sanctus Plato alijquè eorum asseclæ, in exilium pulsi. Theodorus ex sui exilij loco per Eustatium Monachum ad Leonem Papam scripsit: significans quid in illo impiorum conuenticulo fuerit conclusum: & celerem petens contra hæreticos opem.

Anno 811. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, quod metu impij Imperatoris hactenus distulerat, eo à Bulgaris occiso, Legatos ad Pontificem misit: & ad communionem recipi petijt: veniam etiam petens, quòd metu crudelis tyranni, tam diu debitum Romanæ Ecclesiæ officium non exoluisset.

Anno 817. Theodorus Pseudopatriarcha Constantinopolitanus, misit suos Legatos Romam, in communionem admitti petens: sed eos execratus Pontifex, ne Romæ quidem comparere passus est. contra verò Dionysium, Legatum Archimandritarum, magna excepit humanitate: sequè eis aliquam opem afferre conaturum promisit.

Anno 818. Paschalis Papa, Legatos suos Constantinopolim misit: per quos significauit; omnes Iconoclastas esse ab Ecclesia eiectos: & excommunicatos: per quod, ab illa hæresi multi retracti sunt. Idem Papa, Græcos Romam confugientes, humanissimè excipiebat: & cùm, eis alendis, vetera monasteria non sufficerent: nouum eis ad Sanctam Praxedem condidit monasterium: & amplissimè dotauit; templum etiam sumptuosissimè ornauit: vt in eo Græco ritu, Diuinæ laudes canerentur.

Anno 821. Orthodoxi Græci, Constantinopoli congregati ad Michaëlem Imperatorem scripsere: omnium in fide dubiorum resolutionem, Româ, more solito & à Maioribus tradito petendam esse: eò quòd Ecclesia Romana suprema sit. &c.

Anno 823. Iidem, ad Leonem Sacellarium scribentes; professi sunt: Romanum Pontificem ad Oecumenica erigenda Concilia, summum ius habere: sine cuius approbatione, ne prouinciale quidem Concilium aliquid ha-

quid habere momenti posſit. Ibidem, ſuadent: vt ſi neq; Oecumenicum, nec Prouinciale Concilium, commodè haberi posſit, ab vtraquè parte, legati mittantur Romam: atquè inde quid omnino credendum omnibus ſit diſcatur.

Anno 854. Sanctus Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm Gregorium Syracuſanum Epiſcopum, ob eius ſcelera, Epiſcopatu priuasſet; à Leone Papa petijt ſuam ſententiam confirmari: ſed Pontifex negauit ſe id facere poſſe, niſi altera parte audita. En, is Sanctus Patriarcha, ſuum iudicium Romani Pontificis iudicio ſubiecit: memor; antiquis canonibus cautum eſſe, neminem Epiſcoporum Romano Pontifice inconſulto, Epiſcopatu moueri poſſe.

Anno 859. Photius Eunuchus, & Aulicus, Sancto Ignatio deiecto, & poſt grauisſimas afflictiones, in exilium pulſo; Patriarchiæ Conſtantinopolitanæ, ab impio Sacrorum rituum deriſore Imperatore, obtruſus, Epiſcopos Sancto Ignatio adhærentes variè afflixit: & aliquos carceri incluſos, ſolo aluit fæno: memor tamen, ſe inuito Pontifice, legitimum Patriarcham eſſe non poſſe; Legatos ad Nicolaum Pontificem miſit: & mitti etiam ab Imperatore impetrauit: qui peterent; vt Pontifex, ſuos de latere nuncios Conſtantinopolim mitteret, qui diſsidia Eccleſiaſtica componerent: & in Iconoclaſtas, qui adhuc iſthic plurimi erant, anathema repeterent. Miſit etiam Photius, ſuæ fidei profeſsionem; petens in Epiſcopatu confirmari: ſed ſpe ſua fruſtratus eſt. Nam Pontifex, pretioſisſimis donarijs minimè motus, Photij electionem confirmare noluit; immo Anno 860 miſsis Conſtantinopolim Legatis, mandauit: vt causâ Sancti Ignatij & Photij, quam accuratisſimo ſcrutinio expensâ, nullâ in vtramuis partem deciſione factâ, omnia referrent Romam. Mandauit item: vt Photio, in Sacris non communicarent: & Iconoclaſtis anathema dicerent. Scripſit idem eodem tempore Pontifex, ad Michaëlem Imperatorem: grauiter eum reprehendens: quòd ſe inconſulto, Ignatium, ſua Patriarchali Sede amouerit: hominiquè tam pio, Laicum & aulicum ſubſtituerit. Reuocat idem in memoriam, Romanorum Pontificum antiquum ius, ſui Vicarij Theſſalonicæ deſignandi: ad commodius regimen Eccleſiarum: Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter commendatarum: nimirum in Epiro, Illyrico, Macedonia, Theſſalia, Achaia, Dacia, Dardania. Legati Pontificis, Conſtantinopolim ingresſi, malè accepti ſunt; loquendique eis negata poteſtas: & Anno 861. Photius, latrocinali collecto Conuenticulo, Sanctum Ignatium, ex exilio à Ponto vſque Euxino reuocatum, & grauisſimè afflictum, Patriarchali Sede indignum iudicauit: adquè eam iniquisſimam ſententiam

appro-

approbandam, Legatos Pontificis multiplici vexatione, & atrocibus minis impulit: minatus, eos, in tale, à se, exilium pulsum iri; in quo, præ fame, enatos è sua carne vermes comesturi essent. In eodẽ Latrocinali conuentu, non priùs sunt literæ Pontificis lectæ, quàm præmissa earum deprauatione, & omnibus quæ sibi displicerent deletis. Quæ ibidem in Sanctum & venerabilem Senem Ignatium, Imperatorum Constantinopolitanorum Filium, & nepotem, Photianus furor effuderit; legantur in Niceta, Græco vitæ Sancti Ignatij scriptore. Illud vnum hîc commemoro. Deum, S. Ignatij iniuriam vltum, quadraginta dierum terræ motu Constantinopolim concussisse: id quod, à Deo, iniuriæ Sancto Ignatio illatæ vltore, fieri; tota agnouit Constantinopolis: vt etiam, incurius alioqui Diuinorum Imperator, edictum ediderit, quo Sanctum Ignatium ab exilio reuocarit: quo reuocato, terræ motus quieuit. Interea Sanctus Ignatius suam appellationem misit Romam: Pontifici ceu Summo iudici, illatam sibi iniuriam lugubri oratione referens: quam ita concludit. *Tu Sanctissime Domine: exhibe mihi viscera misericordiæ tuæ: & cum Paulo Apostolo loquere: quis infirmatur & ego non infirmor? Recordare antecessorum tuorum Fabiani, Iulij, Innocentij, Leonis, & aliorum, qui pro veritate contra iniquitatem generosissimè dimicarunt. &c.*

Anno 862. Idem Pontifex, scripsit ad Orientales Patriarchas, omnesquè simul Catholicos: vt Sancto Ignatio, tanquam vero Patriarchæ adhæreant: Photium verò sciant, alijsquè omnibus significent; esse alienæ dignitatis inuasorem.

Anno 863. Idem Pontifex, Synodo Romæ coacta, eundem Photium, vt alienæ Sedis inuasorem, Canonum Diuinorum & Ecclesiasticorum præuaricatorem, Episcoporum, aliarumquè personarum tyrannum, excommunicauit: anathemate ictum, dignitate Sacerdotali indignum iudicauit: ac Sede Constantinopolitana deiecit: Sanctum verò Ignatium, eidem sedi restituit: excommunicationem latæ sententiæ comminatus omnibus, qui ei resisterent. Excommunicati item sunt, omnes Photiani asseclæ: estquè eis prohibitus Sanctissimæ Eucharistiæ vsus, vsquè ad horam mortis. Ægre id ferens Imperator, minaces scripsit ad Pontificem literas: sed cordatissimè Sanctus Pontifex respondit: nullis se cuiusquam comminationibus ad æquitatem deserendam adductum iri. Interea, cùm Clerus Græcus, quid de Photio Romæ statutum esset intellexisset; passim eum, hominis pertinaciam detestatus, deserebat: quos ille, eapropter in exilium agebat: carceri includebat: & asceteria eremitarum Græcorum concremabat.

Anno 865. Idem Sanctus Pontifex Nicolaus, Michaëlis Imperatoris literis bla-

teris blaſphemis, & valde contumelioſis animoſiſsimè reſpondit: monens; vt tam blaſphemas literas publicè comburat: alioqui ſe, niſi id fecerit, acceſitis Clericis omnibus & Laicis, igni eas traditurum: ne iniuria Dei, & Sancti Petri, ſilentio ſupprimatur. Iisdem literis, ſubijcit anathema iactum in eos, qui falſa interpretatione eius literas corrumpere præſumpſerint: quod Græcos ſæpiùs iam feciſſe expertus erat.

Anno 866. Michaël Rex Bulgarorum, à Sancto Pontifice Nicolao, Orthodoxæ fidei Magiſtros, & prædicatores, ad ſuæ gentis conuerſionem, miſſis Romam legatis, petijt: quos Sanctus Pontifex libentiſsimè miſit. Eodem tempore, ad Michaëlem Imperatorem, graues & Apoſtolicas literas dedit: ab eo petens; ne Eccleſiam Conſtantinopolitanam turbaret: alioqui ſciret, turbatæ Eccleſiæ, totquè perditarum animarum pænam, celeri ſe morte luiturum: quod Spiritu Prophetico ſcripſit: nam anno ſequenti 867. occiſus eſt: cui ſucceſsit Baſilius Macedo: qui altera, ab induta purpura, die, Photium Conſtantinopolitana Sede deiecit: & Sanctum Ignatium honorificè reſtituit: nono à ſua iniquiſsima expulſione anno. Idem Imperator, ad Nicolaum Pontificem honorificas literas dedit: quarum aliqua verba retuli ſupra. Scripſit item ad Pontificē eundem, Sanctus Ignatius: prædicans in eo, ſummam Sancti Petri virtutem, ad compeſcendos Eccleſiæ hoſtes: petensquè ab eo inſtrui: quid ſibi cum eis agendum eſſet, qui à Photio Ordines Sacros ſuſcepiſſent: quiquè ei adhuc adhærerent.

Anno 868. Baſilius Macedo, certior factus de obitu Sancti Nicolai Papæ, & Succeſſore eius Adriano, Romam Legatum ſuum Spatharium miſit: vbi producti ſunt libri Photij, mendaciorum & falſarum ſubſcriptionum pleniſsimi: vt ideo eos, in terram abiectos, Ioannes Metropolita Silei, cum alijs Legatis Imperatoris, Anathematizauerit: dicens. *Anathema fuiſti Conſtantinopoli: Anathema ſis etiam Romæ. Hæc ſcripſit Photius Seruus Diaboli: mendaciorum textor: nouus Simon. Nicolaus ſeruus Dei, nouus Petrus, Zelator veritatis, te contriuit.* Spatarius vero eosdem libros pedibus calcatos gladio feriens dixit: *Credo hoc ſcriptum, Diabolum inhabitare, nam quæ ipſe eloqui non potuit, per os ſui Sodalis Photij euomuit.* Videant: & accuratè expendant Græci: quem ducem & quem Apoſtolum ſuæ à Romana Eccleſia defectionis ſequantur: qui ab ipſiſmet Græcis, ſeruus & ſodalis vocatus eſt Diaboli. Nequè Scriptori, vel Hiſtorico, falſiloquium obijcere poſſunt: ſcripſit enim hæc Anaſtaſius Bibliothecarius, quem cum Photio, occultæ amicitiæ fædus, Conſtantinopoli iniuiſſe, meritò ſuſpicatur Baronius in Anno 878. Cæterùm his, quæ retuli, præmiſsis; Hadrianus Papa, collecta Romæ Synodo, in Photium eiusquè aſſeclas anathema repetijt: eiusquè li-

què libros calcari ab omnibus iussit: & deinde comburi. Anno 864. Hadrianus Papa, Constantinopoli Synodum Oecumenicam indixit: & ad eum suos misit Legatos: qui Thessalonicæ honorificè excepti: & Constantinopolim deducti sunt: vt retuli supra: moxquè de conuocanda Synodo actum est: vbi iterum soliti Photio tituli liberaliter repetiti: vocatusquè est Simulator, hypocrita, raptor, lupus, inuasor, & alter Lucifer. Vt refert idem Anastasius: & Acta Synodi Octauæ.

Quinta Octobris, Synodus cæpit: in eius prima sessione, post lectum & approbatum ab omnibus fidei libellum, missum ab Hadriano P pa, & ab omnibus, qui in Ecclesiæ communionem recipi vellent, subscribendum: Legati Patriarcharum, Antiocheni & Hierosolymitani, protestati sunt: nec se, nec suos Patriarchas, vnquam Photio adhæsisse: per quod fraus Photij detecta est: qui falsas subscriptiones, suo latrocinali Conciliabulo prætendebat. Secunda sessione, multa de violentia & fraudibus Photij, questi sunt Episcopi & Clerici, ab eo in errorem inducti. Actione quinta, Patriarcharum Orientalium legati, fraudem & imposturam Photio præsenti exprobrarunt. Actione 7. repetita in Photium anathemata: cum innouatis eiusdem elogijs. Dictus, à Patribus ibi congregatis, *Aulicus, inuasor, adulter, parricida, alter Dioscorus, Iudas, Patriarcha morionum. &c.* Actione 8. omnia scripta Photij quæ reperiri potuere combusta sunt. Actione 9. venit Legatus Patriarchæ Alexandrini, & omnia contra Photium acta approbauit. Leontius autem, qui se Patriarchæ Alexandrini Legatum; & Georgius, cum Sergio, qui se, ex instructione Photij, Legatos Antiocheni Patriarchæ mentiebantur; summa omnium admiratione fraudem confessi sunt. Acta huius Synodi, & Photij fraudes, præclarè descripsit Metrophanes Metropolita Smyrnæ: vbi etiam refert, quinquies ei à Prouincialibus Synodis dictum anathema: & semel ab Oecumenica: ita vt etiam nomine & titulo Christiani indignus sit iudicatus.

O qui stupor hominum! qui, hunc fidei suæ Apostolum, quem sciunt, testibus Græcis & Latinis scriptoribus, infamem hominem, & grauissimarum fraudium & mendaciorum fuisse sæpiùs conuictum, elegerint: & Patriarchis quos ipsimet in suis Menelogijs venerantur vt Sanctos; prætulerint.

Anno 871. Sanctus Ignatius, &Basilius Imperator, supplices ad Hadrianum Papam literas misere: petentes; vt per eius dispensationem, ordinati à Photio possint ad superiores ordines promoueri: sed Pontifex negauit sibi licere Sancita Concilij dissoluere.

Anno 871. Crescente Photij factione, rursus Basilius Imperator Romam de-

mam debuit confugere : & à Pontifice petere Legatos ; quorum opera Cleri Constantinopolitani dissidia componerentur.

Anno 878. Obijt Sanctus Ignatius, 23. Octobris : etiam Græcorum Menologio inscriptus : & miraculis, Niceta teste, illustris. Successit ei, reuocatus à Basilio Imperatore, Photius : moxquè in Episcopos sibi contradicentes suum effudit furorem : teste Niceta eodem.

Anno 879. Photius, Magnis promissis & fraudibus, admitti in communionem, & in Patriarchia confirmari, impetrauit à Ioanne Octauo Papa : qui eapropter ab aliquibus, fæmina dictus est : quòd Photio Eunucho, cesserit ; & à generositate suorum antecessorum, Hadriani & Nicolai, desciuerit. Liber omni metu Photius, liberiùs ad solitas sibi redijt fraudes ; literas Pontificias deprauando : atquè eas, quæ nunquam à Pontifice scriptæ sunt, pro Pontificijs venditando : & tandem contra Octauum Concilium suum cogendo Conciliabulum : in quo Octauum Concilium damnauit : aut certè damnatum commentus est. Neque enim credibile est ; rem adeo inusitatam ab omnibus Historicis Græcis, silentio præteritum iri : si reuera vnquam id quod tradidit Photius fuisset factum. Certè, huius æui scriptores, & Historici, curiosi alioqui rerum hoc æuo gestarum scrutatores, nullam huius Photianæ Synodi faciunt mentionem : non Curopalates, non Cedrenus, non Glicas, non alij, quos refert Baronius. Est ergo admodum verisimile : fraudium plurimarum Architectum Photium, huius etiam Conciliabuli Acta, pro sui defensione, & Concilij contra se coacti depressione, confinxisse.

Anno 880. Ioannes Papa, misit Constantinopolim, suum Legatum Marinum : per quem protestatus est : se, si quid sit in Synodo Photiana Actis Concilij Octaui detractum, minimè approbare : sed potiùs euertere, & tollere : quæ cùm, ex fide, Constantinopoli retulisset Marinus ; per 30. dies in carcere detentus est.

Anno 882. Marinus Papa, cùm Ioanni defuncto successisset ; mox in Photium repetijt anathema : omniaquè eius acta rescidit : nihil moratus Basilij Imperatoris minas, calumnias, contumeliasquè.

Anno 884. Basilius Imperator, iratus, quòd Photius ad communionem Ecclesiasticam non admitteretur, literas scripsit ad Hadrianum Tertium Papam, admodũ virulentas : quas cùm, mortuo Hadriano, Successor Stephanus Sextus legisset ; Anno 885. satis animosè respondit : omnem ei spem de Photio in communionem admittendo, & in Patriarchia confirmando, præcidens : innuensquè præstare ; vt Stephano eius Filio, hæc Patriarchia conferatur.

Anno 886. Leo Imperator, acceptis Stephani Papæ literis, ſceleribusquè Photij cognitis, eum in exilium expulit : pluribusquè Epiſcopis accerſitis, ſuaſit : vt Stephanum eius Fratrem, Patriarcham crearent : impetrata à Stephano Papa poteſtate : vt etſi à Photio ordinatus fuerit Diaconus, ad Superiores ordines aſſumi poſset. Aſſenſi eius conſilio Epiſcopi, non pro illo ſolùm, ſed pro omnibus à Photio ordinatis, eandem gratiam petiere : verba eorum, hanc diſpenſationem petentium, ſummam exhibent Romano Pontifici ſubiectionem. Legantur, in Baronio Latino, in hoc anno. Interea Photius, neſcitur vbi, & quali morte, interijt, Vt videatur, quemadmodum viuus fuit Apollonio Thyaneo perſimilis, ita in morte quoque ſimilis fuiſſe : vtriusquè enim, & locus, & modus mortis ignotus eſt.

Anno 891. Formoſus Papa, Succeſſor Stephani, miſit Conſtantinopolim Legatos : qui votis Epiſcoporum Græcorum ſatisfacerent : & cum illis qui à Photio fuere ordinati, Apoſtolica poteſtate diſpenſarent.

Noni Seculi, Anno 911. Leo Imperator obijt. Ante mortem ſcripſit contra Machometanos : & loquens de Sanctiſsima Trinitate ; confitetur Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere. Quod ſignum eſt, etiam poſt Photium, doctiores & probiores viros, eandem cum Romanis, de Spiritu Sancto doctrinam defendiſſe.

Anno 934. Albericus Tyrannus Romanus, muneribus Conſtantini Imperatoris corruptus, à Ioanne Papa coniecto in carcerem, vi extorſit : vt Filio Conſtantini Theophilacto pallium conferret : ſimulquè Patriarchas Conſtantinopolitanos à debito petendi Româ pallij, liberos in perpetuum faceret. Ab eo primum tempore, hoc priuilegio per tyrannidem extorto, pallium & ſuæ electionis confirmationem, Patriarchæ Conſtantinopolitani, Româ petere deſiere : quod euidentiſsimum eſt indicium, Patriarchiam Conſtantinopolitanam Romanorum Pontificum regimini, quàmdiu Apoſtolicæ Sedis inuiolata prærogatiua ſtetit, ſubiectam fuiſſe.

Anno 968. Cùm Nicephorus Phocas, contra Latinos & ſummos Pontifices, qui Ottones Occidentis Imperatores coronarunt, ardens concepiſſet odium ; Patriarchæ Conſtantinopolitani cæperunt in dies magis ac magis inſoleſcere : omniquè obſequio, quod ſemper Romanis Pontificibus, ex debito à maioribus in ſe transfuſo, exhibebant ; renunciare : maximè ; cùm Anno 999. in Sedem Conſtantinopolitanam euectus eſſet Sergius Abbas, de Sanguine Photij deſcendens : qui cum 20. annis Patriarchalem hanc Cathedram rexiſſet : ſemperquè, odio Photiano, Romanam Sedem Apoſtolicam fuiſſet auerſatus ; Schiſma à ſuo Auo, (an patruo ?) conceptum, confirmauit : de quo tamẽ aliquid amplius, inferius dicendum erit. Interea

Anno 980 Sanctus Nilus ex Græcia in Italiam veniens, vnâ cum pluribus suis religiosis, constantissimè cum Sacra Romana Ecclesia retinuit vnionem: quam vt confirmaret, Casini Sacram Liturgiam & Diuinum officium cecinit. Idem interrogatus: quid de ieiunio Sabbati censeret, respondit: neque Græcos esse reprehendendos qui non ieiunant, neque Latinos qui ieiunant: cum vtrique traditionibus à suis maioribus exceptis inhæreant: Cibus nos Deo non commendat: si in Christum credere vellent Saraceni, Diem Dominicam eos ieiunare pateremur: nunc Græci Sabbatum non ieiunant, ad Manichæos condemnandos: Latini ieiunant, ad se in diem Dominicum disponendos; vtrique bene: modò id, integrâ mutuâ faciant charitate. Habitauit Sanctus Nilus in Monasterio Vallis lucis: in quo, se eius disciplinæ excolendum, tradiderat Sanctus Albertus Episcopus Pragensis: quem tamen is remisit Romam ad Monasterium Sancti Bonifacij: in quo etiam plerique mansere Græci. Ita hic Polonorum Apostolus, è Græcorum asceteriorum disciplina, ad prædicandum Slauonicis gentibus, Româ, tunc Orthodoxorum Græcorum asylo, prodijt: cuius Martyrio audito, Sanctus Bonifacius, Imperatoris Ottonis consanguineus, in Russiam ad prædicandum Euangelium venit: (vt refert Baron. in anno 997.) ibique pro fide, occisus est.

Anno 990. Multi Græcorum Ascetarum, domesticas turbas execrati, Romam venerunt: & in Monasterio Sancti Bonifacij vitam Angelicam egerunt: quos inter excellebant Abbates, Basilius, Gregorius, Nilus, Stratus, super terram (vt ibi scribitur) Angelus vnus. Existimoque admodum probabile: plerosque ex ijsdem Græcorum ascetis, Kiiouiam venisse: vt fidem illam quam Sanctus Theodorus Studita, Sanctus Stephanus Iunior, alijque Apostolicæ Sedi Romanæ addictissimi Cænobiarchæ, & professi erant ipsi; & alijs profitendam reliquerant; in pace, à persequentium Photianorum vexationibus liberi, conseruarent: de quo plura dicenda erunt infra.

Anno 996. Sanctus Nilus venit Romam: estque ab Otthone Imperatore, & Gregorio 5. Papa, honorificè exceptus: rogatusque: vt aliquod Monasterium in vrbe vellet accipere: quod tamen ille renuit: sed ad suum Monasterium iuxta Caietam, in loco arduo constructum, redijt. Hic quoque Sanctæ, Vnionis Græcos inter & Romanos memorabile relictum est monumentum.

Decimi Seculi, Anno 1000. Ottho Imperator, ex Polonia reuersus, in Italiam, visitauit Monasterium Sancti Nili: qui Imperatorem cum Vniuersis Fratribus summa veneratione excepit: ei cùm Imperator, Monasterium, &

um, & prouentus vbicunque vellet offerret. Respondit Sanctus Abbas: si omnino sint Monachi Fratres mei, & custodiant pro virili Christi mandata; ipse qui hucusque curam eorũ gessit; maiorem geret sine me, de ijs; qui sperant in misericordia eius. Ita Sanctus hic Abbas, quo se suosquè ab omnibus terrenarum rerum compedibus vindicaret; nusquam firmas fixit sedes, sed more peregrinantium de loco in locum cum suis transmigrabat. Denique abiturus Imperator, coronam suam, in manus Sancti Nili deponens, benedictionem ab eo, sibi suisquè omnibus, precatus est: quàm & obtinuit. En quomodo Deus, etiam à summis Monarchis, honorari voluit, SS. Cænobitas Græcos, Romanæ Ecclesiæ fidem & obedientiam complexos. Certè à temporibus Schismatis, nunquam vllum Patriarcham, nedum Abbatem, ab vllo Orientalium Imperatorum tanto honore exceptum legimus: vt vel inde manifestum sit; Deum eos qui se honorant honorare: eis verò qui suo honori detrahunt, etiam antiquos honores subtrahere.

A millesimo exacto anno, imperio Machometanico, per Orientalia regna diffuso, & Schismaticorum pertinacia magis & magis crescente, quotidie; non ita frequens campus est datus Pontificibus Romanis, sui in illis partibus regiminis exercendi: nullum tamen seculum passus est Deus sine aliquo huius gubernationis testimonio elabi. Nam primò; Anno 1003. Syluester Secundus Papa, Hierosolymæ è manibus impiorum recuperandæ causâ, classicum cecinit belli Sacri: sed prosperè cæpta, mors inopina Pontificis intercepit.

Anno 1003. Sanctus Bruno, impetrata à Ioanne 14. benedictione, ad prædicandum Euangelium perrexit in Prussiam per Poloniam, in qua à Rege Boleslao est magnopere honoratus: & amplissimis muneribus ditatus: at cùm in Prussia nihil proficere posset; abijt in Russiam: vbi dum Euangelizat, capitur: & tandem 16. Kalen. Martij, cum suis 18. comitibus, occiditur: vt testantur Ditmarus, Marianus Scotus, Sigebertus, Vrspergensis, illius æui scriptores. Circa idem tempus, benedictione à Pontifice accepta, venit in Russiam Sanctus Bonifacius: à quo cùm exigeret Rex, vt suæ fidei firmandæ causa, medios ignes ingrederetur; Sanctus Pater ita vestitus, vt Missarum celebraturus solemnia; stridentes flammarum ilobos ingressus est: atque inde ita exiuit illæsus; vt ne minimus capitis eius capillus reperiretur exustus: Eo prodigio, Rex stupefactus, alijquè proceres, S. Baptisma recepere: quo offensus Frater regis, captum Sanctum Patrem, multa hominum turba circumstante decollari iussit. Id prolixè describit illius seculi scriptor, Sanctus Petrus Damiani: in vita Sancti

Romual-

Romualdi Cap. 29. & 30. addit Ditmarus Lib. 7. qui hoc tempore vixit; Boleslaum Regem Poloniæ, Filiam suam in vxorem dedisse, vni Filiorum Vlodimiri Russorum Regis, nato ex Helena, Ottoni Tertio desponsata: sed ei deinde Græcâ calliditate subtracta: simulquè cum ea missum esse Rembertum Episcopum Colbergensem, seu Pomeraniæ, qui in Rusia Sanctam fidem propagauit: & tandem ex quadam suspicione, à Vlodimiro in carcerem coniectus est: in eoquè sanctè obijt. Sed hæc meliùs è Rossicis Chronicis intelligentur.

Anno 1009. Græcorum Ecclesiam, Sedi Apostolicæ Romanæ fuisse vnitam, colligitur ex literis Petri Episcopi Antiocheni: datis anno 1054. ad Cerullarium: in quibus refert, tempore Ioannis Patriarchæ, qui Sergium antecessit; Ioannem Papam decimum nonum, Sacris dyptychis insertum fuisse: & deinde; cùm Sergij Patriarchæ tempore, Constantinopolim venisset; ibi in Sacra Missa, Ioannis Pontificis proximè defuncti memoriam fieri, præsentem audiuisse. Adactos verò tunc ad vnionem Græcos, non perfunctoriè, sed multa præmissa disceptatione, probat ibi Baronius: ex Epitaphio, tumulo eiusdem Ioannis superscripto: quod inter alia habet hos versus:

Doctrinis comptus Sacris, & dogmate claro,
Per Patrias Sancta Semina fudit Ouans.
Nam Graios superans, Eois partibus; vnam
Schismata pellendo, reddidit Ecclesiam.

Anno 1012. Antiochenam Ecclesiam, Romanæ Apostolicæ Sedi fuisse vnitam, testis est Sanctus Macarius Patriarcha Antiochenus: qui post multa in cura pastorali præclare gesta & miracula edita, peregrinaturus Hierosolymã. Eleuterio probitate insigni reliquit Ecclesiam. Hierosolymis multa ab infidelibus passus, & tandem è carcere diuinitus liberatus, nonnullos eorum ad fidem conuertit. Inde migrans in Occidentem, vbiquè miraculis clarus, tandem substitit in Monasterio Sancti Bauonis in Flandria: ibiquè in pace quieuit: de quo fusiùs Chronica Belgica.

Anno 1024. circiter, Basilius Orientalis Imperator, & Eustatius Patriarcha Constantinopolitanus, alijq; nonnulli Græcorum, misere Romam honorificam Legationem: cum magnis & pretiosis donarijs quæ Pontifici alijsque darentur, ad obtinendum, eorum assensu, Oecumenici Patriarchæ titulum. Iamquè eô inclinare cæperant Romani, largitionibus corrupti: sed re in publicum emanante, multi Sanctissimi doctissimiquè viri scripsere ad Pontificem: idquè ei dissuasere: vt Græci rebus infectis abire debuerint. Ita etiam tunc Græci sibi erant conscij Oecumenici Patriarchæ

titulum

titulum se habere non posse; nisi eum à Pontifice per donaria corrupto impetrarent.

Anno 1043. Mortuus est Alexius Patriarcha Constantinopolitanus (vt è sequentibus colligitur,) ab vnione Sanctæ Ecclesiæ Romanæ non alienus. Successit ei Michaël Cerullarius, qui à Ioanne Fratre germano Michaëlis Imperatoris, actus fuerat in exiliū, ob tyrannidē affectatā. Ita Curopalates. Videant hîc Schismatici: quale hoc etiam ab ipsis Græcis caput fuerit iudicatum: quod illi, S. Petro, eiusquè Successoribus prætulerunt.

Anno 1048. Turcæ, è patrijs finibus, in excidium imperij Orientalis egressi sunt; eo nimirum tempore; quo Constantinopolitanæ Patriarchiæ præerat Schismaticorum signifer: & Latinorum omnium infensissimus hostis Cerullarius.

Anno 1053. Petrus Patriarcha Antiochenus, mox atque est factus Patriarcha, more maiorum, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ communionem expetens; misit epistolam ad Leonem Rom. Pontificem, vnâ cum fidei Catholicæ professione: quâ receptâ & approbatâ, à Leone Papa, missæ ad eundem sunt literæ responsoriæ. In quibus inter alia hæc leguntur. *Perpendimus, tuam dilectionem nolle deuiare, à Dominico & omnium Sanctorum Patrum concordi decreto: quo inuiolabiter, cunctis in toto orbe terrarum Ecclesijs Sacra Romana & Apostolica Sedes, Caput præponitur: ad quam maiores & difficiliores causæ, omnium Ecclesiarum definiendæ, referantur. Sic omnia veneranda Concilia: sic ipse Sanctus Sanctorum, Rex Regum, & Dominus Dominantium confirmat: quatenus ibi principalis dignitatis, & totius Ecclesiasticæ disciplinæ venerabilis apex præfulgeat; vbi ipse vertex & cardo Apostolorum Petrus, carnis suæ, beatam resurrectionem in nouissimo die expectat.* Et infra. *Pro cuius excellentia, tertiam à Romana Ecclesia dignitatem, retinet Antiochena: quam te defendere monemus, non tuæ gloriæ causâ, sed pro Sedis, cui ad tempus præsides, antiqua honorificentia.* Et infra. *Mea humilitas, in culmine Apostolici throni collocata, vt approbanda approbet, improbanda improbet, tuæ Sanctissimæ Fraternitatis promotionem, libens approbat: & confirmat. &c. Noueris tamen nos hanc tuam promotionem approbare taliter, si hanc, non Neophytus, aut curialis, digamus, vel pretio, vel alio modo canonibus contrario, (quod absit) obtinuisti.* Quid est regere Antiochenam Ecclesiam, si hoc non est? Nequè solùm Patriarcham Antiochenum, sed & Alexan. & Hierosolymitanum in obedientia Rom. Pontificis tunc vixisse, patebit ex anno sequenti. Interea tamen, Michaël Cerullarius, cum Archiepiscopo Bulgariæ, contumeliosas contrà Sedem Apostolicam literas scripsit: ad Ioannem Tranensem Episcopum: quibus acerbis conuitijs Romanæ Ecclesiæ vsum azymorum, & ieiunium

 Sabbati

Sabbati proſcindit: Cui Sanctus Pontifex reſpondens inter alia ait. *Ecce iam poſt mille & fere viginti à paſſione noſtri Saluatoris annos, incipit per vos diſcere Romana Eccleſia, qualiter memoria paſſionis eiusdem ſit recolenda: quaſi nil ei contulerit præſentia illius venerabilis ſenis, cui ſpecialiter Chriſtus Filius Dei viui dicit:* ***Beatus eſt Simon Bar Iona quia Sanguis & caro non reuelauit tibi. Sed Pater meus qui eſt in cælis.*** *Non ergo perpendetis? quanta impudentia dicatur, Pater, qui eſt in cælis, à Principe Apoſtolorum, abſcondiſſe cultum ſiue ritum viſibilis ſacrificij; cui per ſemetipſum reuelare dignatus eſt illud ineffabile arcanum, inuiſibilis Diuinitatis eiusdem Filij.* Hæc velim expendant: qui ob leues rituum difformitates, Schiſmati pertinaciter inhærent. Michaël, his acceptis literis, ſiue ſponte permotus, ſiue perſuaſione Conſtantini Monomachi Imperatoris, ſcripſit ad Pontificem literas: quibus ſe vnitatis & pacis Studioſum, callidus & ambitioſus homo fingebat.

Anno 1054. Sanctus Pontifex, honorificam legationem Conſtantinopolim miſit: nempe Fridericum Ducem Lotharingiæ, Apoſtolicæ Sedis Cancellarium, (qui poſtea factus eſt Pontifex Romanus, dictus Stephanus Nonus;) Humbertum Epiſcopum Syluæ Candidæ, & Petrum Archiepiſcopum Amalphitanum: quibus ferendam dedit epiſtolam ad Michaëlem Patriarcham. In illa ſic alloquitur Michaëlem. *Noua ambitione, Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, antiquis ſuæ dignitatis priuilegijs priuare contendens; contra omne ius ſubiugare tuo dominio conaris. Qualis verò & quàm deteſtabilis illa Sacrilega Vſurpatio, quâ te Oecumenicum Patriarcham ſcripto & Verbo iactas: cùm omnis Dei amicus tali hactenus horruerit inſigniri vocabulo? &c. Quomodo animas pro Fratribus habetis ponere, qui inane nomen* (ò verè nunc ſummè inanè!) *& Vniuerſam Eccleſiam ſcandalizans, dedignamini deponere. &c. Illud autem quis non ſtupeat; quòd poſt tot Sanctos & Orthodoxos Patres, mille & 20. à paſſione Saluatoris annos nouus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti? &c. Atqui Romana Eccleſia, adeo non eſt ſola, vt in toto orbe terrarum, quæcunque natio diſſentit ſuperbè ab ea; non ſit iam dicenda Eccleſia, ſed conuenticulum hæreticorum vel Schiſmaticorum: & Synagoga Sathanæ &c.* Vtraquè epiſtola Spiritum Apoſtolicum ſpirat: vt fatebitur, qui vtramque legerit apud Baron. in hoc anno. Imperator Legatos honorificè excepit. Humbertus autem literas Cerullarij, & Acridani, & ſcripta, calumniasquè per eos Eccleſiæ Rom. obiectas, ita refutauit; vt eas Imperator, comburi iuſſerit. Eodem tempore, Nicetas Pectoratus Monachus, è Monaſterio Studij, conuerſus ab Humberto, præſente Imperatore, eiusquè proceribus anathematizauit quoddam ſuum ſcriptum contra Sedem Apoſtolicam. Inſuper anathematizauit cunctos, qui ipſam Sacram

Roma-

Romanam Ecclesiam negarent primam omnium Ecclesiarum esse : & qui illius fidem, semper Orthodoxam, Præsumerent in aliquo reprehendere: quo facto à Schismate absolui petijt: & impetrauit. At Michàél, dum Nunciorum Apostolicorum colloquium declinat, in suaquè stultitiâ, vanâ præsumptione elatus, perseuerat; à Nuncijs grauissimo est percussus anathemate: vt prolixè è scriptoribus illius ipsius temporis refert Baronius: quod is indignatus, virulentas in Ecclesiam Romanam effudit calumnias: literasq; plenas mendacijs, ad Petrum Patriarcham Antiochenum, aliosq; Orientales Patriarchas, dedit: quibus hunc titulum inscripsit ipsemet: (*notetur humilitas hominis* :) Michàél Sanctissim⁹ & Oecumenicus Patriarcha &c. In eis literis, quod ad præsens negotium pertinet, habet hæc verba. *Peruenit ad nostras aures quòd tua beatitudo prædictum Papam* (id est Leonem Nonum) *in Sacris retineat Dyptychis: quòdquè idem fecit Alexandriæ & Hierosolymorum Patriarcha, &c.* Quod is reprehendendo; mentitur: quòd à temporibus Vigilij Papæ, Ecclesia Græca, ad sua vsquè tempora, nullam faciat Papæ in Sacris memoriā: mentitur (*inquam* :) vt ex Historia Ecclesiasti constat: atque ideo grauiter eum hac in parte reprehendit Petrus Patriarcha: in literis, per quas ei respondet: etsi culpam, in ignauiam, & rerum Ecclesiasticarum imperitiam Chartophylacis, reijciat: & expresse (vt iam retuli supra) temporibus Sergij Patriarchæ, memoriam Ioannis Papæ in Sacra Lithurgia fieri solitam commemorat: estquè euidens testis, ad illud vsque tempus Orientales Patriarchas in Vnione S. Romanæ Sedis perseuerasse. Cæterùm, Imperator Constantinus; pertinaciam Patriarchæ execratus, Legatos magnificè donatos honorificè remisit: & beato Petro per eosdem magna numera transmisit.

Anno 1057. Michàél Cerullarius, cum Theodoro Patriarcha Antiocheno, qui Petro successerat, Imperatorem, Michàélem Stratonicum ad deponendum Imperium compulit: excitato contra eum Isacio Tyranno Commeno: sed Anno 1058. cùm idem Patriarcha, contra Imperatorem à se promotum superbè insurgeret; eiquè priuationem imperij stolidè minaretur; (subinde dictitans, ego te condidi furne, ego deijciam :) in exilium relegatus: in eoquè mortuus est.

Anno 1071. Alexander Papa, ad Michàélem Ducam Imperatorem, Constantinopolim misit Legatum, Petrum Episcopum Anagniæ, doctrinâ, Sanctitate, & miraculis clarum, nam huic ipsi Imperatori periculosè infirmo, reddidit sanitatem: mansitquè apud eum integro anno: magno in honore habitus. Ex quo patet: Schisma à Cerullario innouatum, mox interruptum fuisse: & primarios Græcos in obedientia & fide Romana perseuerasse.

 Anno

Anno 1073. Michàël Imperator, cùm accepiſſet mortuo Alexandro Papæ, Gregorium Septimum ſucceſsiſſe ; mox ad eum gratulatorias literas dedit : Pontifex huius officij gratus, Legatũ Conſtantinopolim, Dominicũ Patriarcham Venetum, miſit : quid hac legatione actum ſit ; non conſtat : niſi hoc ; quòd anno ſequenti, Papa, pro tuendo Conſtantinopolitano imperio laborans, omnes fideles excitauerit, ad bellum Saracenis inferendum.

Anno 1075. Idem Gregorius Papa, miſit Legatos ad Demetrium Ruſſorum Regem : cùm idem Rex, ad Sedem Apoſtolicam, ſuum Filium præmiſiſſet ; regnumquè Ruſsiæ Sedi Apoſtolicæ in feudum obtuliſſet : vt patet ex literis ipſius Gregorij : datis ad memoratum Regem : & è Vaticana Bibliotheca à Baronio productis.

Anno 1076. Demetrius Dux Croatiæ & Dalmatiæ, petijt à Gregorio Papa recipi ſub protectionem Sancti Petri : qui collecta Salone Synodo, per ſuos nuncios eum recepit : Regemquè miſſo ei diademate creauit. Eodem tempore, Rex Arabum, miſſo Romam ſuo nuncio, Seruando ; Gregorium Papam, literis & muneribus honorauit : inquè eius gratiam, captiuos quotquot habuit Chriſtianos, libertate donauit.

Anno 1078. Idem Papa, Nicephorum Botoniatem in Synodo Romana excommunicauit : eò quòd is tyrannicè imperio exuiſſet Michàëlem Ducam Romanæ Eccleſiæ vnitum : & in Caſsinenſe Monaſterium ſummè munificum : cui præter plurima dona transmiſſa, conſtituit quotannis è regijs reditibus pendi viginti quatuor libras : auri : & pallia quatuor.

Anno 1080. Cùm idem Michàël ad Gregorium Papam veniſſet, auxilium ab eo & Northmanis imploraturus, vt reſtitueretur in priſtinum ſtatum : Pontifex, etſi grauiſsimè Schiſmate Antipapæ, & Germanorum Procerum premeretur, ſuarum ærumnarum immemor, ad ferendam opem miſero ſe conuertit : effecitquè : vt Robertus Guiſcardus Nortmanorum Dux, cum Boëmundo Filio, in Græciam, cum exercitu anno, ſequente transfretauerit : atquè ibi multa heroica opera operatus ſit : multasquè de Græcis retulerit victorias.

Anno 1089. Vrbanus Secundus Papa, Romæ Synodum habuit 150. Epiſcoporum : inter alia ibi facta, Papa, Alexium Commenum Imperatorem Conſtantinopolitanum, ab excommunicatione per legatos ſuos abſoluit.

Anno 1095. Alexius Commenus Imperator, miſſo Legato ad Vrbanum Papã, Synodo tunc Placentinæ præſidentẽ, impetrauit ab eo ; vt is multos principes ad ferendam regnis Orientalibus opem excitauerit : tum in hac, tũ in Claramontana Synodo : effeceritq; vt nobiliſſima illa expeditio fieret in terram Sanctam, quâ, eadem a Chriſtianis ſub hoc ipſo Pontifice, benedicente Deo, anno 1099. recuperata eſt.

Anno

Anno 1097. Fuit Barense Concilium: in quo Sanctus Anselmus cum Græcis de Processione Spiritus Sancti à Patre & Filio, iubente Vrbano Papa prosperè disputauit: vt constat ex lib. ab eo ipso edito.

Vndecimi Seculi, Anno 1103. Paschalis Papa, dispensauit in impedimēto Matrimonij, procedente ex consanguinitate Boleslai Poloniæ Ducis, & Sbislauæ Russorum Regis Filiæ. Reliquis annis, quomodo Antiochenam & Hierosolymitanam Ecclesiam, rexerint summi Pontifices, per Patriarchas Latinos; quomodoquè ortas inter eos controuersias composuerint, videre licet in Baronio & Tyrio: ex quibus paucula tantùm seligo.

Anno 1108. Paschalis Papa ad Bernardum Antiochenum Patriarcham ita scribit. *Etsi inter cæteras Sedes, Apostolica Sedes illa præmineat; quam Petri Apostoli morte, in corpore, dignatio superna clarificauit: inter Romanum tamen & Antiochenum Episcopos tanta quondam legitur charitas extitisse; vt nulla inter eos diuersitas videretur. Eadem persona Petri, vtramque illustrauit Ecclesiam: gratias Deo: quòd temporibus nostris, Christianorum principatum in Antiochenorum ciuitatem restituit.*

Anno 1110. Idem Pontifex per Legatum suum in Bethleem Episcopalem thronum constituit.

Anno 1116. A Paschali Papa, missus est Legatus Constantinopolim, Chrysolanus Antistes Mediolanensis, Græcarum literarum peritissimus: qui cum Græcis felicissimè de processione Spiritus Sancti disputauit: præsente & fauente Alexio Commeno Imperatore: quem Euthymius in sua Panoplia, Catholico nomine laudat: vt pote cuius singulare esset studium in colligendis fidei Orthodoxæ decretis. Ex quo confirmatur: etiam illis seculis, quo Schisma per Cerullarium innouatum, maximè feruebat; fuisse Constantinopoli primarias personas, quas ab vnione cum Sede Apostolica, nulli Schismaticorum conatus auellere potuêre. Certè hunc Alexium Commenum Romanæ Ecclesiæ vnitum fuisse, conuincit plurima eius munificentia in Monasterium Casinense, & Ecclesias transalpinas: de qua scribit Sanctus Petrus Cluniacensis Abbas, in epistola ad Caloioannem Alexij Filium: & in imperio Successorem.

Anno 1136. fuit Synodus Antiochena: & deinde Hierosolymitana: cui præter Patriarchas, & Episcopos Latinos vtriusquè Patriarchiæ, interfuit Maximus Armeniorum Pontifex: immo omnium Episcoporum Cappadociæ, Mediæ, Persidis, & vtriusquè Armeniæ princeps: qui Catholicus dicitur: atque is inductus est ad aliquos, fidei errores, qui ei objiciebantur deserendos: & recipiendam cum Romana Ecclesia vnionem.

Anno 1145. Venere honorificæ legationes Orientales ex Armenia & Syria, ad Eugenium Papam: Viterbij manentem: & Armenij quidem; omni modo ei subiectionem obtulêre: Syrus verò Gabalensis Episcopus, de quibusdam iniurijs, sibi à Patriarcha Antiocheno factis, querelam deposuit.

Anno 1155. Hadrianus Papa, quod sui muneris esse sciret, Vniuersalis Ecclesiæ populum in Catholicam reducere concordiam; Legatos misit ad Emmanuelem Commenum, ad persuadendam Græcis Ecclesijs auitā cum Ecclesia Romana vnionem. His addidit literas ad Basiliū. Archidenum Thessalonicensem Archiepiscopum, hoc tempore in Oriente Magni nominis virum: quæ in Orientalis Iuris codice habentur sub hoc exordio. *Ex quo, per hostem antiquum, Constantinopolitana Sedes, à Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia seipsam separauit; & à Matris obedientiá, liberiret recesserunt; vnitatisquè locū binarius subijt; laborem multum, qui nos præcesserunt Sancti Petri Successores, adhibuerunt: vt Schisma de medio tolleretur. Quamobrem & nos, qui hoc tempore Apostolicæ Sedis curam suscepimus, pro omnibus Ecclesijs quæ sunt intra terrarum orbem constitutæ, quamuis Sancti Petri virtutibus par nihil habeamus, ministerio tamen fungi cogimur. Ideoquè ad introductionem liberorum in locum Ecclesiæ, inuentionemquè amissæ drachmæ properamus &c.* Et Concludens. *Nos, (inquit) non temporariam in hoc spectamus laudem, qui pascendi suscipimus officium: (Seruos nos omnium seruorum Dei confitemur:) sed cùm, Dominum & Magistrum Nostrum, vt vnum mortuum resuscitaret, in corpore lachrymatum legimus; iudicamus indignum: si Domini retineamus talentum: & quos possumus in animā suscitare, negligamus.* Cui respondens Basilius ait. *Legimus tuam epistolam, Sanctissime Papa: ex qua perspeximus; beatitudinem tuæ erga Deum dilectionis, & affectionis: per quam non coangustatur cor tuum, quin potius viscera dilatantur, ad suscipiendum acquirendumquè omnium Ecclesiarum Christianos. Vocem tuam agnouimus, per literas alloquentem nos, vt Patrem, vt Pastorem, vel potius Archipastorem. Nam quasi Pater Filios sub Paternos tuos sinus cogis: eorumquè solicitudinem habes: quasi Pastor oues errantes reuocas: quasi Pastorum Pastor, Pastoralem tuam scientiam nos doces. &c. Audiuimus reuocantem ad seipsum: & ad vocem tuam conuersi sumus: planè si alienos nos à tua Sanctitate Filios existimassemus; nequaquam agnouissemus vt paternam vocem: neque ad Pastorem receptui canentem reuersi essemus. Nam iuxta verbum Domini, nemo vnquam noscet extraneorum vocem: sed potiùs ab ea fugiet &c. Ego, ijquè omnes, qui ad magnam Apostolicam Sedem Constantinopolitanam, pertinemus; eadem tecum prædicamus: & docemus; vnus in vtrisque Ecclesijs personat sermo fidei; idemquè*

sacri-

ſacrificatur Agnus &c. quamuis parua quædam offendicula in medio interiecta nos ſepararint. Quæ omnino tollere è medio, vnitatemquè Eccleſiarum conſtituere; Tuæ Sanctitatis erit: quæ Chriſti exemplo velut è cælis proſpiciens, diſtantia in vnum congregare vult, & poteſt. Tua integritas, vndique perfecti Chriſti, tam SEDE, quam peritiâ & vitæ ſplendore, imaginem referens; poterit omnino, ſcandalo & diſſidio cauſam præbentia tollere: & Eccleſijs vnionem, & ſocietatem reſtituere. &c. Aduerte benigne lector: plerumque doctis & Catholicæ fidei ſtudioſis Antiſtibus Græcis, perſuaſum fuiſſe, inter Græcos & Romanos, non fidei, ſed ſolùm quorundam rituum differentiam interceſsiſſe: contra quàm perſuaſum fuerit, & ſit imperitis: gloriæ Latinorum æmulis: qui ex diuerſitate ſacrorum rituum, dogmatum quoquè ſacrorum diuerſitatem inferebant: & inferunt.

Anno 1156. Emmanuel Imperator, auditis iniurijs, quas Alexandro Tertio Papæ, viro, ſummis laudibus ornato à Sancto Bernardo Epiſtolâ 334. faciebat Fridericus Imperator, illuſtrem ad eum miſit legationem: teſtatus, ſe velle honorare Eccleſiam Romanam: Matrem omnium Eccleſiarum: & omni ſtudio adniti; vt Græcæ Eccleſiæ vniantur Romanæ: & ſub vno Eccleſiæ capite, (Verba ſunt legati eius, Iordani Sebaſti:) vterq; populus, & Clerus Latinus & Græcus, perpetua vnitate ſubſiſterent: dummodo Pontifex, Diadema Imperij Occidentalis, à Græcis tranſlatum ad Germanos, reſtituat Græcis. At Pontifex, gratijs Imperatori actis, negauit licere ſibi, (cui ex officio incumbat pacis authorē & cuſtodem eſſe;) inter vtrumque Imperatorem, belli cauſam & authorem eſſe. Miſit tamen cum Sebaſto, ad eundem Imperatorem, Epiſcopum Oſtienſem, & Cardinalem Sanctorum Ioannis & Pauli: qui Anno 1163. cum magnis muneribus ad Pontificem redierunt. Eiusdem Imperatoris voluntate, Hugo Hætherianus Conſtantinopoli habitans præclarum volumen de proceſsione Spiritus Sancti à Patre & Filio, ſcripſit anno 1177. in quo cuncta argumenta tunc à Græcis obijci ſolita, ingenioſè & ſolidè refutauit. Id quod (vt ipſemet innuit) gratiſsimum fuit Imperatori: admodum in Latinos propenſo. Eodem anno, Alexander Papa, cum eſſet Venetijs, dedit Epiſtolam ad Regem Abaſsinorum: in qua Sedis Apoſtolicæ primatu prolixè explicato, ſuggerit ei quædam Fidei dogmata: & ab inolitis erroribus eundem retrahit. Hactenus in re hiſtorica ſequutus ſum Cardinalem Baronium. Iam nos hîc deſerit: ideo ab alijs lucem quæremus.

Anno 1199. Innocentius Tertius, Ioannis Patriarchæ Schiſmatici inſolentiam compreſsit datis ad eum literis: quibus prolixè probauit: Sancto Petro eiusque Succeſſoribus, totius Eccleſiæ regimen conuenire.

Eodem

Eodem anno ad eundem Papam, Gregorius Armenorum Patriarcha ſcripſit literas: quas ita orditur. *Vobis, qui eſtis Caput poſt Chriſtum; & Caput Eccleſiæ Romanæ Catholicæ, quæ eſt Mater omnium Eccleſiarum &c. ſalutem & fraternitatem.*

Duodecimi Seculi Anno 1204. Idem Papa in Bulgariam & Valachiam Leonem Cardinalem miſit: qui Caloioannem eius gentis Principē coronaret per eumq; in eodem Regno Archiepiſcopo Trimonitano primatum & pallium conceſsit.

Anno 1213. Idem Papa per Pelagium Epiſcopum Albanenſem Conſtantinopolim miſſum Græcos ad vnitatem ſolicitè inuitauit. Anno 215. ſub eodem Pontifice fuit Concilium.

Anno Domini, 1215. ſub Innocentio Tertio Papa, fuit numeroſiſsimum illud Concilium Lateranenſe: in quo præeminatiam Romani Pontificis, vel ex ipſo actu exercito teſtati ſunt, duo præſentes Patriarchæ Orientales: Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus: duo vero per ſuos legatos: & inſuper vtriusque Imperij Regumque omnium prope Chriſtianorum, & regnorum Oratores: & Legati. Videatur in tomis Conciliorum.

Anno 1263. Vrbanus 4. literis Michaëlis Palæologi, (qui pulſis Latinis Imperium Conſtantinopolitanum paulò ante occupauerat) per miſſos ad eum 4. Religioſos ex ordine Sancti Franciſci, reſpondit. *Ibi ſcribit Pontifex: ſe ab Imperatore appellari, Throni Apoſtolici Succeſſorem, & eius imperij Spiritualem Patrem.* Et ſignificat materiam & Scopum earum literarum fuiſſe; *vt circa vnitatem in Dei Eccleſia renouandam, Pater Filio,* (verba ſunt Imperatoris) *coniungantur: quoniam hoc, ſi Dominus ex alto permiſerit, nullus præſumet contra ipſam Eccleſiam ſuperbire: quia nec Rex, nec princeps aliquis, Apoſtolicæ audebit reſiſtere iuſſioni. &c.* Addit idem Papa, rogatum ſe ab Imperatore: vt vellet ad eum ſuos legatos mittere, perſonas idoneas, in quarum ore, verba reſponſionis Apoſtolicæ ponerentur: viros religione conſpicuos, & in lege Dei eruditos. &c. Qui Legati Apoſtolici priusquam veniſſent Conſtantinopolim; moræ impatiens Imperator, Nouum Legatum, Nicolaum Crotonienſem, ad Pontificem de componenda vnione miſit: cum literis ita inſcriptis; *Venerabili Patri Patrum, Beatiſſimo Papæ Veteris Romæ, Imperij noſtri Domino, Vrbano, Sacroſanctæ & Apoſtolicæ Sedis Summo Pontifici. &c.* Verba ipſius Epiſtolæ prolixam vnionis Catholicæ ſpirant voluntatem. Refert eam totam R. P. Lucas Vadingus in Annalib. Ordinis Minorum in anno 1264, deſumptam ex Bibliotheca Vaticana: ego ſaltem vnam vel alteram periodum deſcribo. *Veſtram Sanctam Paternitatem rogamus: quatenus ſicut princeps omnium Sacerdotum, & Vniuerſalis Doctor Ca-*

ctor Catholicæ Ecclesiæ, soliciteris continuâ promptitudine, ad reuniendã eandẽ Ecclesiam, cui loco B. Petri, Deus præcipuè vos præfecit: quia iam & nostrã tranquilitatẽ ad hoc peragendũ paratã, Sanctitas vestra habet. Quib⁹ literis exhilaratus Pontifex, nouos ad eum legatos misit: quâ legatione, dum apud Imperatorem, funguntur; tam primi, quam posteriores legati; obijt Vrbanus: cui successit Clemens Quartus: ad quem misit Imperator suum legatum: qui quoniam non videbatur satis instructus, misit ad eum Clemens literas, cum professine fidei, ab eis qui ad vnionem redire voluerint, exigendæ. Non solius verò Imperatoris, sed & Iosephi Patriarchæ, magnum fuisse ad vnionem affectum; significat idem Pontifex: ita eius literis respondens. *Tuarum nobis nuper missarum series literarum, tui desiderij ad Ecclesiarum Latinæ & Græcæ desiderabilem vnionem, reserauit affectum: tanto proculdubio gratiorem, quanto & nos pleniùs ad illam afficimur: quantoquè eam, tanquam Deo acceptabilem, & animabus salutarem, totis visceribus affectamus. Hoc est, quod ardentiùs nostra suspirat intentio: Vt ille lapis angularis, qui facit vtraque vnum, suam S. Ecclesiam, Schismatum scissurâ diuisam, misericorditer vniens, in vnitate fidei Orthodoxæ, dignanter adunet. &c. Denique Fraternitatem tuam rogamus in Domino IESV CHRISTO: per aspersionem sui pretiosi Sanguinis obsecrantes: quatenus præmissum affectũ, quem literæ tuæ prætendebant, per efficacem operis euidentiam, exhibeas.* Erant aliqua: quæ Imperatori non satis in literis Pontificijs explicata videbantur: ideo Anno Domini 1270. suos Nuncios misit ad Ludouicum Regem Galliæ: eum tanti negotij arbitrum constituens: seq; eius sententiæ staturum sanctè promittens. Rex hoc negotium, ad Cardinales (Clemente enim mortuo vacabat Sedes:) retulit: qui vltimum responsum, futuro Pontifici reseruandum, responderunt. Gregorius ergo decimus, factus summus Pontifex, Synodum Vniuersalem, anno 1272. Lugdunum indixit: & ad Patriarcham Hierosolymitanum, ad Imperatorem Constantinopolitanum, & ad Iosephum Patriarcham, deuotissimas literas misit: eos ad Concilium inuitans. Scripsit item, ad Vniuersos Ecclesiæ prælatos: & ad Carolum Siciliæ Regem: petens; vt venturi ex Græcia Episcopi, cum omni honore & securitate cũ suis comitibus recipiantur.

Anno 1241. Fuit Concilium Lugdunense: cui interfuere, è Græcis, Germanus Imperatoris Consanguineus & Magister: olim Patriarcha Constantinopolitanus Centesimus Octauus, ex Metropolita Hadrianopolitano: qui post primum annum, Patriarchatu abdicato, se in Monasterium recepit: Georgius Acropolita, Magnus Logotheta, Theophanes Metropolita Nicænus, Bithyniæ primas, Nicolaus Paneretha Camerarius Imperij, & alij vi-

& alij viri graues: qui honorificentissimè à Concilij Patribus excepti, protulerunt Imperatoris diploma sub sigillo aureo: in quo is, fidem se Catholicam profiteri paratum, testabatur. Epistolam hanc Græcè & Latinè scriptam refert in hoc anno Vadingus. Eius inscriptio talis est. *Sanctissimo & Beatissimo Pontifici, Primo & Summo Apostolicæ Sedis venerabili Papæ: & communi omnium Christianorū, & venerabili Patri: Imperij nostri Domino: Gregorio: Michàël in Christo fidelis Imperator &c.* In ipsa epistola, continetur professio fidei, ea planè, quæ à Clemente quarto Constantinopolim fuerat missa: exigenda ab eis, qui ad vnionem accedere voluerint. Huic ipsi fidei, alij 26. Metropolitæ subscripsêre: vt ex Actis Concilij Lugdunensis, productis horum Metropolitarum literis, probat idem Vadingus. Felicissimè igitur, in illo Concilio conclusa est Ecclesiarum vnio: & iuramentis, tum eorum qui intererant: tum eorum qui literas iuramento adiecto scripserant, obsignata. Cantatum est ter Symbolum, cum illis verbis: *qui à Patre Filioquè procedit.* Postea in eodem Concilio, confirmatum est ius Imperij Orientis Palæologo: etsi reluctarentur Balduinus Pater: eiusquè Filius Philippus, dicti Imperatores Constantinopolitani: & Carolus Rex Siciliæ. Denunciatus ibidem est, Occidentis Imperator Rudolphus: etsi contradicente per suos nuncios Alphonso Rege Castellæ. Huic ipsi Concilio interfuisse, ipsum Augustum Imperatorem, Michàëlem Palæologum; testantur Flauius Blondus, Robertus Guaguinus, Ioannes Nauclerus, & alij apud Seuerinum Binium in vitâ Gregorij Decimi: sed Vadingus, eum ibi fuisse præsentem negat: idquè probat tum ex historia, & Actis ipsius Concilij: tum ex eius Nuncijs, & epistolis. Finito Concilio, remissi sunt magno cum honore Græcorum nuncij: qui etiam Imperatori à Pontifice reddidere Epistolam quæ ita incipit. *Exultat Mater Ecclesia, renascentis prolis fæcunditate iucunda: exultat, gaudens se drachmam perditam inuenisse: immensæ lætitiæ rore perfunditur, dum ruinas quas in ea Schisma multiplicarat antiquum impleri, per tuum aliorumquè reditum ad ipsius Ecclesiæ vnitatem; intuetur &c.* Scripsit idem Pontifex, in eundem sensum literas ad Andronicum, Imperatoris Filium: & illos Metropolitas, qui sua chirographa quibus fidei Catholicæ in omnibus subscribebant, ad Concilium Lugdunense miserant.

Anno 1277. Confirmatum est Constantinopoli, quod Lugduni fuerat conclusum: id quod significauit pijssimus Imperator, Nicolao Tertio Papæ: in quib⁹ in laudes Romanæ Ecclesiæ prolixè effunditur. Refertur hæc epistola ab eodem Vadingo ibidem. Qui etiam affert Epistolam Ioannis Becci Patriarchæ Constantinopolitani, Iosepho succedentis: quâ eidem

Pontifici

Pontifici, ſe omnia fidei Catholicæ dogmata in Concilio Lugdunenſi, à Græcorum Apocriſarijs admiſſa, approbare profitetur. Non potuit diu pati, tantam Eccleſiarum concordiam, pacis ſemper inimicus Sathanas: moxquè varias, contra Imperatorem Palæologum, per ſibi deuota organa, excitauit ſeditiones: & rebelliones: & contra eos Metropolitas, qui huic vnioni ſubſcripſerant perſecutiones: vt aliqui, ſuperſtite adhuc Imperatore, à ſubſcripta & iuramento confirmata vnione reſilierint: Patriarchâ tamen Ioanne Becco, (qui Ioſepho ſucceſſerat,) ſuâ authoritate plurimos retinente; & Imperatore conſtantiſsimè vnioni receptæ adhærente; durauit concluſa in Concilio Lugdunenſi vnio, ad mortem vſque Imperatoris: annis circiter viginti, Mortuo Imperatore, Filius eius Andronicus, qui vnâ cum Patre, aliquot epiſtolis, Lugdunenſis Concilij decretis, ſe obſequentem teſtatus fuerat; idquè iuramento firmauerat; imperij amittendi metu, tantum hoſtem ſe Sanctæ vnionis exhibuit; vt primò, Patrem, neq; Plebeia dignatus fuerit ſepultura, ſed iuſſerit, eũ in aperto campo, terrâ multâ obrui: id tantummodo cauens, ne Imperatorium cadauer à feris diſcerperetur: cuius paricidialis odij, non aliam fuiſſe cauſam, teſtatur Gregoras, quàm quòd Imperator, Latinorum amplexus fuerit fidem: vnionemquè vtriusque Eccleſiæ ſummo ſtudio promouerit. Idem, Ioannem Beccum Patriarcham, aliosquè Concilio Lugdunenſi adhærentes, ſuis ſedibus exturbauit: eo ſolo fine; vt imperium cuius amittendi grande ſibi periculum à Catholica fide emergere cenſebat, ſtabiliret. Quod tamen minimè aſſecutus eſt: nam Deo, innouatum Schiſma perſequente, inualuere in Oriente Turcæ & Tartari: Schiſmatis pænas, à contumacibus Græcis, vſque ad eorum internecionem exacturi. Nam;

Decimi Tertij Seculi, Anno 1372, iuxta annales Turcicos editos à Leunclauio, Turcæ in Græciam penetrarunt: deinde 1357. Callipolim ceperunt: poſtea cepere Hadrianopolim: & ſenſim totam ſibi ſubiecere Bulgariam: vt quemadmodum cauſa non minima Schiſmatis fuit eiectio Catholicæ Religionis ex Bulgaria; ita Schiſmatis pæna, inciperet à Bulgaria. Neque tamen ſtudium religionis Catholicæ, per Orientem propagandæ, in Romanis Pontificibus refrixit. Nam Nicolaus quartus Pontifex, anno 1291. per RR. Fratres Minorum Ordinis, inſtructionem fidei Catholicæ, Argoni Regi Tartarorũ, & eius proceribus miſit: & in Boſnenſi principatu; Stephano Seruiæ Rege petente, Sanctæ inquiſitionis officium inſtituit: vti breuiter in eius vita refert Victorellus: prolixiùs & ſolidiùs in hoc anno Vadingus: qui etiam affert eiusdem Pontificis epiſtolam ad Epiſcopum Bulgarorum: in qua ei Pontifex, reuocat in memoriam: quòd v-

quòd vnionem cum Ecclesia Romana professus sit publicè, in Palatio Blachernio Constantinopolitano, cum alijs Prælatis Orientis. Ibidem dicit: super eadem re se ad Georgium Regem Bulgarorum scripsisse. Addit etiam, literas datas, ad Helenam Seruiæ Reginam, quibus eam hortatur Pontifex: vt sicuti cæpit, Bulgarorum Regem ad fidei Catholicæ vnionem, pio inducere colloquio enitatur.

Anno 1321. sub Ioanne 21. Michaël Imperator, cum Andronico imperans, Græcorum Schisma eiurauit: promittens se seruaturum, quidquid docet Sancta Romana Ecclesia: quam omnium Matrem & Magistram professus est. Ita Ciaconius.

Anno 1365. Ioannes Palæologus Imperator Constantinopolitanus, venit ad Vrbanum 5. Pontificem: tum Romæ commorantem: quem Vrbanus pro foribus Basilicæ Vaticanæ, more Imperatorum susceptum, honorificè habuit. Is, ante aram maximam Principis Apostolorum, Pontificis Missâ Latinâ auditâ, publicè Catholicam fidem, & Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, & Romanum Pontificem totius gregis Christiani pastorem, Caput, & Magistrũ, est professus: cumq; sæpiùs vnâ comedissent; Imperator aliquando Pontifici dixit: se animo & corpore plurimum recreari, quòd apud Pontificem epularetur. Ita idem in Vrbano Quinto. Eodem tempore ad gremium Ecclesiæ Catholicæ rediere, Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, & Ioannes Lascaris, & Demetrius Angelus, viri in Græcia Principes. Id fortasse fecit: vt Ioannes Cantacuzenus, pertinacissimus Schismaticus, suorum sectariorum opibus confisus, bellum Ioanni Imperatori intulerit: eiquè tollere imperium conatus fuerit: quod cùm ei non successisset, Turcas in Græciam euocauit: qui, vt dixi, superato Hellesponto, captis aliquot Græciæ vrbibus, arma in Bulgariam mouere: eamque magna ex parte subegere. Tandem Turcarum imperio inualescente, extremam perniciem sui Imperij veriti Græci, cæpere inquirere tantarum pænarum causam: & agnouere se ideo Turcis in seruitutem dari, quòd ab obedientia, Sancto Petro eiusque Successoribus debitâ, recessissent. Quamobrem Emmanuel, Filius Ioannis, cæpit admodum vnioni Sanctæ fauere: & à Gallis, (eò quòd tunc Pontifex) grauissimis ipse premeretur difficultatibus) petijt opem: sed aliunde, vnde minima, vel potiùs nulla spes affulgebat, Sanctæ vnionis studioso Imperatori, auxilium prouidit Deus. Ex ipso Orientis angulo, propugnatorem ei aduocauit Tamerlanem: qui Baiazetem soluere coëgit obsidionem Constantinopolis: magnoquè prælio victum cepit: suumquè captiuum fecit. Significare voluit Deus; se à ceruicibus Græcorum seruitutem Turcicam facilè auertere posse, dum-

ſe, dummodo illi, malè conceptos errores, & diuturnum ſchiſma conſtanter abijcere vellent. Ea certè conſideratio fecit : vt ;

Seculi Decimi Quarti Anno 1419. cùm Martinus Tertius Papa, Florentiæ eſſet ; ſuos ad eum Oratores miſerit, Ioannes Imperator Conſtantinopolitanus : profitentes ; Græcos quod ad fidem pertinet, velle in ſententiam Latinorum venire : ſi æquæ conditiones proponerentur. Hos perbenignè & ſplendidè Pontifex excepit : & Legatum à latere creauit, Petrum Fonſecam Sancti Angeli Cardinalem, virum doctiſsimum : qui cum Oratoribus Græcis ad res componendas Conſtantinopolim proficiſceretur. Ei tamen præmiſit, Reuerendiſsimum Sacri Ordinis Minorum Generalem, Antonium Maſſanum : qui Imperatoris & Græcorum explorata ſententia, quid in ea re ſperandum eſſet, Pontificem admoneret. Ita Ciaconius in Martino Tertio, & multò copioſiùs eruditiſsimus ſcriptor R. P. F. Lucas Vadingus. To. 3.

Verùm hoc optatiſsimum, de vnione Eccleſiarum gaudium, ſeruauerat Deus Eugenio Quarto : qui Martino, anno 1431. ſucceſsit. Hic Sancta Martini cœpta continuans, magnis ſumptibus, (quos Turcogræciæ damnatus author, ex ipſis Græcorum monimentis deſcriptos, refert ;) ad Synodum, Ferrariam primò, deinde Florentiam, Græcorum Imperatorem, & Patriarcham Conſtantinopolitanum, plurimoſquè Græcorum Prælatos aduocauit : in qua Synodo, præuio eruditiſsimorum virorum certamine, Græci Sanctæ Romanæ Eccleſiæ fidem & communionem amplexi ſunt : maximò totius orbis Chriſtiani ſolatio ; quanquam illud, breui, vnius ſeditioſi Marci pertinacia euertit : totique Græciæ accelerauit extremam perniciem. Nam cùm Ioannes Imperator, anno 1445., vel iuxta alias 1449. obijſſet ; ſeditioſis clamoribus, & populo ad rebellionem concitato, effecit Marcus : vt eorum plurimi, qui Florentiæ, rationum momentis conuicti, errorem Photianum abiecerant ; & in gratiam cum Eccleſia Catholica redierant ; frigeſcere primò cœperint : tandē etiam apoſtatare : & Concilium Florentinum reijcere : à quibus vindictā Dei proximè imminentem auertere cupiens, Nicolaus 5. Papa, Eugenij Succeſſor ; ſcripſit feruentem & doctam epiſtolam ad Conſtantinum Dragutem : Græcorum Imperatorum vltimum : in qua inter alia dicit. *Diligenter inquirentibus, licet intelligere : Turcicam captiuitatem non aliunde Græciæ inductam eſſe ; quàm ex reatu Schiſmatis : quod authore Photio, tempore Nicolai primi ſumpſit exordium : & ad ea vſque tempora peruenit.* Et infra ; adducta ſimilitudine ſterilis ficulneæ, in tertium annum reſeruatæ ; planè prophetico Spiritu prædixit : tertio ab hinc anno, vltimas tam diuturni Schiſmatis pœnas , Deum eſſe à

Græcis exacturum. Quod accuratè expendens, Patriarcha Sanctitate & doctrina illustris, Gennadius, lamentabiliter exclamat. *O magnam calamitatem! Anno 1451. scripsit in epistola Pontifex, his consona verba! (tres annos expectabimus si vos à Schismate forte conuerteritis : si verò non ; secundùm Saluatoris de ficu præceptum, excindemini : ne terram otiosam & inutiem reddatis: & anno 1458 capta est Constantinopolis. Num potestis dicere hæc vera non esse?* Pluribus ibi, nouus hic suæ gentis Ieremias, deplorat florentissimæ Vrbis excidium : cuius non aliam agnoscit causam ; quam Græcorum à Fide Catholica, & obedientia Sancti Petri, eiusq; Successorum, pertinacissimam defectionem. Sub Nicolao Primo Pontifice, Græcorum cæpit Schisma ; sub Nicolao Quinto in Turcicam exijt seruitutem. Ita verè, sequitur superbos vltor, à tergo DEVS : dum qui infra suam dignitatem censebant aliquem se agnoscere superiorem, nunc agnoscunt Tyrannum : ad cuius nutum Patriarchales throni, vel stant, vel ruunt. Constantiùs multò, alij Orientales, in eadem Florentina Synodo, receptam vnionem retinuêre. Cùm enim anno 1439. circa finem Iulij, & Synodi, venissent legati, Patriarchæ Armeniorum ; recipique in vnionem Catholicam vnâ cum toto Armenico populo postulassent ; Eugenius Papa, vnâ cum alijs Patribus, postquam sufficienter aliqui eorum errores essent refutati ; ita, vt nomine totius Armeniæ, legati, se omnibus fidei Catholicæ dogmatibus assentiri profiterentur ; mense Decembri, edito super his vnionis decreto, summâ omnium lætitiâ, eos, & totam Armeniorum gentem, in Sanctæ Ecclesiæ communionem recepit.

Anno 1441. In eiusdem Sanctæ Ecclesiæ vnionem admitti petiere Syri Iacobitæ : oblatis literis Ioannis Iacobitæ : qui se Beati Marci Sedis Alexandrinæ, & totius Ægypti, Lybiæ, Pentapoleos & Occidentalis Africæ Patriarcham scribebat : in quibus dicebat : *Romanum Pontificem, esse Sacerdotum Principem, & omnium Ecclesiarum Apostolicum pastorem.* Eodem tempore, Abbas Syrus Vicarius Hierosolymitanus, dicebat : *quòd Romanus Pontifex esset Caput & Doctor Vniuersalis Ecclesiæ : quodquè Latina Ecclesia retineat Doctrinam, quam ab initio Petrus & Paulus tradiderunt : quam aliæ Ecclesiæ deserentes, & se à Romana Ecclesia, Matre & Magistra omnium, separantes, gentibus in opprobrium & ruinam traditæ sint : vt euidenter in Armenis, & Græcis, & nobis Iacobitis cernitur.* Pontifex, legatis humanissimè habitis, Sanctæ fidei doctrinam, eis tradidit : eosdemquè in gremium Sanctæ Ecclesiæ recepit : edito super eâ re diplomate, quod incipit. *Cantate Domino &c. Datum anno 1442. pridie Nonas Februarij.* Ea omnia se legisse, in Codice manuscripto Concilij Florentini, viso Romæ, apud Illustrissimum Cardinalem

dinalem

dinalem Bisciam, refert Victorellus: in additionibus ad Ciaconium: in Eugenio. Tam prospero rei Catholicæ incremento exhilaratus Pontifex, quatuor legatos, in Æthiopiam, ad Iacobum Imperatorem Abyssinorum misit: qui ei nunciarent, Græcos, Armenos, & Iacobitas, (trium scilicet Orientalium Patriarchiarum oues) ad Sancti Petri Ouile redijsse: omniaquè dogmata Catholica amplexos esse: eumquè ad hoc ipsum hortarentur. Quod illi prosperè executi sunt: nam Rex, (vt refert Victorellus ex Damiano Góés) inuitanti Pontifici paruit: venitquè Romam Nicodemus Abbas, Aethiops, Vicarius Hierosolymitani Patriarchæ, qui aiebat Romanum Pontificem; *esse plusquam Salomonem: & omnium Ecclesiarum caput: qui suo splendore Orbem illustrat, &c. ad quem Patriarcha Aethiopum, se, & alios legatos, non disputandi gratia miserit; sed vt eius sententiam de rebus fidei exquirat; & sequatur.* Philethus quoque, Alexandriæ & Ægypti Patriarcha, datis ad Eugenium literis, postquam suæ fidei confessionem eius iudicio subiecisset; vocat Romanum Pontificem, omnium Ecclesiarum caput; cæterorumquè Patriarcharum Doctorem, & protectorem. Ita, hoc felicissimo seculo, sub vno eodemquè Romano Pontifice, in vnum Sancti Petri Ouile, totius orbis Christianæ oues concessere: vtinam semper in eo duraturæ! sed Græcos vt dixi, breui retrò traxit innata ingeniorum mobilitas, & tenacissimus proprij sensus amor, Alij, constantiùs, vt dixi, receptam hoc seculo vnionem retinuere: eamque repetitis legationibus ad Romanum Pontificem innouauere: vt infra innuetur.

Iam (vt ad Constantinopolitanam Patriarchiam redeam) post excidium Imperij Constantinopolitani, doctiores Patriarchæ, adhærebant Florentinæ Synodo: eamquè, & receptam in ea Vnionem, vbi poterant confirmabant: præsertim Gennadius, Dionysius, Niphon, vt in sequenti propositione patebit. At longè pluribus, summa ruditas & ambitio, etiam tam grauis Diuini supplicij, & tantæ seruitutis ceruicibus Christianis inductæ, omnem penitus abstulit sensum.

Eodem tempore, miserabiles Christianorum Græcorum reliquiæ, atque in his, Thomas Palæologus, Constantini Imperatoris occisi Frater, cum suis liberis, in Italiam primùm, deinde Romam, (non ita pridem sibi inuisam, & hostili odio habitam) confugerunt: suntquè à Pio Secundo Pontifice maximo, eiusque deinde Successoribus, magna excepti charitate: quanquam hîc quoque Græcorum inconstantia & fidei Catholicæ odium apparuit. Nam, & Demetrius, Frater Thomæ, ad Turcas, magna Peloponesi parte eis tradita, defecit: & Filius Thomæ, Manuel, Christi Vicario contempto, Româ discessit: sequè Machometis iugo, fide Christiana

eiurata,

eiurata, ſubiecit: quod ipſum fecit Filius Andreas, nomine Andreæ in nomen Machometis commutato: vt refert Petrus Datremmanus in libro de excidio Græcorum. Iſti nimirum ſunt fructus Schiſmatis: qui in tantam excreuere vbertatem; vt in exercitu Turcico plures reperiantur è Schiſmaticis Turcæ facti: ſintquè, crudeliores Chriſtianorum hoſtes, quàm qui è Turcis oriundi ſint. Thomæ ipſi, & comitibus, ad vitam ducendam neceſſaria ſunt ſuppeditata: eoquè anno 1465. mortuo, liberis eius bene prouiſum eſt. Nam Andreas Palæologus Filius eius primogenitus, dignitatibus eſt honeſtatus, vt referunt Ciacon. & Victorellus; Filia verò, quam aliqui Zoen, alij Sophiam, Ruſsi Annam vocant, à Sixto Quarto Pontifice cum dote ſex millium aureorum, Ruſsiæ (vel Moſchouiæ potiùs.) Duci, in coniugem data eſt: cuius poſtea Filia, Helena, Alexandro Regi Poloniæ nupſit.

Decimoquinto Seculo, ab Anno 1500. In Oriente, furente in Chriſtianos Solimani & Selymi rabie, in Occidente verò plurimis excitatis hæreſibus, vix habuere Pontifices otium, ad cogitandum de ſubſidio ferendo Orientalibus. Poſt Concilium tamen Tridentinum, congruis antidotis hæreticorum venenis obiectis; etiam ad Orientalium partium oues diſperſas, pro viribus in ouile Chriſti reducendas; Romani Pontifices animos adiecere. Nam primò per ſuos Apocryſarios in Æthyopiam miſſos, id obtinuere: vt Dauid Rex Æthiopum, literas Græcè inſcriptas, ad Clementem Septimum Romanum Pontificem Anno Domini 1533. miſerit: quarum hoc eſt exordium. *Felix Sanctus Pater: qui à Deo effectus es gentium conſecrator: & Sancti Petri Sedem obtines: tibi datæ ſunt claues regni cælorum. &c.* In eis literis magnum ad recipiendam vnionem exprimit affectum.

Ad eundem Pontificem, Baſilius Magnus dux Moſchouiæ, legatum Demetrium miſit, per eum petens, vt è Magno Duce in regem eueheretur. Ita ibidem Victorellus: ex Genebr. Lib. 4. & Iouio Lib. 6. de viris Illuſtribus, qui etiam addunt, duos proceres Indos, conuerſos ad Chriſtum, miſsis Oratoribus, omnium nomine, eidem Pontifici obedientiam obtuliſſe.

Anno 1554. circiter: Iulius Terti⁹, ad iuuandos Orientales, tria Collegia Soc. IESV, editis iam diplomatibus condi præceperat: vnum Hieroſolymis: alterum Conſtantinopoli; tertium in Cypro: at mors pia eius conſilia diſcuſsit. Ita Victorellus ex Orlandino.

Anno 1566. 13. Kal. Sept. Pius 5. in fauorem Græcorum edidit Conſtitutioné, quæ incipit: *Prouidentia PP.* quæ prohibet: ne Græci, Latino ritu, & Latini Græco ritu, Sacra peragant: ſed Latinus Presbyter Latinis,

Græcus Græcis vtatur Ceremonijs: fortasſis notauerat: Græcos tanta clade Græci imperij consternatos, non solùm ab erroribus sed à ritibus etiam Græcis, cœpiſſe abhorrere. Ad conſeruandam igitur in Synodo Florentiná concluſam vnionem, ſanciuit: ne deinceps vllus Græcorum Presbyter, audeat Latinis in Liturgia ceremonijs vti: ſed ſolis Græcis.

At Orientalium ouium amor, hoc ſeculo, in nullo illuſtriùs efulſit, quã in Gregorio 13. Hic Romæ, anno 1577, Græcorum; & anno 1584, Maronitarum; & Laureti, Collegium Illyricorum, quod poſtea Romam eſt tranſlatum fundauit: in quibus vtriusque gentis iuuentus, veræ fidei dogmatibus, bonisq; morib⁹ inſtituta, ad ſuas patrias, ab inolitis erroribus auertendas progrederetur: id quod factum eſt, tam felici ſucceſſu, vt in Aſceterijs Italiæ, vicinarumque ei inſularum, Macedoniæ item, Epiri, Illyrici, Mæſiæ, Seruiæquè, plurimis hominibus, Catholicæ fidei dogmata, & Romanæ Eccleſiæ vnio perſuaderentur. Eum in finem, Collegij Græcorum templum, Sancti Athanaſij nomine inſignitum eſt: ſtatutumquè, vt in eo, ab alumnis Collegij Sacrum, Græcè haberetur. Idem, Cyprios captiuos, poſt Inſulam à Turcis captam, plurimos ſuo ære redemit: eisquè alimenta prouidit: virgines in Matrimonium collocauit: quâ benignitate (ait in eius vita Andreas Victorellus) Theſſaliæ & Meroæ Præſules excitati, nomen Latinum adamarunt: imo & ipſe Conſtantinopolitanus Patriarcha Hieremias: poſt domeſticos ſermones, cum Epiſcopo Cedolino, & Galliæ Regis oratore, & cum Ioanne Mauroceno, Veneto legato, habitos; ita cœpit affici Pontifici: vt ſcripſerit (ita ſcribit Victorellus idem) ad Ruſſos; vt Calendarium Gregorianum à Polonis receptum, etiam ipſi acceptarent. Quo cognito, Pontifex, ſuos ad eum miſit Oratores: quos à Gallis Venetisquè ad ſe introductos, lætus excepit Patriarcha; propenſæquè in Latinam Eccleſiam voluntatis ſpecimen dedit: & Pontifici reuerenter reſcripſit, eidemquè inter alia dona, Sancti Andræ Apoſtoli manum, (Corpus enim iam olim habebat Amalphis: Caput autem ſecum, Thomas Palæologus, Romam detulerat: eſtquè à Pio Secundo inſigni ſupplicatione ad Baſilicam Vaticanam delatum: & in arâ maxima collocatum:) & Sancti Chryſoſtomi digitum miſit: promittens ſe illius Calendarium paulò poſt recepturum: Græcosquè & Ruſſos ad idem recipiendũm hortaturum. At infra breue tempus, ſceleſti viri calumnijs, apud Turcas oppreſſus, in carcerem ab eis coniectus, Gregorij Pontificis benignitatem expertus eſt. Eo enim vrgente, Gallicus Orator, pænam capitis eſt ei deprecatus: eamquè in mitiorem fecit commutari. Ita idem Victorellus. Idem Pontifex ad Chriſtianos Conſtanti-

nopoli iuuandos, optimos Sacerdotes, è Sanctißimis Ordinibus Sancti Dominici & S. Francisci, post etiam, Consilio Oratorum Galli & Veneti, ab ipsis Catholicis expetitos Patres Societatis IESV, submisit: ne ab hæreticis negotiatoribus corrumperetur. Idem, librum Gennadij. Scholarij contra Græcorum errores, & Catechismum, Græcè edendos & in Orientem mittendos curauit.

Et quid est esse Patrem Græciæ, si hoc non est? Idem Pontifex, anno Iubilei, omnia ad peregrinorum commoditatem & victum necessaria parari iusſit: fuêre autem in eo Iubileo, etiam è remotis Orientalibus regnis plurimi,

Ad eundem Pontificem, bis, anno 1576. venit, Nicolaus Archiepiscopus in Armenia Latinorum: (sunt hi Francorum qui Hierosolyma ceperant posteri:) quem Gregorius excepit perhumaniter: magnisquè muneribus donatum remisit in Armeniam. Ad eundem Pontificem, Nehemes Iacobitarum Patriarcha, veniam negatæ, ob minas & afflictiones Turcarum, fidei precaturus venit: Sede sua Patriarchali, Dauidi Fratri relicta: & coram supremis Sanctæ Fidei Censoribus, crimen & deliria Dioscori execratus, profeßionem Apostolicæ fidei renouauit: à Gregorio autem, magnis muneribus ornatus est. Maronitarum quoque Oratores, (Episcopus eorum vnus, alter Archipresbyter erat:) ad pellendas animi tenebras venerunt: vt Patriarchæ nomine precarentur; vt Patriarchalem eius dignitatem confirmaret: quod Gregorius fecit: duosq; Societatis IESV Patres ad Maronitas instruendos misit: & plura exemplaria, Catechismi Arabicè scripti, aliosquè Sacros libros, supellectilis item Sacræ copiam, deniquè nummos Patriarchæ, & stipem Monachis illius egentibus submisit: deinde mortuo illo Patriarcha, alium qui Catholicæ fidei profeßionem ediderat, à se confirmatum pallio honestauit.

Idem Pontifex Ægypto profuit: dum Sydoniæ Episcopum, duosquè è Societate IESV, qui Assyriorum, Nestorianorum, & minoris Armeniæ, Patriarchas, suo nomine instruerent, & inuiserent, legauit. Denique ad Coptorum Patriarcham, suos misit Oratores: à quibus illi suos errores dedocti, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnouerunt. Denique, fundata ab eo, toto propè orbe, pro instruenda & bonis artibus pijsquè moribus iuuentute seminaria, nonnè ingenti sono proclamant, Romani Pontificis solicitudinem omnium Ecclesiarum? De Moscis dicam infra.

Anno Domini 1591. Innocentius Nonus (teste eodem Victorello) de Ethnicis & hæreticis ad Catholicam fidem conuertendis, summè cogitabat; In-

bat : Iaponiorum Ecclesiam, in summa persecutione, magna liberalitate recreauit : & de Turcis conuertendis Græcisquè reuniendis, de Collegio item Constantinopoli fundando, seriò cogitabat : nisi mors inopinata Sancta eius cogitata, præcidisset. Ita idem Victorellus.

Anno 1594. Gabriel Alexandrinus Patriarcha duos ad Clementem Octauū legatos misit de qua legatione scribit Bar. Tom. 6. Annal. ad Annū 452. Num. 22. & infine Tomi. Notanda sunt epistolæ à Patriarcha missæ verba. *Gratias agimus Deo : quòd te constituit Christus, Catholicæ fidei habenas tenentem : & Apostolicæ D E I Ecclesiæ Fundamenta seruantem. &c. Tu qui effectus es, Caput & Maximus Patriarcharum, & Magister, & prædicator orbis, totius populi Dei, &c.* Idem Pontifex, tria Seminaria, in tribus Monasterijs Sancti Basilij instituit, in Sicilia vnum : in regno Neapolitano alterum : tertium Cryptæ ferratæ. Ad eundem Pontificem, missa est è nostra Russia honorifica legatio, ad ineundam vnionem : vt infra referam.

Decimosexto Seculo, Anno 1601. Legationem Bulgarorum missam ad Clementem Octauum, sequenti propositione referam.

Anno 1609. Paulus 5. Papa, à Patriarchis Melchisedecho Armenio, & Petro Maronita, honorificas habuit legationes : quas humanissimè suscepit : & cum muneribus remisit : Armenium, Regi Persarum, enixè commēdatum, sacrorum præclaro instrumento donauit : & profitendæ fidei formam, ad eundem, Arabico sermone, scriptam misit. Petro item Maronitæ, plurima largitus est : eorumquè ritus, Breuiaria, Romæ imprimi curauit : Græcis etiam consulens, Patres Societatis I E S V, cum Oratore Gallico, ad rem Catholicam fouendam profectos, mirificè iuuit.

Ex his igitur manifestum sit : nullum fuisse seculum, quo non, in toto Oriente, aliquæ fuerint oues, quæ Romanum Pontificem esse totius Ecclesiæ Pastorem agnouerint. Semper, per totum orbem, Sancto Petro pascendas prouidit oues, ille ipse : qui illi sine vlla limitatione dixit : ***pasce agnos meos*** : ***pasce oues meas***. Et verò, quàm verè pastoralis animus, per hæc 16. Secula, Pontificum Romanorum, toto se explicuerit orbe ; quamquè penes eum omnium Ecclesiarum indefessa solicitudo fuerit ; quæ attuli euidenter demonstrant : si præsertim, in suis fontibus, ex quibus decerpta, & compendiosè relata sunt, recognoscantur.

PROPOSITIO NONA.

Hoc ipſum, totius Eccleſiæ Regimen, penes Romanum Pontificem eſſe, Roſsi agnouerunt: & in eius obſequio fideiquè vnitate vixerunt.

CErtum inprimis eſt: Vniuerſaliter, omni illo tempore, quo Patriarchæ Conſtantinopolitani fuere Romanæ Eccleſiæ vniti, fuiſſe etiam eidem vnitos Kiouienſes Metropolitas: & totam Ruſsiam, eorum regimini ſubiectam. Certum item eſt: eo tempore, quo Euangelium à Sancto Brunone, & Sancto Bonifacio, Roſsis prædicatum eſt, prædicatam eſſe Ruſsiæ ab eisdem Apoſtolis, Vniuerſalem Sancti Petri, eiusquè ſucceſſorum, ſupra totius orbis Eccleſias, præfecturam: ideoquè tunc Roſſos ab eis conuerſos, in obſequio Sacræ Romanæ Apoſtolicæ Sedis, perinde atq; Bulgaros vixiſſe. Eſt etiam admodum veriſimile: & planè certum: Euangelij prædicatores Conſtantinopoli miſſos, hoc ipſum obſequium Roſsis commendaſſe: vt potè in quo ipſimet conſtanter perſtiterunt. Fuère enim hi, Sanctus Cyrillus & Sanctus Methodius: (iuxta Roſsica Chronica) miſsi in Roſsiam, ad initium imperij Baſilij Macedonis, qui Photium, ſecundâ ab obtento imperio die, Epiſcopatu priuauit: & in Monaſterium Humbrenſe compulit: Sanctum verò Ignatium, ſummâ totius ciuitatis gratulatione, & applauſu, Conſtantinopolim reuocatum, eius Cathedræ reſtituit: & per honorificas literas, à Nicolao Papa, legatos, ad componendos motus Conſtantinopolitanos expetijt. Igitur, etiam hi Roſſorum Apoſtoli, non à Photio Schiſmatico, ſed à Sancto Ignatio, & Baſilio Imperatore, in Romanæ Sedis obedientia & communione viuentibus, miſsi in Roſsiam ſunt: & Roſsi, baptiſmum fidemquè Chriſtianam acceperunt, non à Photio eiusquè aſſeclis; ſed à Sancto Ignatio: qui Romani Pontificis ſuper omnes Epiſcopos ſupremam authoritatem, vel ipsâ ſuâ ab impio Conciliabulo appellatione, abundè teſtatus eſt.

Atque hoc ipſum, licet inuitus, fateri cogitur Paterici Author: licet enim is, non ſub Baſilij, ſed Michaëlis Imperio, miſſos eſſe in Roſsiam, hos cenſeat Apoſtolos; fatetur tamen eos fuiſſe, Sanctum Cyrillum & Sanctum Methodium: quos non à Photio, ſed à Sancto Ignatio Patriarcha, ad prædicandum Euangelium eſſe miſſos, hoc conuincit: quòd non ſolùm Latini, Boëmici, & Poloni, Hiſtorici, ſed etiam Slauonica Chronica,

& Meno-

& Menologia Græca, & Slauonica, testantur; eos venisse Romam: ad petendam benedictionem, à Nicolao Papa: quem sciebant summè fauere S. Ignatio: Photij verò hostem esse; vbi etiam legimus: eos post mortem Sancti Nicolai Papæ, mansisse vsque ad electionem Adriani: à quo, & ipsi, ad Euangelium prædicandum, Slauonicis gentibus, cum facultate, Slauonico idiomate sacra peragendi, missi: & eorum discipuli per Gordium & Formosum Episcopos, in Presbyteros ordinati sunt. Addo: etiam tempore Michaëlis, Basilium in Collegam adscitum, (vt è Græcis Historicis refert Godefridus) imperasse: atque ideo grauiora quæquè negotia à Basilio confici solita fuisse: ideoquè esse verisimile, missos à Basilio in Russiam: vt qui non Photio, (quem oderat Basilius) sed Sancto Ignatio adhæreret. Et verò, meritò Rossi erubescere deberent, si ab eo primos sibi missos Apostolos haberent, de quo sciunt; quòd Sancto Ignatio (quem etiam ipsorum Menologia vocant Sanctum) superstite, non potuerit esse Patriarcha: sed Patriarchiæ inuasor, & adulter: vt ideo, qui primò conuersos Russos, Photij velint esse Filios, grauissimam eis faciant iniuriam: dicentes; eos esse Filios adulteri Constantinopolitani. Certum præterea est: Baptisma Rossorum, si eis anno 886. vt (innuit author Paterici) collatum est; non debere tribui Photio; quem hoc anno in Monasterium Armenorum relegauit Leo Imperator: omnibus illis, qui à Photio erant pulsi reuocatis: sed Stephano; qui, vt supra retuli, præmissa Summi Pontificis dispensatione, in Patriarchali throno, hoc ipso anno sedit. Id verò multò certius est: si verum est; quod libro primo *Fol. 82.* docet Dlugossus: Baptismum hunc Rossis collatum esse, imperante Arnulpho: quem constat, non nisi mortuo Carolo Crasso, anno 888. factum esse Germanorum Regem: annis tribus post Photium eiectum: Romanorum vero Imperatorem coronatum, à Formoso Papa anno 896. quod vtrumquè fuit sub Imperio Leonis Philosophi: constantissimè, in Romanâ fide & obsequio, vnâ cum Patriarchis, Stephano & Antonio Cauleos, permanentis: vnde hîc Chronologia Dlugossi aliquantùm fallitur: & fortassè is, distinctos baptismos, vnum à Sancto Cyrillo & Methodio exceptum sub Basilio Macedone; alterum ab Episcopo Græco sub Leone in Russiam misso, in vnum confundit.

Certum est item, secundùm Chronologiam Zonaræ, Holham (Elgam alij appellant) seu Helenam, Russiæ Ducis vxorem, Constantinopoli baptizatam esse, sub Imperio Constantini, Monomachi solius: à Theophilacto Patriarcha: quem à Ioanne Decimo Papa pallium obtinuisse, testatur ex Luitprando, illius æui scriptore Baronius; in anno 934. Slauonici verò Annales, addunt: eum ab Episcopis Roma missis, consecratum: & in

 thro-

thronum Patriarchalem euectum esse. Ex quo patet: primum, Ducũ Russiæ, baptismum, ab vnito Romanæ Sedi Patriarcha acceptum esse: quod si is est exceptus à Polieucto (vt ex Curopalate colligit Baronius) etiam hunc Romanæ Sedi fuisse vnitum, dicere possumus: quamdiu Disuniti, ex Historicis Græcis, oppositum non ostendunt. Quanquam huic, quod ex Zonara retuli, fauet etiam Synopsista Kiouiensis; scribens Holham baptizatam esse anno 996. id est: octo annis, ante mortem Theophilacti Patriarchæ. Denique, si hic baptismus, collatus est Helenæ, Anno 950. (vti docet Cromerus lib. 3. in Mieciflao) baptizata est ab eodem Theophilacto: qui vsque ad vnum 956. vixit: teste Curopalate apud Baronium. Certum denique: si Vlodimirus baptizatus est anno 980. (vt vult Cromerus lib. 3. ante Mieciflaum) siue 987. (vt vult Dlugosus) siue 990. (vt censent Chronographi Slauonici) baptismum illum collatum esse, à Græcis Romanæ Apostolicæ Sedi vnitis. Nam cùm, Antonius Studites Patriarcha, anno 976. ob metum Bardæ Tyranni, sponte, se abdicasset; vacauit Sedes annis quatuor: nec nisi eo mortuo anno 981. (aut forte 980.) datus ei Successor est, Nicolaus Chrysoberges: qui præfuit Patriarchiæ annos 12. & menses 8. quo tempore, Orientales Ecclesias Romano Pontifici fuisse vnitas, constat ex Historicis. Quodsi contendat aliquis, Vlodimiri baptismum, non nisi anno 1000. vel 1008. contigisse; nondum liquebit; eum ei collatum esse, à Græcis disunitis. Ex literis enim Petri Antiocheni Patriarchæ constat: Sisinio mortuo, anno 999. non Sergium, vt scribit Curopalates; sed Ioannem successisse: & Ioannis Octodecimi Papæ Synchronon fuisse: nominisquè eius Papæ in Sacra Liturgia memoriam fecisse. Immo ex ijsdem literis constat: ne Sergium quidem Ioannis Successorem, ab vnione abhorruisse: siquidem etiam ipse, Petro aurito teste, eiusdem Ioannis nomen, cum alijs Sanctis Patriarchis, in Sacra Liturgia nominauerit: quod certissimum signum est: non fuisse adhuc in Oriente eam de Occidentalium fide & regimine persuasionem; quæ postea à Michaële Cerullario concepta, & maleuolè in animos Orientalium, infusa est. Verùm priorem Chronologiam veriorem esse, conuincitur è Chronicis Polonorum: è quibus constat; Vlodimirum mortuum esse anno 1005. templo tanto ædificato post baptismum: quantum intra quinquennium ædificari non potuit. Ex eisdem constat: anno 1008. Iaroslaum, Filium Vlodimiri, cum Boleslao Chabri, ad Bugum infeliciter dimicasse: & Kiouiam à Boleslao captam esse. Nullo ergo modo credi potest Vlodimirum Millesimo, vel Millesimo Octauo, quo iam non vixit, baptizatum esse.

Neque tamen Cerullarianum Schisma, continuò in Rosiam penetrauit. Nam

uit. Nam Iaroslaus, Filius Vlodimiri, certior factus, excitati à Cerullario Schismatis, noluit à Patriarcha Constantinopolitano petere Metropolitam: sed Hilarium Hieromonachum, ab Episcopis ad templum Sanctæ Sophiæ à se extructum euocatis, in Metropolitam iussit consecrari: quod & factũ est. Neque bene, huius facti ratio, in bella cum Græcis gesta, refertur. Nam primò, anno 1051. vel ante hunc annum, Rusis aliquod cum Græcis bellum fuisse, nemo scriptorum Græcorum commemorat. Certè id bellum, Curopalates in enarrandis Constantini Monomachi Victorijs satis accuratus scriptor, referre non omisisset: præsertim si, (vti referunt Rusi) prospero marte Græci cum Rusis dimicassent. Accedit: quòd Iaroslaum bello grauissimo à Boleslao Chabrio attritum, proximum morti, & annorum 70. & ampliùs, Senem, cogitationes belli concepisse; bellumquè suo auunculo intulisse; nemo facilè sibi persuaserit: nulla præsertim data ab eo causa. Chersonam enim à Vlodimiro traditam fuisse Imperatoribus Græcis, sorore eorum in coniugem accepta; testantur Historici Poloni: & Slauonici. Denique Iaroslaum Ducem, à Schismate Cerullariano abhorruisse; illud etiam probat: quòd Sororem suam Mariam, ex Anna, Filia Constantinopolitani Imperatoris genitam, in Matrimonium Casimiro Primo Poloniæ Regi, cum amplissima dote dederit: id profectò non facturus, si ita de religione Catholica, vel Latina, persuasus esset; vti volebat omnibus persuasum Cerullarius. Nulla ergo alia causa dari potest; non petiti tunc Constantinopoli à Iaroslao Metropolitæ; nisi ob excitatum à Cerullario Schisma.

Fuêre item Romanæ Ecclesiæ vniti Rosi, anno 1024. cùm eorum Rex Demetrius regnum suum Sancto Petro & Romanæ Ecclesiæ in Feudum obtulit: vt testantur, Gregorij Septimi Pontificis datæ ad eum literæ: productæ à Baronio: in Appendice Tomi Septimi: & in anno 1075.

Fuêre vniti, circa annum 1096. quo institutum est ab Vrbano Secundo Festum Translationis Sancti Nicolai: quod Metropolita Rusiæ Ephræm, vnâ cum tota Ecclesia Rosiæ, recepit: nihil moratus contradictiones Græcorum: qui hoc festum non admiserunt. Sciebat Ephræm, hoc festum institutum esse à Papa: reiectum verò à Patriarcha Constantinopolitano: cùm ergo illud, cum tota Rusia recepit; eo ipso testatus est; sibi pluris fuisse Pontificis Romani Sancita; quàm Græci Patriarchæ.

Fuêre item Romanæ Ecclesiæ vniti Rosi anno 1146. cùm ita volente Rosiæ duce Isaslao, non petitâ Constantinopoli benedictione, Clementem in Metropolitam Kiiouiensem, per impositionem capitis S. Clementis consecrarunt. Fuisse autem tunc, totam Rosiam, Ecclesiæ Romanæ vnitam,

illud quoque arguit: quòd Duces Rosſiæ, magnam tum haberent cum Regibus Poloniæ affinitatem. Nam Caſimiri Primi vxor fuit (vt ſupra dixi) Soror Iaroslai Ducis: Filia Vlodimiri Magni: Boleslai Audacis vxor, fuit Viſſeslaua Zaslai Principis Ruſsorum Filia: Boleslai Victorioſi vxor, fuit Suislaua Filia Suatopolci Ducis Kiiouienſis: Boleslai Criſpi vxor prima, erat Anaſtaſia Filia Vſeuolodi Ducis Ruſsiæ: ſecunda, Helena Filia Roſcislai Ducis Præmislienſis: Miecislai vxor erat Eudoxia Filia Vſeuolodi Ducis. Quis credat, hos Principes tantopere ſibi conſanguineos, non etiam habuiſſe Catholicæ fidei communionem, in tam frequenti ſecum communicatione? Ea certè fortaſſe conſanguinitas fecit: vt anno 1170. Roſcislaus Dux Ruſsiæ, miſſum ſibi Conſtantinopoli Patriarcham Ioannem, hominem doctiſsimum, admittere noluerit: donec is, Alexandro Tertio Pontifici Romano, obedientiam, per literas ad eum miſſas, obtulit: quæ literæ habentur in libris Slauonicis.

Fuerunt item, Roſsiæ magni Duces, Eccleſiæ Catholicæ vniti: cùm circa annum 1230. Sancto Hyacinto Clariſsimæ Ordinis Prædicatorum familiæ Illuſtri heroe, petente; Monaſteria eorundem Ordini Haliciæ (teſte Miechouienſi lib. 3. (C. 37.) & Kiouiæ, (teſte Cromero Edit. Baſil. *Fol. 526.*) condiderunt: quanquam Cromerus, addit ibidem, ſequutus Dlugoſſum, in anno 1233. Vlodimirum Rurikouicium, ritum ſuum Græcum per Patres Prædicatores, viros Religioſos, & exemplares, peſſundari veritum; eos Kiouiâ expuliſſe. Fuere ijdem, Romanæ Eccleſiæ vniti, anno 1254. quo Prandota Epiſcopus Cracouienſis, Sancti Stanislai recens in Sanctorum numerum relati corpus, ſolenni Pompa de ſepulchro leuauit: quia ei Solemnitati interfuêre, Gerardus Ruſſorum, & Vitus Lituanorum Epiſcopi. Nec mirum videri debet: eo iam tempore fuiſſe apud Lituanos Epiſcopum Græci ritus: Nam Theodorus Balſamon, in Nomocanone, in expoſitione eorum, qui ſubſunt throno Conſtantinopolitani Patriarchæ; edita ſub Imperatore Andronico Palæologo ſene, Num. 83. recenſet Lituanos: vel Litbos (Beta Græcis idem ſonat quod vita) eosquè refert, ob paucitatem, Roſsiæ Epiſcopo ſubiectos. Vide Balſamonem Edit. Pariſienſis Anni 1620. *Fol. 1096.* loco citato. Omitto Danielem Ruſsiæ Ducem, qui quô titulum Regium à Pontifice impetraret; promiſit ſe cum tota Ruſsia in communionem Eccleſiæ Romanæ tranſiturum: fraude ſua id ſaltem teſtatus: ſe honorem Regium habere non potuiſſe; niſi à ſolo Papa: vnde etiam eius perfidia fecit; vt hic titulus in Filios eius non tranſierit;

Fuiſſe item Romanæ Eccleſiæ vnitam Roſsiam, ab Anno 1250. ad 300. fatetur author Paterici: docens Cyrillum & Maximum Metropolitas, miſſos à Ioan-

ſos à Ioanne Becco, feruentiſsimo & inuicto fidei Catholicæ & Sanctæ Vnionis defenſore, nemine contradicente, Roſſorum Eccleſias gubernaſſe.

Ab anno 1300. inualuiſſe ſchiſma fateor: ſed etiam grauiſsima pœnâ à Deo punitum eſſe aduerto. Nam circa annum 1320. Kiouienſium Ducum perijt nomen: totius fere Roſsiæ dominio in Lituanos, à Deo Schiſmatis vltore, translato.

Ex illo fluere, & retro ſublapſa referri, Roſsica res cæpit: Dominijs Ruſſiæ, tandem in Polonorum Regum, Catholicæ ſemper religioni addictiſsimorum, gubernationem, & poteſtatem, venientibus. Exiſtimo tamen, etiam eo ſeculo non totam omnino Ruſsiam à ſchiſmate fuiſſe oppreſſam. Nam primò; Petrum Metropolitam Kiouienſem, anno 1307. conſecratum, fuiſſe Romanæ Eccleſiæ obedientem; teſtatur accuratus Antiquitatum Polonarum ſcrutator, R. P. F. Simon Okolski S. T. M. Ordinis Prædicatorum: in vitis Epiſcoporum Kiouienſium: qui etiam addit, à Ducibus Kiouienſibus, (qui iam non Roſsi ſed Lituani fuêre;) Epiſcopum Kiouienſem Romani & Latini ritus, ad ſuam Eccleſiam reuocatum eſſe: anno circiter 1321. cum eoquè Petrum Metropolitam in Sancta Vnione vixiſſe. Addit idem inferiùs: Alexium Metropolitam Kiouienſem, circa annum 1364. conſecratum, affectiſsimum Sanctæ Vnioni fuiſſe: vt & Phylotheũ Patriarcham: etſi Imperatoris crudelitate ab eius profeſsione abſterreretur. Quod ipſum è Slauonicis codicibus referunt, Reuerendiſsimus Archimandrita Dermanenſis, in Hierarchia Eccleſiaſtica, & Reuerendiſsimus Archimandrita Vilnenſis, Leo Creuſius, in defenſione Vnionis. Neque hanc omitto; Vnionis, etiam tum in Roſsia Polonis vicinâ, retentæ coniecturam: quòd Troideno Duci Maſouiæ, in vxorem data fuerit Maria Filia Ducis Ruſsiæ: ex qua natus Boleslaus, iure hæreditario in Ducatu Leopolienſi & Halicienſi ſucceſsit. Atque ita, etiam hoc ſeculo, non defuêre in Ruſsia, qui concluſæ in Concilio Lugdunenſi Vnioni, & ſibi à Ioanne Becco Patriarcha, per duos vel tres Metropolitas, ab eo ipſo ſubmiſſos, communicatæ; conſtanter adhærerent. Id quod poſteriore ſeculo magnum accepit incrementum. Nam primò; anno 1415. in Synodo Nouogrodenſi, authore Vitoldo, Magno Lituaniæ Duce, congregati Roſsiæ Epiſcopi, queſti ſunt de Patriarchis Conſtantinopolitanis: primò; quòd plures eis ſimul obtruderentur Metropolitæ: ita vt vno eodemquè tempore, in Metropolitam Kiouienſem, & Cyprianus, & Pimin, & Dionyſius à Patriarcha Conſtantinopolitano conſecrati eſſent. Quod adeo offendit Vlodimirum Olgerdouicium, tunc Kiouiæ Toparcham; vt iuſſerit Dionyſium conijci in carcerem: in quo ad mortem detentus eſt. Præterea queſti

ſunt

sunt: quòd ijdem è Græcia submissi Metropolitæ, thesaurum Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ deprædarentur: & in Græciam transmitterent: aduerterant ijdem Lituaniæ Duces, ab eisdem Græcis, populum ab Vnione S. R. Ecclesiæ auocari: eique Semina Zizaniorum seu discordiarum inseri. Eapropter Photium, recens è Græcia missum, ijdem Lituaniæ Duces, facessere iusserunt: elegeruntquè in Metropolitam, Cemiwlakum virum egregiè doctum & affectissimum Vnioni: cuius desiderio, scripsit ad Concilium Constantiense, literas: in quibus petijt, vt alicubi cogeretur Concilium: in quo Græci possint vniri Latinis. Eundem Metropolitam, annales Moschouitici, testantur; Romam fuisse à Vitoldo missum. ad eandem Vnionem efficaciùs promouendam.

Anno 1437. Fuit Metropolita, Beatus Isidorus; qui ad Synodum Florentinam cum ducentorum equitum comitatu venerat: & propter opinionem doctrinæ, sex Græcis colloquutoribus annumeratus erat: magnoquè doctrinæ specimine edito, vnâ cum alijs, subscripsit conclusæ Synodaliter Vnioni: quam dum in Moschouia promulgare nititur; à Basilio Basilida coniectus in carcerem: & à Moscis Episcopis ad ignem damnatus est. Sed Deo eum protegente, euasit in Russiam incolumis: & fauentibus Poloniæ Regibus, Magnisque ducibus Lituaniæ, Vnionem promulgauit: rebusquè compositis Romam abijt ad Nicolaum 5. Papam: à quo Legati honore auctus, (iam enim ab Eugenio Papa in numerum Patrum Purpuratorum fuerat adscriptus:) abijt Constantinopolim: ad res per Ephesium turbatas, componendas: & Græcos in Vnione Ecclesiæ confirmandos. Interea capta Constantinopoli, etiam ille in hostium venit potestatem; sed non est agnitus. Nam in cumulo cadauerum, cùm hominem similem sibi aduertisset, capiti eius Galerum Cardinalitium iniecit: quod postea præcisum est, hastæque cum galero infixum, & per vrbem castraque Turcarum circumlatum. Ipse verò non agnitus Cardinalis, captus in Galatam ductus: & trecentis redemptus asperis: conscensa naui profugit in Peloponesum: vnde regressus Romam; Callisto Papæ; Successori Nicolai, thronum Metropolitanum resignauit: & cùm Callisto mortuo, à Pio Secundo ad apicem Constantinopolitani Patriarchatus, mortuo Romæ Gregorio Constantinopolitano Patriarcha, esset euectus; petijt ab eodem; vt suæ peregrinationis comes Gregorius, consecraretur in Metropolitam Kiouiensem: idquè impetrauit. Venit in Poloniam Gregorius: cum literis Pontificis: quibus à Rege petebatur, vt Gregorio ad obtinendam Metropolim auxilio esset. Interea Isidorus, Romæ anno 1464. sub Pio Secundo sanctè obijt: estquè sepultus ad Sanctum Petrum. Multa præclara de eo refert Petrus

Corte-

Cortesius de Cardinalatu: & Author Chronici Magni Belgici: ex quibus non pauca affert Victorellus in Eugenio Quarto.

Anno 1442. circiter, Metropolita Kiouiensis erat Gregorius: à Pio Secundo in Poloniam missus. Volebant huic contradicere Moschi: ideoquè nouum sibi Metropolitam Ionam creauerunt: sed Rusia Polono Regi subiecta, recepit Gregorium: vnâ cum Vnione ab eo promulgata. Quod etiam Dionysius Patriarcha Constantinopolitanus approbauit: missisquè in Russiam literis, (quæ etiam nunc in libris Russorum integræ habentur;) præcepit: vt Rosi reijciant Ionam: (quem etiã thronus Constantinopolitanus neget esse Metropolitam:) sed verum Metropolitam agnoscant esse Gregorium.

Anno 1474. Metropolim Kiouiensem rexit Misàél: cuius tempore Rosiacus clerus, ad Sixtum Quartum Papam, per Dominum Iacobum Notarium magni Ducatus Lituaniæ, & Dominum Ioannem Soltanum eiusdem Ducatus Thesaurarium, misit obedientiæ testatrices literas: quibus subscripsêre dictus Misàél: Ioannes Archimandrita Lauræ Kiouiensis: Macarius Archimandrita Vilnensis: & postea Metropolita Kiouiensis: & è Secularibus, Michàél, & Theodorus Casimiri Regis Poloniæ consanguinei: Ioannes Chodkievic M. D. L. Marescallus: & Supremus exercituum Dux: Demetrius Dux Vuiazmensis: & alij: recensiti ab Illustrissimo & Reuerendissimo Domino, olim Metropolita Kiouiensi: Hypatio Pocieij in libro de Priuilegijs.

Anno 1482. Præfuit eidem Metropoli; Ionas Hlezna S. R. Ecclesiæ vnitus: quo præsente Rex Casimirus obijt.

Anno 1490. Metropolita fuit Macarius: qui, vt dixi, literas sub Misàéle ad Sixtum Quartum datas, subscripsit.

Anno 1497. Metropoli Præfectus est, Ioannes Soltan: qui Vnionem in Concilio Florentino conclusam, constanter retinuit: præsertim cùm in eo proposito fuisset confirmatus à Niphone Patriarcha Constantinopolitano: per literas ad eum datas: è quibus eius iudicium de Synodo Florentina describo. *Notum sit vobis* (inquit Niphon) *quòd illa Synodus fuit præclara: & splendidè plausu communi approbata: idquè præsente Perillustri Rege nostro: & Sanctissimo Patriarcha Constantinopolitano Iosepho: præsentibus quoque Vicarijs Fratrum nostrorum Patriarcharum: & reliquis Archiepiscopis & principibus: qui Orientalem Ecclesiam repræsentabant.* Et circa finem. *Maiores nostri Florentiæ, non priùs Latinis vniti sunt, quàm nostræ omnes prærogatiuæ immotæ manerent: & conseruarentur:* (erubescant ergo mendaces Synodi Florentinæ calumniatores: qui ei tyrannidem obijciunt:) *Attamen plerique nostri generis,*

neris, qui domi manserunt, eam recipere noluerunt: fortassis propter odium in Latinos. Turba vero apud nos viget: & confusio: & nobis concreditæ oues, nos qui præsumus regere volunt: quibus (ò miserabilem Patriarchæ Constantinopolitani potentiam!) *resistere non possumus. Et quis scit,* (audite Græci & Rossi:) *an non nos tam acerbè puniuit Deus, hodiequè punit, quòd cum nostri sacram Vnionem* (hoc legite disuniti: qui nec nomen eius sine indignatione audire potestis: *cùm* (*inquit*) *nostri SACRAM Vnionem non recepissent; auxiliaribus copijs priuati sumus. &c. Nos reuera, quantumuis vellemus, nihil eorum agere quæ operæ pretium est, possumus. Non ergo nos accusent: sed malorum nostrorum commiseratione moti, Deum nobis propitium reddant: vt seruitute liberati, iterum vniamur Dei gratiâ. &c.* Hæc sola epistola confundere posset disunitos: qui anathematizant Vnionem: quam hic Patriarcha appellat sacram: quam à Deo impetrari expetit: ob cuius defectum Græciam à Deo punitam esse, punirique profitetur.

Eodem seculo, receptam esse à Rossis Florentiæ conclusam vnionem; probant, Rossis vnitis collata à Regibus Poloniæ priuilegia: quæ in vnum librum collecta & edita sunt à Reuerendis Patribus Vilnensibus Basilianis Vnitis. Ex quorum vno, aliqua verba refero. Priuilegium datum Budæ Anno 1443. à Vladislao Iagellonidâ inter alia verba habet hæc. *Cùm Spiritus Sancti cooperante clementia, Ecclesia, Orientalis ritus, videlicet Græcorum & Rossorum, quæ longis temporibus, in scissura fidei sanctæ, non sine multorum salutis dispendio, ab vnione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fluctuare videbatur; miserante Domino, decretis Sanctissimi Domini nostri Eugenij Papæ paruerit; & cum ipsâ Sanctâ Romanâ & vniuersali Ecclesiâ reducta sit ad identitatem diu desideratæ vnionis; pro tanto; vt Clerus vniuersus, ritus Græci & Rossorum, qui aliàs stante quadam disparitate & scissura, quandam depreßionem sustinebat;* Notent hoc disuniti: & expendant: & quàm falsa in multas Ecclesias iura prætendant; agnoscant: *restituta ipsi libertate, Diuino cultui insistere possit; concedimus &c.* Plura videantur in citato libro: & in alio, ibidem edito, de Vnione.

Anno 1510. Iosephus Metropolites habuit Synodum Vilnæ: in qua nulla mentio fit Patriarchæ: neque obedientiæ ei præstandæ: vt refertur in eodem libro priuilegiorum. *Fol. 24.*

Anno 1533. circiter; Basilius Magnus Dux Moschouiæ, euidens testimonium Excellentiæ Romanorum Pontificum dedit: cùm per Demetrium legatum, ad Clementem Septimum missum, magnis cum promissionibus petijt: vt ab eo in Regem & Principem eueheretur. Ita Genebrardus ex Iouio libro de viris illustribus: & ex vtroque Victorellus in Clemente: vt su-

vt supra retuli. Quia verò his temporibus rudiſsimi homines præerant Metropoli Kiouienſi; ideo inualuit Schiſma: quo factum eſt; vt Sigiſmundus Auguſtus, conſtitutionem anni 1413. de Magiſtratibus & præfecturis regni, & Magni Ducatus Lituaniæ, non conferendis diſunitis Ruſsis, innouauerit: & confirmauerit: Anno 1547. iuramento ſe obligans: nemini ſe diſunito Ruſso, vllas præeminentias vel dignitates conceſſurum: neque ſe vllum eorum ad ſecreta conſilia admiſſurum. Ita habet idem liber Priuilegiorum.

Anno 1580. circiter; Gregorius Decimus Tertius Pontifex ad Magnum Moſchouiæ Ducem, miſit Antonium Poſſeuinum: eruditiſsimum Theologum Societatis IESV: ad bellum, quod tunc Rex Polonorum Stephanus contra Moſchos proſpero Marte gerebat, æquis conditionibus componendum: & Moſchis Vnionem cum Eccleſia Romana perſuadendam: quam Vir doctiſsimus, quâ colloquijs, quâ libris editis non paucis ita perſuaſit; vt aliqui relicta Moſchouia in Poloniam commigrarint: quô liberiùs S. Romanæ Eccleſiæ reconciliari poſſent. Sanè nunc, non paucæ ſunt in Lithuania & Roſsia familiæ: quæ tunc in Regnum Poloniæ migrauêre: & nunc vel in vnione perſeuerant: vel ritus Latinos complexæ ſunt.

Anno 1593. Theodorus Dux Moſchouiæ, à Clemente Octauo coronam regiam petijt: quæ eâ conditione ei promiſſa eſt ſi ad gremium Eccleſiæ Romanæ cum ſuis ſubditis rediret. Ita Okolſcius libro citato. quanquam vereor; ne aliud verius ſit quod ſcribit Victorellus in Clemente Octauo: Boriſſum Moſchorum Ducem, anno 1594. miſiſſe literas; quibus de Demetrio querebatur, (quem vocabat excuculatum Monachum) & de Sigiſmundo Poloniæ Rege, contra Moſchos bellum gerente; ſuumquè deſiderium pacis inter Chriſtianos principes, & armorum conuertendorum in Turcas explicabat. An autem ille ipſe, aliquid tum de Vnione vel deſiderio Regij Diadematis ſcripſerit; mihi non conſtat.

Anno 1595. Michael Rachoza Metropolites Kiouienſis cum alijs 7. Roſſiæ Epiſcopis, Clementi Octauo per ſuos Oratores & Epiſcopos, Hypatium Pocieium, & Cyrillum Terlecki, obedientiam obtulerunt: & concluſam in Synodo Florentina Vnionem, magna totius Vrbis lætitia receperunt: quod pluribus deſcribit Cardinalis Baronius: in Appendice Tomi ſeptimi Annalium. Magna deinceps, ea Vnio, Deo benedicente, accepit incrementa: propagata & defenſa per eruditos libros, à doctiſsimis Patribus Baſilianis: alijſque Vnitis Prælatis, & Cænobiarchis conſcriptos. Eidem Clementi, Ioannes Patriarcha, Seruiæ, Bulgariæ, Boſnæ, &c. ſe, cum omnibus ſuis Eccleſijs, per ſuum Oratorem Damianum Hieromonachum anno

 1601.

1601. ſubiecit: idq poſtea repetijt literis ad Paulum 5. datis in quib⁹ eum appellat: *Caput, omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, principibusq́, omniũ gentium, præminens:* vti Hypatius Pociey refert: in lib: de Priuilegijs.

Maneat ergo probatum: nullum fuiſſe ſeculum quo non, per Græciam & Ruſsiam, fuerint ſemper aliqui, etiam Græci ritus; qui (quod olim Theophilactus in Commentario vltimi capitis Euangelij Sancti Ioannis docuit;) profiterentur; reque ipſa teſtarentur; S. Petrum, eiuſque Succeſſores, habere totius orbis, ſeu totius Eccleſiæ, Præfecturam: & fidei magiſterium.

COROLLARIVM.

EX dictis facilè colligitur: eos; qui in Laura Kiouienſi coluntur pro Sanctis, (ſi verè fuère Sancti;) alienos fuiſſe à Græcorum Schiſmate & erroribus. Nam primò, qui è Monaſterio Studitano, Conſtantipoli, in has partes venerant, proculdubio erant ab eis inſtituti, qui contra Photium, pro Sancto Ignatio Patriarcha dimicabant: conſtantiſsimâ recordatione retinentes; quæ à Sancto Theodoro Studita, Sancto Stephano Iuniore, & alijs, in Romanæ Eccleſiæ commendationem, dicta erant. Equidem hos, minimè dubitauerim dicere, eiuſdem fidei fuiſſe, cuius erant illi; qui Græcorum domeſticas turbas execrati, in Italiam ſe contulerunt: & in varijs Monaſterijs, etiam Romæ, in Sancti Bonifacij Monaſterio, & alibi, vitam Angelicam egerunt. Neque enim, inter hos, & Antonium Lauræ Kiouienſis Fundatorem, plures tredecim interceſſere anni: cùm illos, anno 990. in Italiam veniſſe ſcribat Baronius; Antonium verò, ſcribat Author Paterici, anno 1013. religioſam vitam in monte Atho orſum eſſe: atque inde in Roſsiam veniſſe ſub Vlodimiro magno Duce Ruſsiæ. vel (vt eſt probabilius) ſub Iaroslao: quorum tempore, Græcos & Ruſſos Romanæ Eccleſiæ vnitos fuiſſe, ſuperiùs oſtendi. Idem Antonius, ſub Iſaslao magno Duce, Cryptas maiores fodere cæpit: & Theodoſium anno 1032. ad religioſum viuendi inſtitutum admiſit: qui cùm pluribus annis præfuiſſet Lauræ; piè (ſi fides ſcriptoribus Kiouienſibus habenda eſt,) obijt anno 1047. etiam in ipſa morte teſtatus; ſe abhorrere ab errore Græcorum ſchiſmaticorum; docentium neminem ante diem iudicij cæleſtibus gaudijs perfrui. Contra eos, moriturus, pius hic aſceta aiebat: *Iam Dominus meus, me corporis ſolutum ergaſtulo, ad beatam ſuæ faciei viſionem educit. Iam me ad illa non manufacta palatia, ad potiendum bonis omni cogitatione ſublimioribus, transferri iubet.* Eadem ipſa verba cùm ante obitum repetierit Pimin; vt

min ; vt ſcribitur in Paterico *Fol. 136.* & Nicolaus Swiatoſa *Fol. 150.* non poteſt eſſe dubium eos de iudicio Particulari, & retributione poſt mortem , idem ſenſiſſe ; quòd Sancta Romana docet Eccleſia : atque ideo, vt ab hoc Græcorum errore, ita & ab alijs fuiſſe auerſos. Quales etiam fuiſſe, neceſſe eſt, eos ; quorum animas in cælum delatas ſcribit Patericographus : nempe Damianum Theodoſij diſcipulum : *Fol. 102.* Theodorum & Baſilium *Fol. 131.* : Euſtratium *Fol. 139.* : Kukſam *Fol. 144.* Athanaſium *Fol. 145.* Eos igitur omnes, à Græcorum erroribus fuiſſe auerſos, id ipſum conuincit, quòd apertè damnarint eorum errorem: qui docebant; neminem Sanctorum ante diem iudicij ad videndum in cælo Deum admiſſum iri : vt inter alios docuit in Encyclica ſua Epheſius. Antonium verò Lauræ fundatorem, Romanæ Eccleſiæ fuiſſe vnitum; illud inſuper probat : quòd à viris fide dignis audiui : Corpus eius requieſcere Romæ : in quodam Græcorum aſceterio : in quo dicitur, aliquot annis pijſsimè exactis, ſanctè obijſſe. Id quod factum eſſe, eô promptiùs credo : quòd videam in Paterico, neque annum, neque diem obitus eius, adnotari : & non dubitem, quòd corpus eius, ſi in Cryptis eſſet ; vnâ cum corpore Theodoſij, fuiſſet translatum : quod tamen factum non eſt. Quod verò aliqui ſimpliculi tradunt, corpus eius ob emicantem ſplendorem inacceſſibile eſſe : nemini id ſenſato perſuaſerint. Corpus, quod dicitur à Kiouienſibus eſſe Sanctæ Barbaræ ; illius ; per totum Septemtrionem glorioſæ Martyris ; eſt acceſsibile : quis ergo credat, corpus vnius anachoretæ eſſe inacceſsibile ? omnino perſto in ea ſententia Romæ hunc Sanctum Fundatorem Lauræ Kiouienſis quieſcere : & omnes ſuos diſcipulos Romanæ Eccleſiæ vnitiſsimos fuiſſe.

De alijs etiam aliquid loquar. Iſaac Toropcenſis, in qua fide & religione eſt enutritus ab Antonio ; eam conſtanter tenuit. Agapetus, vixit eo tempore, quo Kiouienſi Metropoli præfuit Ephræm, quem Romanæ Eccleſiæ vnitum fuiſſe ; oſtendi ſupra. Gregorius Thaumaturgus, à Theodoſio in ea fide enutritus eſt ; quam ipſemet ab Antonio & Studitanis Hieromonachis Romanæ Eccleſiæ addictiſsimis, edoctus fuerat. Ioannes patiens quo tempore vîxerit, non ſcribit Author ; veriſsimile eſt tantum caſtitatis amorem, veræ & Catholicæ fidei (extra quam nulla virtus ſolida eſt) coniunctum fuiſse. Moyſes, ſi vera ſunt quæ de eo ſcribuntur ; (de quo aliquid infra) vixit temporibus Antonij, & Theodoſij : ideoquè fuit vnitus Romanæ Eccleſiæ : vt & illi. Prochorus vixit tempore Nicephori Metropolitæ : quem Romanæ Eccleſiæ fuiſse vnitum ; videtur innuere Chronologus : cùm nullam faciat mentionem eius obedientiæ, Patriarchæ

Conſtan-

Constantinopolitano præstitæ: quam tamen fecit, cùm loqueretur de immediato eius antecessore Nicolao: & alijs quos ei Patriarchæ nouerat fuisse obedientes.

Dixi si verè sunt Sancti: Nam (vt de quibusdam id non ægrè concesserim; quanquam etiam ijs in quos inclino, multum derogat; quòd, Menologijs Græcorum, nullius nomen est insertum: quodquè neque à Græcis neque à Rusis vlterioribus pro Sanctis habeantur: & colantur:) vt tamen id de quibusdam concesserim; de pluribus vt dubitem; facit primò, ipsa scriptoris imperitia: & Chronologica sphalmata: quæ non pauca vnâ cum contradictionibus animaduersis, tam in Paterico quàm in Theraturgia habeo notata. Quibus omissis, vnum tantum quod mihi reuera, repugnare videtur, veritati, propono. Dicit Patericographus: *Sanctum Antonium cùm venisset in Russiam, omnia Monasteria obijsse.* Vbi quæso ea Monasteria Pieczerscensi antiquiora fuerunt? quo duce? quo Magistro inhabitata? à quo & vbi fundata? Id verò multò magis quæsierim de Monasterijs, quæ dicit idem, in Polonia fuisse, Monachis Sancti Basilij erecta: è quibus, eiecti sint, à Boleslao Chabrio; libidini (scilicet) vnius fæminæ, morem gerente; cuius tamen vitæ probitatem & res præclarè gestas, etiam extranei magnis laudibus efferunt scriptores: cuiusquè in fide propaganda Christiana, non minor eluxerit Zelus, quàm Vlodimiri Polygami: cuius tamen nomen, Kiouienses, Sanctorum fastis intulerunt. Quanquam quod attinet ad Moisem; illud quoque videtur minùs probabile: quòd ad eum, viuente adhuc Boleslao, cui cum Iaroslao multæ intercessêre inimicitiæ, venerit aliquis Monachus in Poloniam ex Atho monte: (tam, scilicet, Poloniæ propinquo, quàm est Kiouiæ Leopolis;) & Moysen in Monachum attonderit. Quibus verò cisijs ex monte Atho in Poloniam deuectus? à quo ad possessiones huius Dominæ introductus? quomodo ad colloquium cum Moyse tot custodibus circumsepto admissus? &c. *Videntur hæc nimis facilè credita.* Secundò, dubiā faciunt horū hominum sanctitatem Græci ipsi & Rusi: illi quidem; quòd eorum (vt dixi) neminem, suis Menologijs inscripserunt: neminemquè venerentur vt Sanctum: hi verò; tum quòd olim, non nisi fabulosa quædam de eis spargerent: atque nunc etiam in Vicinioribus Poloniæ Prouincijs spargant: neque eos venerentur vt Sanctos: tum quòd ipse Patericographus videatur de eorum virtutibus exilem habuisse opinionē. Scripta eius relegat studiosus veritatis lector: & si quo est veritatis studio, procul omni affectu, dicat quid dignum canonizatione scribitur, de Stephano, à proprijs Monachis, è monasterio pulso? quid de Matthæo? quid de Hieremia? &c. Sanctis[illegible]è videtur accensendus. Ni-

dus Nicon, alienæ Archimandriæ inuaſor, & Sancti Iſaaci perſecutor? Sanctus cenſeri poſsit Nicætas: cuius ſuperbia, inobedientia, cum dæmonibus communicatio, & ab eorum inſtitutione, ſecretorum hauſta manifeſtatio, cùm ſatis prolixè deſcripta eſſent; pænitentia & virtutes tribus verſiculis abſoluuntur? ſimiliter: quæ virtus Laurentij deſcribitur, præter inobedientiam? quæ Nifontis, præter rebellionem proprio Metropolitæ factam? Quid in Alimpio laudatur præter artem pingendi? Quid de Ioanne & Sergio enarratur præter furta & mendacia? Nimis hæc accelerata videtur canonizatio.

Iam illud quoque ſuſpectum eſt: quòd in tota Roſsia, nullum tam Sanctum reperiatur Monaſterium in quo tot canonizati reperiantur, quot in Pieczerſcenſi: cùm tamen Author Paterici ſcribat; quòd in eo ſtatim ab obitu Theodoſij, homines fuerint factioſi: & turbulenti: qui Sanctum Stephanum innocentem eiecerint: quodq; ex eiusdem diſciplina & inſtitutione prodierint non pauci, (etiam inter Sanctos recenſiti) ſuperbi: inobedientes: mendaces: calumniatores: fures: quodquè aliqui eorum, repræſentati ſunt per dæmonem inequitantem ſui: aliqui, (& præcipue Sanctus Nicon, Sancti Theodoſij intimus eiusquè poſt extruſum Stephanum Succeſſor,) per aſinum ſtantem &c. ſufficere hæc videntur ad ſatisfaciendum ijs, qui indignantur eſſe aliquos, qui homines in Cryptis Kiouienſibus quieſcentes, nolint venerari vt Sanctos: priusquam ab aliqua Sede Apoſtolica examinentur: & iudicentur eſſe Sancti. Integritas enim corporum, non rarò etiam hæreticis, & Ethnicis, maximè ſi dum viuerent ieiunijs exhauſti & arefacti eſſent, communis eſt.

Falſò ergò, in ſuæ fidei patrocinium, diſuniti Roſsi, Sanctorum multitudinem prætendunt. Oſtendant aliquem Stanislaum: qui Piotrauinum ante triennium mortuum, viuum, Regio Tribunali, in Theatro totius regni ſpectandum, ſtiterit. Oſtendant tot heroicos virtutum actus: & tot miracula in aliquo ſuorum, quot videre licet, in vitis Sancti Franciſci. Sancti Dominici, & multorum qui in Sanctis eorum familijs vixêre. Oſtendant in aliquo: tot pro Chriſto toleratos labores, tot Ethnicos conuerſos, quot legere poſſunt, ſi volunt, in vita Sancti Franciſci Xauerij: & in Hiſtoria Indica & Iaponenſi. Denique cùm totam Teraturgiam decurriſſem; non inueni, per omnes Sanctos Pieczerſcenſes, (quanquam ego non eis, ſed Beatæ Virginis imagini acceptum refero; ſi quid ibi præternaturale accidit) tot indulta hominibus beneficia: quot Deum precibus Beati Stanislai Koſtka contuliſſe, in ſolo Leopolitano & Lublinenſi proceſſu legitur: ſanè in Lublinenſi proceſſu, etiam mortui excitatio, reperitur: quæ ab ipſo Illu-

 ſtriſsimo

ſtriſsimo Regni Tribunali; (in quo aliqui fuere heterodoxi;) agnita: & publico teſtimonio roborata eſt. Multò ſanè iuſtiùs Roſsi ſuſpectam habere deberent ſuam religionem, ob eas cauſas: ob quas veluti ob euidentes DEI pænas eam eſſe repudiandam, ante annos trecentos ſcripſerat Barlaam Peloponeſius Græcus: in epiſtola ad amicos Græcos; inſerta Tomo 14. Bibl. Primò: ob ſummam ruditatem & Sacrarum literarum imperitiam: quam etiam Calecas & Gennadius magnopere deplorant; quæ ſanè eô vſque excreuit; vt in Baronio, & in Turcogræcia legamus; fuiſſe aliquos Patriarchas Conſtantinopolitanos, qui neque legere, neque nomen ſaltem ſuum ſubſcribere, noſſent. Quanta autem nunc ſit; ſatis clarè deſcripſit R. D. Theodorus Skuminowic in rationibus abiecti Schiſmatis; & citra probationes, quâcunque iuerimus, experimur. Secundò: ob Regimen multorum Patriarcharum: qui excuſſo obedientiæ iugo, independenter ab omni Superiore, ab omnis iudicij liberi metu, regunt, vti volunt: ſummo rei Chriſtianæ animarumquè damno: Tertiò: ob infinitam multitudinem eorum, qui ad Mahometem defecerunt: & etiamnum deficiunt: cùm tamen, in Eccleſia Romana etiam grauiſsimis ſæuientibus perſequutionibus conſtantiſſimus fuerit (& nunc etiam in Iaponia & Indijs ſit) Sanctæ fidei retinendæ feruor. Elegans eſt huius puncti deploratio apud Gennadium Patriarchã lib. vel C. 5. Sect. 12. *In quo loco collocabis Eccleſi contra quam portæ inferi non ſint præualituræ? vbi nec ſacrificare tutò poſſis? vbi nec tintinabulum, nec crucis ſignum apparet? vbi nemo liberè poteſt dulce nomen Chriſti proferre? vbi proteruntur altaria, & deridetur Chriſti religio? an potius eo?* (de Romana Eccleſia incipit loqui) *vbi ſignum Chriſti fulget: vbi altaria adorantur? vbi Sacerdotibus reuerenter eminus aſſurgant populi: vbi palam Chriſti fides prædicatur: vbi ſummus Pontifex, Doctores & prædicatores in omnem terram dimittit ad prædicandum Verbum Dei: Saluatoris noſtri, vicem in terris agens; qui Apoſtolos ad prædicandum omni creaturæ mittebat?* Plura quæ in eadem materia ſcribi poſſent, copioſè & eruditè ſcripſere, multi viri eruditiſsimi Aſceterij Vilnenſis & Dermanenſis. Mihi dicta antiquorum Græcorum non ita omnibus obuia retuliſſe ſuffecerit. Iamquè hîc finirem: niſi interiùs monitus eſſem: vt Lithologi nimis audaci ſcripto, & in Sanctum Petrum eiusque Succeſſores valde contumelioſo, reſponderem.

APPENDIX.

ANTITHESES

Sanctorum Patrum & Scriptorum Orientalium,

THESIBVS,

Kiouiensis Lithologi de Primatu S. Petri eiusque Successoribus obiectæ.

QVoniam, quæ prolixiùs de S. Petri eiusq; successorum vniuersali totius Ecclesiæ Regimine, scripta sunt; negotia varia, non quemuis euoluere & expendere patiuntur; facturum me censui operæ pretium, si veluti in scenam spectandum producerem, quantum Recentiorum Græcorum iudicia à Sanctorum Patrum doctrina, immò etiam à quorundam sui schismatis scriptorum & Patronorum, placitis, discesserint; in ferenda sententia, de Præeminentia S. Petri: Eiusque Successorum. Id quod non alia ratione feliciùs exequi posse arbitratus sum; quàm si Lithologi, famosi nunc inter suos scriptoris, Thesibus, de ea materia conclusis, Sanctorum Patrum & Scriptorum Orientalium Antitheses opponerem: quibus inter se collatis, facilè quisque posit per se animaduertere, quàm falsò Recentiores Græci & Roisi, iactent se, Sanctorum Patrum Orientalium, auitis & antiquisimis dogmatibus inhærere.

THESIS PRIMA

LITHOLOGI.

Sanctus Petrus nihil præ cæteris Apostolis habuit: Fol. 415. &; S. Petrus non potest dici, supra alios Apostolos; sed tantùm numero & ordine primus. Fol. 418.

Antithesis Sanctorum Patrum Orientalium.

OMnibus Quindecim seculis: & Sancti Patres Orientales, & Docti Scriptores, postremis vero seculis etiam ipsi Schismatici contrarium docuerunt. Ostendo id per singula secula. In primo seculo, Sanctus Petrus, vocatur à S. Dionysio Areopagita lib: de diuinis nominibus C. 3. *Supremum & maximè venerandum Theologorum seu Apostolorum fastigium.* & lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 5. in electione Sancti Mathiæ, vocatur, *Princeps Apostolorum.* Eodem seculo Sanctus Clemens Romanus Pontifex & Martyr, de eodem, in epistola 10. ad Sanctum Iacobum ita scribit. *Simon Petrus, verè fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentum esse Ecclesiæ definitus est.*

In secundo seculo, S. Anacletus Papa & Martyr in *epist. 1.* ad omnes Episcopos, & omnes fideles, vocat Sanctum Petrum; *Beatum Principem Apostolorum*: & in alia epist: ad omnes Episcopos & Sacerdotes ait: *Eidem Sancto Petro, à Christo esse concessum, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & caput principatumq; teneret Apostolatus.* Eodem seculo S. Theophilus Patriarcha Antiochenus, à Sancto Petro Sextus, lib: 2. Allegoriarum in Euangelium Sancti Marci ait. *Socrus Petri Synagoga est: filia eius Ecclesia: quam regendam Petrus Apostolus accepit.* Eodem seculo S. Melito Episcopus Sardensis, in lib. de transitu Virginis, qui apud Græcos in magna est æstimatione, Sanctum Ioannem inducit ita loquentem ad S. Petrum. *Tu qui præcedis nos in Apostolatu; meritò debes hanc palmam ante feretrum ferre.*

In tertio seculo, S. Hyppolitus Martyr, & Episcopus, Oratione de consummatione mundi, vocat eundem. *Fidei Petram & principem discipulorum.* Eodem seculo, S. Petrus Alexandrinus Patriarcha, & vltimus Martyr, Canone de Pœnitentia Nono, citato & explicato à Theod. Balsamone, in Nomocano ne; vocat eundem *Prælatum vel Præpositum* (προκρίτον) *Apostolorum.* Eodem seculo, Origenes, locis in prima propositione citatis, magnopere eundem extollit: quibus nunc addo homiliam secundam in diuersos: in qua ait. *Nemo nos existimet, Ionnnem Petro præferre: quis hoc fecerit? Quis esset altior Apostolorum illo; qui est & dicitur vertex eorum?* & paulò superius ibidem vocat S. Petrum, *Summum verticem Apostolorum?* Eodem seculo, S. Dorotheus Episcopus Tyri, & Martyr, libro de duodecim Apostolis, vocat S. Petrum. *Coryphæum Apostolorum: id est* (vt interpretatur Robertus Constantinus, alijque Lexicographi) *Caput & Principem.* vnde ad exprimendam hanc excellentiam, frequentissimè Patres Græci S.

Petrum

Petrum vocant Coryphæum Apostolorum: aliqui verò Coryphæotatum. Denique eodem seculo, S. Cyprianus, Primas Africanus & Martyr, libro de vnitate Ecclesiæ docet: *Primatum S. Petro esse datum; vt vna Christi Ecclesia monstretur: vt proinde qui Cathedram S. Petri deserit; in Ecclesia se esse confidere non debeat.*

In Quarto seculo, S. Marcellus Papa & Martyr, in epist: ad Episcopos Antiochenæ Prouinciæ; vocat S. Petrum, *Caput totius Ecclesiæ: ad cuius Sedem, tanquam ad caput, iuxta Apostolorum eorumquè Successorum sanctiones suffugere debeant Episcopi, qui voluerint: vel quibus necesse fuerit: vt inde accipiant tuitionem, & liberationem, vnde acceperunt informationem: & consecrationem.* Eodem seculo S. Athanasius homilia de Annunciatione Sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ, vocat S. Petrum *Apostolorum Coryphæum*: id est, (vt interpres vertit) *Principem.* Eodem seculo, Sanctus Macarius Eremitarum Pater, S. Antonij discipulus (Tomo 4. Bibl. homil. 27.) asserit: *Moysi successisse Petrum: qui nouā Ecclesiam Christo, verumq; Sacerdotium creauit.* Eodem seculo, à S Cyrillo Patriarcha Hierosolimitano Sanctus Petrus vocatur Catech. 2. ad finem; κορυφαιοτατος καὶ πρωτοστατης, id est (vt vertit interpres) *Princeps excellentissimus Apostolorum*: Catech. secundâ ad finem, vocatur ab eodem, *Princeps Apostolorum*: & *regni cælestis clauiger.* Eodem seculo, S. Basilius magnus, Tomo 2. libro de iudicio Dei *Fol.* 402. vocat Sanctum Petrum, *cæteris prælatum discipulis: eumquè cui magnificentiùs quàm reliquis omnibus datum testimonium sit: & qui MAGIS,* notet ea omnia Lithologus *quàm reliqui omnes, beatus sit appellatus.*

Eodem seculo, S. Gregorius Theologus, Oratione 26. supra citatâ docet: S. Petrum. *solum ex omnibus, Petram vocatum, Ecclesiæ fundamenta in suam fidem recepisse.* Eodem tempore, de eodem ita loquutus S. Ephræm: homil. de Transfiguratione Domini. *Sicut Moyses, societatis illius & coniunctionis Hebræorum, iussu Dei princeps fuit; ita Petrus, Ecclesiæ Christianorum. Atq; vt ille, veteris; ita hic, noui Princeps est Testamenti.* Eodem tempore, S. Oresiesis, Sancti Pachomij collega: Vir (teste S. Hieronymo) in sacris scripturis ad perfectum instructus, in Regulis de institutis Monasticis (Tomo 4. Bibl. *Fol.* 39. ait:) *Principi Apostolorum, à Christo dictum esse: Petre amas me.* Eodem tempore, Sanctus Epiphanius Archiepiscopus Cypri in Ancorato, vocat Sanctum Petrum constitutum à Christo primum Apostolorum: *Petram firmam, supra quam Ecclesia Dei ædificata sit*: & hæresi 51. *Ducem Discipulorum Christi.* Eodem denique tempore, Philo Carpatiorum Episcopus, scribens in caput 4. Canticorum, vocat S. Petrum; *Caput Ecclesiæ,* quem eundem titulum, tribuit eidem, eius συχρονος, S. Hieronymus in Ps.

in Ps. 13. & S. Optatus Episcopus Mileuitanus: qui libro secundo contra Parmenianum Hæreticum, ita scribit, haud procul â fine. *Negare non potes, scire te: in vrbe Romana, Petro Cathedram Episcopalem esse collatam, in quâ sederet, Omnium APOSTOLORVM CAPVT Petrus.* Hæc qui expenderit; & tamen negare præsumpserit, S. Petrum multum præ alijs habuisse; non erit censendus homo: sed uerissimè & proprijssimè, λίθος.

In Quinto seculo, vixit & obijt, Magnus S. Petri Encomiastes, Sanctus Ioannes Chrysostomus: cuius encomia in S. Petrum ab eo collata, recensui superiùs: hîc breuiter repeto. Vocat inprimis eum, *Caput Ecclesiæ.* hom. 55. & 11. in Mat. vocat eundem homil. 87. in Ioan. *Principem & verticem cætus Apostolorum, cui orbis terrarum cura demandata sit.* Vocat eundem homil. de Adoratione Cathenarum S. Petri (quæ incipit Sanctum & iustum est &c.) *animarum in perfidiæ pelago fluctuantium gubernatorem: Apostolorum firmamentum: magnum orbis terrarum miraculum: Summum Apostolorum verticem.* & in homil. in S. Petrum Apostolum, & Eliam Prophetam, vocat eundem; *Apostolorum verticem, fundamentum Ecclesiæ immobile: Principem & Magistrum orbis terræ.* Et hæc non suffecerint ad Saxeum os Lithologo obstruendum? Addo tamen alios. Andreas Episcopus Cæsareæ Cappadociæ in Commentario Apocalypsis, Cap. 38. ser. 13. vocat Sanctum Petrum, (Coryphæum Apostolorum) id est Caput & Principem: quod repetit in C. 66. Serm. 23. Eodem tempore, Theodoretus Cyrensis in Commentario epist. primæ Cor. C. 12. Sanctum Petrum vocat, *Apostolorum Summum.* Eodem tempore, Ioannes Episcopus Hierosolymitanus homil. de festo SS. Apostolorum, Petri & Pauli, vocat S. Petrum, *Ducem & doctorem Apostolorum,* & infra vocatur ab eodem, *Orthodoxæ fidei principium.* Eodem seculo, S. Cyrillus Alexandrinus vocat Sanctum Petrum (vt alia loca omittam) lib. 12. in Ioan. Edit. Lutet. *Fol. 1118. Principem & caput Apostolorum*: & lib. 9. *Fol. 755.* ait. *eum primum inter Apostolos locum tenuisse: ideoque ipsosmet Apostolos, ei vt præcipuo ac præcellenti, primas loquendi partes concessisse.* Eodem seculo, S. Isidorus Pelusiota, Monachorum Pelusiaci Montis, in Ægypto Archimandrita, S. Ioannis Chrysostomi discipulus, S. Petrum vocat epistola 58. *Apostolorum antesignanum*: & epist: 99. *Apostolici chori præsulem*: & epistola 142. *Apostolici Sodalitij Coryphæum.* Eodem tempore, S. Proclus Patriarcha Constantinopolitanus, Orat: in Transfigurationem Domini, vocat S. Petrum, *discipulorum caput & antesignanum.* Eodem tempore, S. Basilius, S. Ioannis Chrysostomi familiaris, Archiepiscopus Seleuciæ Isauriæ Orat. 17. in Dauidem, & Orat. 25. vocat Sanctum Petrum, *Apostolorum Coryphæum discipulorum Christi*

primatem:

primatem ; mysteriorum quæ à Patre Filius acceperat, accuratum interpretem. Eodem tempore, Ioannes Cassianus discipulus S. Chrysostomi, lib. 3. de Incarnatione Cap. 12. sic Sanctum Petrum compellat : *Dic nobis Princeps Apostolorum Petre : quemadmodum Ecclesiæ credere Deum debeant ? æquum est enim : vt doceas nos ; doctus à Domino : & aperias nobis ianuam, cuius clauem accepisti. Certum enim est, quòd nullus ostium regni intrare poterit : nisi cui clauis à te in Ecclesiis collocata aperuerit.* Eodem tempore, Eusebius Emessenus, homil. in natalem S. Petri ait. *Decuit hoc Petrum respondisse : quatenus ipse esset princeps fidei Christianæ ; qui esset princeps Apostolorum.*

In Sexto Seculo, S. Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus, in Odigo, Cap. 6. vocat Sanctum Petrum ; *Principem Apostolorum,* Libro verò sexto Anagogicarum contemplationum, vocat Sanctum Petrum ; *Summum & Antiquissimum verticem Apostolorum.* Eodem tempore, Ioannes Raithu Abbas, in Commentario S. Ioannis Climaci, vocat Sanctum Petrum, *Apostolorum verticem.* Eodem seculo, Leontinus Bizantius in Laura S. Sabæ Monachus, lib: 2. contra Aphtartodocitas vocat S. Petrum, *Principem Apostolorum.* Eodem secùlo in Concilio Constantinopolitano sub Menna Patriarcha, recensito à Zonara, S. Petrus sæpius vocatur, *Princeps Apostolorum* ; nempe Actione prima, *Fol.* Zonaræ 577. & actione 4. *Fol.* 620. & Actione 5. *Fol.* 632. & alibi.

In Septimo seculo, S. Sophronius Hierosolymitanus Patriarcha, in epistola ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, quæ in Synodo 6. generali lecta est, profitetur se recipere epistolam Magni Leonis : omniaquè eiusdem dogmata, tanquam ex ore S. Petri *Principis Apostolorum,* profecta. Eodem Seculo, Sanctus Maximus Archimandrita & Martyr Constantinopolitanus, Sanctum Petrum vocat in Sermone de Incarnatione (Tomo 7. Bibliothecæ *Fol.* 406.) *Summum Apostolorum.* Ergo adhuc dicere aliquis audebit nihil eum præ alijs habuisse ? Quæ de Sancti Petri prærogatiuis, in Concilio Sexto Oecumenico leguntur ; superiùs, propositione secunda retuli : non repeto : plura reperiet qui ipsum Concilium legere voluerit.

In Octauo seculo, Sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in Theoria rerum Ecclesiasticarum, (Tomo 8. Bibl. *Fol.* 54.) de Sancto Petro ita scribit. *Posuit Dominus, super caput eius, coronam, non ex lapidibus pretiosis, sed lapide & Petra fidei eius, fulgescentem super aurum & topasium : vertex enim ornatus & corona duodecim capillorum, Apostoli sunt. Petra verò, Sanctissimus Apostolus est, primus Hierarcharum Christi.* Eodem Seculo, Sanctus Damascenus, virtutibus & doctrina clarissimus, in Parallelis lib. Secundo Petrum vocat *Apostolorum Coryphæum : Ecclesiarum columen : orbis terrarum*

magistrum :

magistrum: peccato succumbere permissum: ne apud hominem, acris alioqui, & seueri animi, nullus locus veniæ ipsius discipulis esset: si peccatum in eum non caderet. Idem in Orat. de Transfiguratione, sublimes Sancto Petro tribuit titulos. Vocat eum, *Noui testamenti antesignanum: qui Christum Dei Filium apertissimis verbis prædicauit.* Vocat item eum, *non tabernaculorum sed vniuersæ Ecclesiæ ducem & moderatorem.* Et infra. *Antistitem, qui totius Ecclesiæ gubernacula suscepit.* Orat. de Assumptione B. V. M. vocat eundem, summum & præstantissimum Apostolorum verticem.

Igitur hic vnicus S. Pater Orientalis Ecclesiæ, ad refellendum & confundendum Lithologum sufficeret. Sed quod grauiùs, Lithologum premere potest; est Canon quartus Concilij Septimi, seu Nicæni Secundi, editi à Zonara: & Balsamone: in quo S. Petrus vocatur *Apostolorum Summus*, Græcus textus, apud vtrumque Canonistam, magnam habet emphasim. Dicitur enim in eo, πέτρος ἡ κορυφαία τῶν ἀποςόλων ἀκρότης: id est, Verticalis Apostolorum summitas. Hîc viderit Lithologus, an non ipso facto incurrerit anathema, ob apertam contradictionem huic Canoni.

In nono sæculo, Theodorus Abucara, in epistola Thomæ Patriarchæ Hierosolymitani, S. Petrum vocat, *Ducem Apostolorum.* Eodem Seculo S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in epistola data ad Leonem Tertium, anno 811. (quæ extat tomo 9. Annal. apud Baron. & in Nomocanone *Fol. 773.*) vocat S. Petrum *Apostolorum Coryphæum.* Eodem seculo S. Theodorus Studita, tantis laudibus, non tantùm S. Petrum, sed etiam eius Successores extulit, quantas vix apud aliquem Occidentalium Patrum legere liceat. Verba eius pleraque retuli supra; & nonnulla repetam inferiùs. Eodem seculo, Leo Philosophus Imperator, (qui hoc seculum alioqui valde obscurum, teste Bellarm. in scriptoribus Ecclesiasticis, præclaris lucubrationibus illustrauit) in serm. de S. Petro, vocat eum, *Principem Apostolorum.* Et infra. *Caput discipulorum.*

In Decimo Seculo, Oecumenius Sanctum Petrum in Proemio Commentarij Act. vocat *Apostolorum principem*: & in Caput Secundum Acto: ait ei *discipulorum præsidentiam* (notet Lithologus) *commissam esse.* Et in Commentario 1. Cor. C. 15. vocat eundem, *primarium ducem venerandi chori discipulorum.* Eodem Seculo, Simon Metaphrastes in vita SS. Apostolorum Petri & Pauli, vocat Sanctum Petrum, *Apostolorum principem: cui Dominus Vniuersi orbis terræ curam commisit: os reliquorum Apostolorum seu Magistrum.* Eodem Seculo, Aretas Archiepiscopus Cæsariensis, (quem eodem tempore scripsisse in sua Chronologia testatur P. Petrus Canisius;) in Commentario Apocalypsis Cap. 67. per Iaspidem Apocalypticum intelligit

Sanctum

Sanctum Petrum, quem ibi vocat, phrasi Græcis receptissima, *Coryphæum Apostolorum.*

In Seculo vndecimo, Primatus Sancti Petri locupletissimus est testis, Theophilactus Bulgariæ Archiepiscopus: cuius dicta pleraque supra retuli: aliqua inferiùs repetam. Eodem Seculo Michaël Psellus, scribens in illa verba Canticorum: Crura eius sicut columnæ marmoreæ &c. vocat Sanctum Petrum *Apostolorum Principem.* Eodem Seculo, Ioannes Xiphilinus Patriarcha Constantinopolitanus, sermone de crucis adoratione, vocat Sanctum Petrum, *Apostolorum principem.*

In duodecimo Seculo, Euthymius Zigaben' Monachus, explicans Caput vltimum Sancti Ioannis; ait eum, *per verba illa Christi, pasce oues meas, accepisse præsidentiam super discipulos.* Eodem Seculo, Philippus Solitarius (vocatus vir Sanctissimus ab Isidoro, qui, iussus à Dionysio Metropolita Mitilenensi notis eum illustrauit,) in Amussi, vel Dioptra rei Christianæ lib. 3. C. 3. Sanctum Petrum vocat, *Principem Apostolorum.* Eodem Seculo Ioan. Zonaras in explicatione Canonis 84 Apostolici, Sanctum Petrum vocat *Apostolorum Coryphæum: id est Caput & Principem.* Eodem tempore vixisse videtur, Sancti Gregorij Theologi interpres, Elias Metropolita Cretensis, qui in Commentario Orat. primæ, Sanctum Petrum vocat *Principem Apostolorū*: quod repetit ibidem, num. 31. vbi etiam tribuit ei titulum *legislatoris Christianorum,* ob eam rationem: *Quia cùm ipse pastoralem curam, & præfecturam, primus à vero Pastore acceperit; minimè absurdè, dicitur & ipse, omnis pastoralis disciplinæ legislator: (duntaxat post primum & verum Pastorem Christū:) vt lex ipsius, Constitutiones dici queant.* Notet hoc & expendat Litholog' memineritq; id iā sub eo æuo scriptū: quo Schisma maximè inualuerat. Idem in Commentario Orat. 24. Num. 21. & 22. Sanctū Petrum ter appellat, *Supremum.*

In Seculo Decimo tertio, post Concilium Oecumenicum Lugdunense, multi Orientalium, professi sunt Sancti Petri eiusque Successorum Primatum: adiecto etiam iuramento: vt supra retuli. Præcipua hac in parte enituit cura, Nicephori Blemmidæ Archimandritæ Constantinopolitani: Nicætæ Maronensis Chartophilacis: & postea Archiepiscopi Thessalonicensis: Ioannis Becci Patriarchæ Constantinopolitani. Denique Theodorus Balsamon in proœmio Canonū Carthaginensis Synodi *Fol. 591.* vocat Sanctum Petrum *Apostolorum Coryphæum: id est caput & principem.* Vbi addit: *Romanam Sedem, ideo dici Apostolicam, quòd in ea Princeps Apostolorum claruerit.*

In Decimoquarto Seculo eandem Sancti Petri eiusque Successorum prærogatiuam, fortissimè defenderunt Græcorum doctissimi: Barlaam Pelopo-

nesius, Hieracensis Episcopus: Bessarion, ex Metropolita Nicæno S. E. R. Cardinalis eminentissimus: Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus: Iosephus Metonensis Episcopus. Demetrius Cydoneus Constantinopolitanus: quod ipsum hoc seculo plurimi Græcorum & Rossorum doctissimi præstitere: atque etiamnum præstant indefesso studio, Deo eorum laboribus benedicente. Dicat iam Lithologus: quis excogitari potest titulus, magis significatiuus præeminentiæ Sancti Petri supra alios Apostolos, immo supra totam Ecclesiam, quàm cùm dicitur Apostolorum Caput, Vertex, Princeps, antesignanus, Magister, Præpositus, πρόκριτος: quos tamen aliosq; titulos tam multi Orientalium Patrum, immò etiam docti Schismatici, Sancto Petro tribui debere agnouerunt?

At enim fortasse, Lithologus, suppetias à Diplicio petet: dicetquè non id esse considerandum quid Sancti Patres loquantur, sed quæ eorum dicta Sacræ Scripturæ consonent. Nimirum Sanctos Patres oportebit intelligentiam Scripturarum ab eis doceri, qui in Scholis Saxonicis, vel Anglicis, vel Racouiensibus, noua, & Sanctis Patribus inaudita, Sacræ Scripturæ didicere glossemata. Bene habet: deponant fucum: & explicita fronte fateantur: se cum Socinistis, soli Scripturæ suo sensu explicatæ, credere: Patres insuper habere: proclament Sanctos Patres in grauissimo errore versatos esse: qui talia elogia homini, (vt solent cum similibus sibi heterodoxis clamare;) peccatori, ausi sunt tribuere: Catholicorum tam Occidentalium quàm Orientalium, hoc erit inter alia magnum solatium: quòd cum Sanctis Patribus & loquantur: & sentiant.

Ne tamen Lithologus, Diplicio adiutore, se victorem fore speret; etiam ex Sacra Scriptura ostendo Sanctum Petrum multa præalijs Apostolis habuisse: ideoquè ab Euangelistis, plura de illo vno, quàm de reliquis omnib' simul sumptis, scripta esse. Ei soli Christus nomen dedit Petræ, supra quam ædificaturus esset Ecclesiam. Pro eo solo soluit didrachma: per quod eum omnibus Apostolis prælatum esse, ipsimet Apostoli agnouerunt: vt in eum locum aduertunt, Sanctus Hieronymus, Sanctus Chrysostomus, & Theophilactus. Petro idem Dominus, post resurrectionem, primò omnium Apostolorum apparuit: vt in Commentario primæ Cor. 15. v. 4. expresse docet Sanctus Chrysostomus: *Petro* (ait Sanctus Patriarcha) *primùm apparet: nam qui Christum primò confessus erat, non abs re primus resurgentem videt.* Et infra. *Non omnibus initio, nec pluribus simul visus est: sed vni tantùm, & ei PRINCIPI, & fide maximè digno.* Petrus item, ad noui Apostoli electionem conuocauit omnes discipulos: agnoscens (vt in Act. 3. loquitur Sanctus Chrysostomus) creditùm sibi à Christo gregem: vt qui omnes in

manu

manu habeat: Petrus post acceptum Spiritum Sanctum primus promulgauit Euangelium: Primus item in Confirmationem Euangelij, à se prædicati, Miraculum primum fecit: Petrus primus, gentilibus Euangelium prædicauit: & gentilem baptizauit. Reliqua vide, si placet, apud Bellarminum vel Becanum. Iam ad Secundam Thesim transeo.

THESIS SECVNDA LITHOLOGI.

Fundamentum Ecclesiæ Vniuersalis nemo potest esse, præter Christum Fol. 404. &; Neque Sanctus Petrus neque vllus Apostolorum Fundamentum Ecclesiæ Vniuersalis esse potest: ibidem.

Antithesis Sanctum Patrum Orientalium.

SAnctus Athanasius, in epistola scripta nomine totius Synodi Alexandrinæ, ad Felicem Papam; verba Christi ad Sanctum Petrum, ita Romano Pontifici Felici accommodat. *Tu es Petrus*: (*sicut Diuinum veraciter testatur eloquium*:) *& super fundamentum tuum, Ecclesiæ columnæ; id est Episcopi: qui Ecclesiam sustinere, & proprijs humeris portare debent.* Sanctus Basilius Sermone de Pœnitentia ait: *Petrus, Beatus pronunciatus, cùm dixisset; Tu es Filius Dei Altissimi; vicissim audiuit, quia tu Petra es.* Si Petra est super quam ædificata est Ecclesia: quomodo non fundamentum? Reliqua quæ ex eodem Archiereo retuli, supra videat, si volet, lector: in prima propositione: vbi etiam relegatur illud tam illustre dictum, Sancti Cypriani Archiepiscopi & Martyris: *Super vnum illum ædificat Ecclesiam &c.* Addatur & ex ibidem citatis: Sanctus Gregorius Nazianzenus, Sanctus Ephræm, Sanctus Ioannes Chrysostomus, Theophilactus, Psellus, Ritualia Slauonica: & videatur: an (vt in prima propositione adnotaui) non longissimè à Sanctorum Patrum dijscesserit; immo etiam à Rossorum Antistitum dogmatibus; qui thesim præfixam effutire præsumpserit: eam certè edoctus non ab vllis Sanctis Patribus Orientalibus: (nam quibus? cur eos non produxit?) sed à Luthero & Caluino, alijsquè nostræ ætatis hæresiarchis.

THESIS TERTIA.

Nullus homo est quem Ecclesia agnoscat suum esse Caput. Fol. 411.

Antithesis SS. Patrum Orientalium.

SAnctus Athanasius, in epistola nomine Alexandrinæ Synodi ad Marcum Pontificem scripta; Romanam sedem vocat; *Matrem & CAPVT omnium Ecclesiarum.* Idem cum alijs Ægyptijs Patribus, in epistola ad Liberium Papam, ita scribit. *Vniuersalis vobis à Christo IESV commissa est Ecclesia.* Idem, cum ijsdem, Felicem Papam ita inter alia alloquitur. *O Sanctissime Pater: Pater Patrum: ad vos quasi ad CAPVT confugimus: vt vestro suffulti auxilio liberemur.* Et infra. *Scimus vos vniuersalis Ecclesiæ, & maximè Episcoporum qui vocantur oculi Domini, curam gerere.* & ibidem. *Ob id vos, vestrosquè prædecessores, in Summitatis arce DEVS constituit: omniumq́; Ecclesiarum curam habere præcepit: vt nobis succurratis.* Et denique: *Illa* (Romana sedes) *est sacer VERTEX in quo omnes Ecclesiæ vertuntur: sustentantur: releuantur.* Theodoretus Cyri Episcopus, in epistola ad Renatū, ita scribit, *Tenet Sancta* (Romana) *sedes, gubernacula regendarum totius orbis Ecclesiarum.* Sanctus Basilius in epistola 70. & 77. S. Damasum Papam vocat *CAPVT vnius corporis Christi, quod est Ecclesia.* S. Ioannes Chrysostomus homil. 55. in Mat. expressè vocat S. Petrum *CAPVT Ecclesiæ:* quem ipsum titulum tribuit eidem Philo Carpatius paulò ante citatus. Eundem eidem tribuit titulum S. Hieronymus lib. 1. in Iouinianum: & S. Augustinus sermone 124. de tempore. S. Theodorus Studita ita alloquitur Leonem Papam. *Conserua nos Pæmenarcha Ecclesiæ, quæ sub cælo est: perimus.* Patres Chalcedonenses: S. Leonem Magnum, aiunt, *omnibus, vt membris, CAPVT præfuisse.* Iustinianus Imperator in epistola ad S. Ioannem Papam data, vocat eum *CAPVT omnium Ecclesiarum.* Denique Episcopi Græci in literis supplicibus quas anno 512. dedere ad Symmachum Papam; aiunt, *eum super omnes oues Christi per omnem habitabilem orbem vniuersalem habere præfecturam.* Quod ipsum S. Petro tribuit Theophilactus in Caput vltimum S. Ioannis: vt sæpiùs dixi. Hîc videat Lithologus quàm procul à iudicio Sanctorum; sua Thesis discesserit.

THE-

THESIS QVARTA.

Si poteſt dici Sanctus Petrus Fundamentum ſecundariũ; tum non ſolus, ſed cum alijs Apoſtolis. Fol. 405. & ; æqualiter omnes Apoſtoli ſunt fundamenta ſecundaria. Fol. 417. & ; eſſe fundamentum Secundarium Vniuerſalis Eccleſiæ, conuenit omnibus Epiſcopis Particularibus. Fol. 406.

Antitheſis Sanctorum Patrum Orientalium.

FIrmilianus Cæſarienſis Archiepiſcopus, in epiſtola ad Sanctum Cyprianum ait: *Super Petrum, Fundamenta Eccleſiæ eſſe collocata.* Quomodo ergo S. Petrus Fundamentum ſit Secundarium: & quidem non ſolus? S. Baſilius Magnus in caput ſecundum Iſaiæ. *Vnus* (inquit) *ex his montibus fuit Petrus, ſuper quam Petram, promiſerat Dominus ſuam ſe ædificaturum Eccleſiam.* Clariùs S. Gregorius Nanzianzenus citatus in prima Antitheſi profitetur: *Vnum Petrum ex omnibus diſcipulis à Chriſto Petrum vocatum, ipſa Eccleſiæ fundamenta in ſuam fidem recepiſſe.* En quam clarè tanti Theologi doctrina, contradicit Theſi. Theophilactus in caput 22. Lucæ ita loquentem Chriſtum induit. *Quia te* (Petre) *habeo, vt principem diſcipulorũ: poſtquam negato me fleueris; confirma cæteros. Hoc enim te decet, vti eũ; qui poſt me es Petra: & fundamentum Eccleſiæ. Intellexerit autem quis, non ſolùm de Apoſtolis dictum: quòd confirmati fuerint à Petro, ſed de omnibus, qui vſq; ad conſummationem ſeculi futuri ſunt fideles; Tu enim Petre conuerſus, bonum exemplum pænitentiæ eris omnibus: vt nullus credentium, in te reſpiciens deſperet: qui cum Apoſtolus fueris; & negaueris; iterum tamen receperis PRIMATVM OMNIVM, & TOTIVS HABITABILIS ORBIS PRÆFECTVRAM, PER PÆNITENTIAM.* S. Hieronymus qui multis annis in Palæſtina vixit; docet S. Petrũ, inter fundamenta ſecundaria vicem CAPITIS à Chriſto conſtituti habere. S. Cyprianus ſummopere á PP. Orientalibus laudatus, lib. de Vnitate Eccleſiæ ait. *Super illum vnum* (de S. Petro ibi loquitur) *ædificat Eccleſiam ſuam, vnam Cathedram conſtituit. &c.* Sanctus Auguſtinus ſermone 29. de Sanctis. *Solus Petrus inter Apoſtolos meruit au-*

ruit audire: *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* En SS. Patres dicunt vnum esse Petrum super quem ædificata sit Ecclesia: vnum esse Petrum qui sit Fundamentum Ecclesiæ post Christum: qui in suam fidem Ecclesiæ fundamenta receperit: qui inter fundamenta secundaria sit instar Capitis: non ergo absurdissimum est, S. Petrum ad Vladicas vsque deprimere? Nisi Lithologo mens saxea fuisset, saltem Oecumenicis Patriarchis adscripsisset S. Petrum: locumque ei inter Fundamenta Ecclesiæ, aliquantò sublimiorem suorum Vladicarum subsellijs assignasset. Maluit tamen, eum, etiam Metropolitano throno deiectum, ad Vladicas vsque degradare. Quod an ei licitum fuerit; iudica Pie lector.

THESIS QVINTA.

Non in Petro sed in Petra, quæ in Fidei confessione sita est; Christus promisit Ecclesiam ædificare. Fol. 418.

Antithesis Sanctorum Patrum Orientalium.

SAnctus Basilius libro secundo contra Eunomium, Fol. 729. *Petrus ob fidei excellentiam, Ecclesiæ ædificationem, in seipso suscepit.* & Tomo 2. homil. dè Pænitentia *Fol. 532. Petrus cum dixisset. Tu es Filius DEI Altissimi, vicissim audiuit quia PETRA es.* S. Damascenus inter multa acroamata quibus (in Oratione de Transfiguratione) prædicat S. Petri beatitudinem, à Christo ei Math. 16. collatam, tandem ita exclamat. *O Deo afflatam mentem! ô dignam, quæ diuinitus doceretur: &c. Hæc est firma illa & immota fides, supra quam Ecclesia fundata est: tanquam supra Petram eam, cuius, (* Petræ *) (ἧς) tu dignissimè cognomentum habes. Hanc Ecclesiam suo quidem ipse (* Christus *) cruore comparauit, tibi autem vt fidissimo famulo in fidem tradit.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. C. 1. *Fol. 131.* Petrum ait nominatum à Petra. In IPSO (ἐπ᾽ αὐτῷ) enim fundaturus erat Ecclesiam suam. S. Ephræm in Orat. de Transfiguratione ita Christum ad Petrum loquentem inducit. *Si hîc manebimus Petre; quomodo complebitur quod tibi promisi? quomodo Ecclesia super te fundabitur?* S. Ioannes Chrysost. homil. 7. in Marcum. *Eligitur ergo Petrus: super quem fundata est Ecclesia.* Denique verba illa Christi. Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo

Eccle-

Ecclesiam meam, interpretantes eo ipso loco, Sanctus Chrysostomus, Sanctus Hieronymus, Euthymius, ita illa legunt: *Tu es Petrus: & ego super te ædificabo Ecclesiam meam.* En quomodo futile commentum Lithologi, è Luteranicis & Caluinisticis erutum officinis, Sanctorum Patrum oraculis obrutum ruit.

THESIS SEXTA.

Hæc verba, tibi dabo claues, non soli sunt dicta Sancto Petro: Fol. 410.

Antithesis SS. Patrum Orientalium.

SAnctus Hilarius, Sanctus Chrysostomus, Sanctus Hieronymus, Theophilactus, in interpretatione Cap. 16. Sancti Math. ei soli hæc verba, *Tibi dabo claues &c.* dicta docent; cui inferiùs, dictum est: *Vade post me Sathana.* Sanctus Athanasius, in citatâ ad Felicem Papam epistolâ, ita scribit. *In Nicæna Synodo, definitum est: vt si quis Episcoporum iudices habuerit suspectos, vestram Sacram Romanam interpellet Sedem: cui ab ipso Domino potestas ligandi atque soluendi SPECIALI EST PRIVILEGIO SVPER ALIOS concessa.* Firmilianus Cæsareæ Cappadociæ Metropolita, in Epistola ad Sanctum Cyprianum (quæ est inter Epistolas Sancti Cypriani Septuagesima quinta) ita scribit. *Soli Petro, Christus dixit: Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque solueris super terram erunt soluta & in cælis.* Philippus Solitarius Monachus in Dioptra supra citata ita scribit. *Alia via benignitatem considera: Non enim regni cælorum alteri claues dedit, quàm Simoni Petro: qui ipsum negauerat.* Et infra. *DEVS, vt lapsos redderet animosiores, non alteri alicui sibi obsequentium, sed Petro potissimùm, qui eum ter negauerat, claues illas cælestes dedit.* His addo Sanctum Leonem Magnum: ab Orientalibus Patribus, & Concilijs summoperè laudatum: qui in Epistola 89. ad Episcopos Viennensis Prouinciæ ita scribit: *Petro præ cæteris ligandi & soluendi data est potestas:* & S. Optatum: qui loco citato ita docet. *Christus vnitatem Ecclesiæ prætulit suæ vindictæ: maluitquè discipulos suos esse in vno, quàm quòd offensus fuerat, (per negationem Petri) vindicare: propter hoc bonum vnitatis, Sanctus Petrus, cui satis erat si suæ negationis veniam consequeretur; præferri omnibus Apostolis meruit: & claues regni cælorum communicandas cæteris, solus accepit.* Et infra. *Stant alij toti innocen-*

nocentes: & peccator accipit claues: vt vnitatis negotium formaretur. Prouisum est: vt peccator aperiret innocentibus: ne innocentes clauderent contra peccatores: & quæ necessaria est vnitas, esse non posset. Hactenus ille. Immeritò ergo Lithologus, Sancto Petro, quem clauigerum & ianitorem cæli, SS. Patres appellant; (quod tamen alteri tribuunt nemini;) tantam subripere nititur prærogatiuam.

THESIS SEPTIMA.

Per illa verba, Ego oraui pro te, ne deficiat fides tua: nullam S. Petro prærogatiuam contulit Christus. Fol. 409.

QVantum his verbis, à Christo datum esse S. Petro, agnouerit Theophilactus, retuli in Antithesi Quarta, & in Propositione Prima. Huic addo S. Anastasium, S. Maximi discipulum, citatum à Gennadio Patriarcha Constantinopolitano, in defensione quinq; capitum contra Græcos Cap. 5. Sectione 8. *Fides* (inquit) *concordissimè ab omnibus exagitaretur, nisi speciali gratia opem ferret, qui semper succurrit: semine Religionis, apud veterem Romam nobis relicto: ad confirmandam promissionem, mentiri nesciam, quæ facta est Principi Apostolorum, Quænam hæc promissio est, si nosti? Illud est: Ego oraui pro te vt non deficiat fides tua: & illud: confirma fratres tuos &c.* Hactenus ille. Clarius eiusdē veritatis testimoniū reperitur in Act. 4. Sextæ Synodi Generalis in epist: Pontificis ad Imperatores: vbi inter alia dicitur: *Romanæ Ecclesiæ fidem illibatam permanere; secundùm ipsius Domini Saluatoris Diuinam pollicitationem; quam suorum discipulorum Principi, in sacris Euangelijs fecit: cùm profatus est: Petre Petre, &c. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Consideret itaq; Vestra* (Imperatores alloquitur) *Clementia: quòd Dominus & Saluator omnium, qui fidem Petri non defecturam promisit; confirmare eum fratres suos admonuit.* Quæ verba S. hic Pontifex videtur desumpsisse, ex epistola Marci Papæ, ad S. Athanasium, & Ægypti Episcopos: insertâ Tomo secundo operum S. Athanasij: vbi eadem plane verba leguntur. Hanc fidei indefectibilitatem, S. Petro, eiusque successoribus, per ea verba, cum Ecclesiæ totius regimine collatā esse, significat insuper S. Lucius Pontifex & Martyr in epistola ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ: Sanctus Felix Primus, in epistola ad Benignum: Sanctus Leo Magnus Serm. 1. de Assum-

ptione sua : Sanctus Nicolaus in epistola ad Michaélem Imperatorem : Sanctus Chrysostomus hom. 3. in Acta Apostolorum : Sanctus Chrysologus in epistola ad Eutychem : Sanctus Ambrosius in Ps. 43. quos imitatus Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, sanctitate & doctrina præstans, lib. & cap. citatis, Sect. 2. ait. *Ostendit autem & alibi, ante suam passionem Christus se principatum & primatum Petro tradidisse : vbi dicit : Petre : Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Audis hoc ? ego rogaui pro te: & illud. Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quid tibi videtur confirmare Fratres, nisi eum esse illorum principem, eosque confirmare ?* Hæc Sanctus Patriarcha.

THESIS OCTAVA

Per illa verba, Pasce oues meas; Petrus non est constitutus super alios Apostolos. Fol. 408.

Anthithesis Sanctorum Patrum Orientalium.

ORigenes Lib. 5. in Caput 6. ad Romanos. *Petro, cùm summa rerum de pascendis ouibus traderetur ; & super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, non alterius ab eo virtutis, quàm charitatis exigitur confessio.* Sanctus Chrysostomus homil. 81. in Ioann. ea ipsa verba expendens ait. *Quid tandem alijs omissis, solum affatur Petrum ? Simon Ioannis diligis me plus his? Os erat Apostolorum, & Princeps, & vertex ipsius cætus : propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit.* Sanctus quoque Basilius, in regulis breuioribus Serm. de obedientia, docet : quòd Christus Petrum post se Pastorem suæ Ecclesiæ constituit : dicens ei : *Pasce oues meas.* Quod autem, nomini ouium incluserit Christus etiam Apostolos ; disertè, in eum locum scribens, docet Euthymius : & Leo Imperator Philosophus, qui in Serm. de Sancto Petro ita scribit. *Post resurrectionem ter Dominus Petrum percunctatus, an ab eo diligeretur ; Principem Apostolorum constituit.* Et infra. *Petrus verò cum intelligeret principatum eum magnum esse, videretque Ioannem sequentē ; Hic (inquit) quid ? quasi diceret ; Menè vis præfici Caput discipulis ? Hunc verò à te dilectum quid facere iubes ?* Et iterum. *Tu me sequere : id est : sequere me, hoc baculo Pastorali : & sicut ego, cùm eram vobiscum, seruabam vos,*

vt Pater & Caput: & Magister; sic tu esto meo loco: & sequere me principatu & potestate: tuos fratres confirmans. Te enim esse volo meo loco: vnde manet in hodiernum vsque diem, Petrus sequens Christum, in Successore suo. Præclarum sanè Imperatoris tanti testimonium. Eusebius Emessenus hæc omnia in homilia pro Natiuitate Sancti Ioannis Euangelistæ pulcherrimè illustrat: *Priùs agnos, deinde oues Christus committit Petro: quia non solùm Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues: pascit Filios, pascit & Matres: regit subditos & prælatos. Omnium igitur Pastor est: quia præter agnos & oues in Ecclesia nihil est.* Iisdem, Christi Domini verbis, docet Sanctus Chrysostomus, *Sancto Petro totius orbis curam esse demandatam*; in Commentario huius ipsius loci: *eique traditam per totum orbem præsidentiam*; homil. 8. ad Pop. Antiochenum: *eidemquè & eius Successoribus, curam omnium ouium, pro quibus Christus suum fudit sanguinem, commissam esse*; *ait.* libro secundo de Sacerdotio. Sanctum Magistrum sequitur Theophilactus. Commentariorum Sancti Chrysostomi Synopticus collector: hic in idem Euangelium scribens, ait: *Sancto Petro totius orbis præfecturam à Christo commissam esse: & quidem non alij, sed huic soli: quia omnes præcellebat & totius cætus os erat.* Et infra dicit. *Commissam eidem esse omnium fidelium præfecturam: etsi enim Iacobus Sedem Hierosolymis acceperit; sed Petrus totius orbis terrarum.* Addit idem *à Sancto Petro quæsitum esse: nam etiã Sanctus Ioannes particeps futurus esset huius ouium præfecturæ? sed responsum ei esse: opus quod tibi creditum est perfice: & sequere me: qui te educo ad prædicationem: & totum orbem in manus tuas trado.* Et infra. *Te educo ad præfecturam totius habitabilis orbis; & ad sequendum me.* Ibidem docet idem; *Sanctum Petrum, qui antea non audebat interrogare de traditore; cùm ei omnium præfectura commissa esset, non solùm pro seipso sed & pro illo quem maximè diligebat interrogare: fierique mediatorem apud Dominum.* Vel solus ergo Theophilactus, sufficeret ad euertendum Lithologi thesim. Liceat tamen vnius Latini Sancti Patris, in eisdem verbis fundatum, proferre discursum; nempe Sancti Bernardi Abbatis lib. secundo de Consideratione capite 8. *Sunt quidem & alij gregum pastores; sed tu tanto gloriosius quanto & differentius, præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi vniuersi crediti: vni vnus. Nec modo ouium, sed & pastorum, tu vnus omnium Pastor. Vnde id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim Episcoporum aut etiam Apostolorum, sic absolutè, totæ commissæ sunt oues? si me amas Petre, Pasce oues meas inquit: Cui non planum sit, non designasse aliquas; sed assignasse omnes? Nihil excipitur: vbi distinguitur nihil.*

Hæc Sanctus Abbas.

THE-

THESIS NONA.

Papa, si habet primum locum supra alios, habet ex beneficio Ecclesiæ. Fol. 418. & ; Ecclesiæ Romanæ, propter dignitatẽ Romanæ vrbis, primus locus in Synodis datus est. Fol. 413.

Antithesis SS. Patrum Orientalium.

SAnctus Athanasius, & tota Alexandrina Synodus, in epistola sæpiùs citata ad Felicem Papam, verbis, supra citatis, expressè profitentur: *Romano Pontifici ab ipso Christo Domino, potestatem quæcunque soluendi & ligandi speciali priuilegio super alios concessam esse.* Sanctus Anacletus Papa & Martyr in Epistola tertia ad omnes Episcopos & Sacerdotes, ita scribit. *Hæc Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino. Saluatore nostro, Primatum obtinuit: & eminentiam, potestatis super vniuersas Ecclesias: & totum Christiani populi gregem assequuta est.* Et circa finem. *Si quæ causæ difficiliores inter vos ortæ fuerint; ad huius Sanctæ Sedis apicem, quasi ad CAPVT referendæ sunt: vt Apostolico terminentur iudicio: quia sic Dominum velle, ab eoquè ita constitutum esse, ante dictis testimonijs declaratur. Hæc verò Apostolica Sedes, cardo & CAPVT, (vt prætactũ est) omnium Ecclesiarum, à Domino, & non alio, est constituta.* Hæc Sanctus Pontifex, à Sancto Petro Quartus: genere Græcus. Quomodo ergo nisi λίθος sit, Lithologum dictorum non pudebit? Eodẽ modo loquitur, Iulius Primus Pontifex: Orientalium Episcoporum, contra Arrianorum insultus, inuictus propugnator: in Epistola ad Orientales: vbi docet: *ad Romanam Sedem pertinere ius Synodos conuocandi: & Episcopos iudicandi: causasque maiores ad se reseruandi: quia (inquit) omnibus prælata est: non solùm Canonum & Sanctorum Patrum decretis;* (legat hæc: & erubescat Lithologus:) *sed Domini Saluatoris nostri voce.*

Et verò, quo tandem tempore hanc loci primitatem, Pontifici Romano, Ecclesia contulit? Nonnè ille, multò ante Concilium Nicænum, etiam tempore summæ persecutionis, Ecclesias totius orbis regebat? Relegat, qui volet, quæ supra retuli de Aniceto, Eleutherio, Victore, Stephano, Dionysio, alijsque Pontificibus: fateri debebit; Romanos Pontifices tantam

 authori-

authoritatem toto orbe terrarum, in regimine Ecclesiastico habuisse, ante Concilium Nicænum; quantam post illud. Et verò, cùm ne aduersarij quidem, negare posint, Legatos Syluestri Papæ, primo in Synodo Nicæna sedisse loco: dicere tamen nequeunt, à qua priore Synodo, Pontificibus Romanis, ea dignitas ab Ecclesia collata sit; vt in primâ Synodo Oecumenica, legatis eorum primus daretur locus. Causa etiam, dati primi loci, à Lithologo asignata, nullum habet testem. Quis enim hoc vnquam veterum docuit, Ecclesiæ Romanæ, propter dignitatem Romanæ vrbis, primum locum in Synodis datum esse? Deinde quomodo hoc eorummet alibi dictis consonat? Docent illi, Constantinum Magnum, omnem Senatum & nobilisimas quasque familias, & pulcherrima vrbis ornamenta, Constantinopolim transtulisse: solamquè populi fæcem antiquæ Romæ reliquisse. Quomodo ergo, propter vrbis dignitatem, Romanis Pontificibus primus locus in Synodis est datus; si iam inde à temporibus Constantini magni dignitas illa veteris Romæ ita defloruit; vt in infimâ populi fæce subsederit? Ampliùs: Quando Roma, barbaris gentibus, Gothis, Vandalis, Herulis in prædam cesit: & quando tyrannico Gothorum & Herulorum premebatur iugo; immo quando ipsorummet Græcorum Imperatorum, crudelem & aliquot Pontificum Martyris cruentam seruijt seruitutem, quantula fuit dignitas Romanæ vrbis? & tamen etiam tunc, quanta authoritas Cælestini Papæ eluxit in Synodo Ephesina! Leonis in Chalcedonési! Vigilij in approbatione Synodi Quintæ! Agathonis in Synodo Sexta! quam inuictum animi robur, & solicitudo omnium Ecclesiarum indefessa, in Leone Magno! Symplicio! Felice 3! Gelasio! Symmacho! Hormisda, Agapeto, Syluerio, & Martino Martyribus, etiam hymnis Slauonicis illustribus! Quid tunc Pontificibus tam generosos Spiritus ad compescendas toto orbe hæreses, Nestorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum, Arrianorum, dabat? Nunquid dignitas vrbis? Minimè gentium. Nulla eo tempore fuit: sed illa olim Prouinciarum Princeps, seruijt sub tributo. Voluit nimirum Deus palam facere, Ecclesiam Romanam in suo Vniuersalis Ecclesiæ regimine, à statu Politici Magistratus non pendere: atque vt olim sub grauisima Imperatorum Gentilium persecutione, ita sub quacunque tyrannorum seruitute, ouium, Christi Sanguine emptarum, per totum habitabilem orbem curam habere. Id quod, Religiosissimi Archimandritæ & Hieromonachi, in suo supplice libello oblato Agapeto Papæ; testati sunt: vbi inter alia dicunt. *Ecclesiam*, (contra Seuerum, Petrum, Zoaram, Eutychianos) *defendentes beatissimi*; *suscipite nostram supplicationem*: *& potestatem vobis datam à Deo*, (audis Lithologe?) *in ipsos mouentes*; *purgate*

Dei Ec-

Dei Ecclesiam : immittentes ipsis, non pastoralem sed disciplinatiuam virgam vestram. Videatur vtraque epistola apud Zonaram : & subscriptiones eiusdem : & hæ solæ, refellendæ Lithologicæ thesi sufficient.

THESIS DECIMA.

Ecclesia Omnibus Quatuor Patriarchijs æqualem contulit potestatem. Fol. 414.

Antithesis Sanctorum Patrum & Scriptorum Orientalium.

SAncti Anacleti, Sancti Marcelli, Martyrum & Pontificum, verba de Romani Pontificis præeminentia, supra omnes Patriarchas, paulò ante retuli : nunc ex Sancto Marcello, addo aliqua. *Si vestra Antiochena,* (scribit ad Antiochenos :) *quæ olim prima erat, Romanæ cessit Sedi, nulla est quæ eius non sit subiecta ditioni. ad quam quasi ad CAPVT, iuxta Apostolorum Sanctiones, Episcopi qui necesse habuerint, appellare debeant.* Eodem modo, Rom. Sedem, Secundi Seculi Pontifices, omnibus à Deo prælatam Patriarchijs, docent. Eam enim Sanctus Euaristus epistola prima vocat, *CAPVT ad quod in dubijs recurrendum est.* Alexander primus, vocat, *Apicem & CAPVT.* Sixtus Primus, *omnium Ecclesiarum CAPVT.* Sanctus Anicetus ait, *ad se pertinere terminare omnium Episcoporum iudicia.* Quod ipsum asserit Eleutherius. Sanctus Victor non solùm scripto, sed & facto suam in alias Patriarchias testatus est iurisdictionem : vt retuli supra. Hæc Sancti Pontifices : quorum plerique non solum Latinis, sed etiam Græcis Menologijs inscripti sunt. Idem probare possem, dictis aliorum Pontificum ; qui etiam apud Græcos honorantur, vt Sancti : dictis item Sanctorum Patrum, quos supra retuli : nisi id sufficienter in Propositionibus probassem. Ibi ostendi : Pontifices Romanos, non minori libertate, suum in Oriente regimen exercuisse, in omnes Patriarchias ; quàm in Occidente. Ibi ostẽdi : quàm multi à Synodis Orientalibus damnati, Romam quasi ad radicem & Matricem Ecclesiæ Catholicæ ; (vt ait Sanctus Cyprianus ;) vel quasi ad CAPVT & Matrem (vt multi loquuntur) confugientes, rescissa Orientalium Tribunaliũ sententia, in integrum restituti sint : quàm multi Patriarchæ, è singu-

lis Patriarchijs, à Rom. Pontificibus, sint deiecti, excommunicati, in exilium abire iussi : vt Nestorius, Anthimus, Constantinopolitani ; Dioscorus, Mogus, Alexandrini ; Fullo Antiochenus : Polichronius Hierosolymitanus. &c.

Quomodo ergo æquales fuerint Rom. Pontifici omnes Patriarchiæ, quarum ille semper fuerit iudex : cùm tamen Synodus Chalcedonensis, Dioscori Alexandrini, audaciam, detestata sit ; quòd Sanctum Leonem Magnum iudicare, & damnare præsumpserit ? Honorium, à Synodo Sexta damnatum, calumniantur aliqui : à qua eum calumnia, eius coætaneus, Sanctus Maximus, Archimandrita & Martyr, in sua cum Pyrrho disputatione, adeo defendit ; vt superuacaneum censeam, alia eius tuendi præsidia, à recentioribus Theologis, Bellarmino, Gretsero, Becano, & alijs plurimis petere. Præstat (vt opinor) inæqualitatem Patriarchiarum, ex ipsorummet Schismaticorum libris, manifestam exhibere. Est ergo apud Zonaram & Balsamonem Sextus Synodi Nicænæ Canon. *Antiqui mores seruentur : qui sunt in Ægypto, Lybia, & Pentapoli : vt Alexandrinus Episcopus horum omnium potestatem habeat : quandoquidem & Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter & in Antiochia, & in alijs Prouincijs sua priuilegia Ecclesijs seruentur.* Et Canon septimus. *Quia obtinuit consuetudo & antiqua traditio, vt qui est in Aelia Episcopus honoretur ; habeat honoris consequentiam : Metropoli propria dignitate seruata.*

Hic primò aduertendum est : hunc Sextum Canonem in Oecumenica Synodo Chalcedonensi, in amplissimo Patrum consessu ab Apostolicæ Sedis Vicario Paschasino, esse productum : cum hoc nimirum exordio : *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum : Habeat autem & Ægyptus : vt Episcopus Alexandriæ, omnium habeat potestatem ; quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo :* id est quoniam Episcopo Romano moris fuit, tam latos limites, Patriarchiæ à Sancto Petro constitutæ concedere. Ita lectum Canonem, tanta approbatione excepit Sancta Synodus ; vt in hæc verba proruperit. *Perpendimus : omnem primatum, & honorem præcipuum secundum Canones* (Primæ & Secundæ Synodi Oecumenicæ) *antiquæ Romæ, DEI amantissimo Archiepiscopo conseruari.*

Aduertendum secundò : non tunc constitutos esse omnes quatuor Patriarchas : (vt aliqui ex Balsa : malè intellecto asserunt) sed tantùm duarum Patriarchiarum amplitudinem, à Meletianis (vt probat in anno 325. Baronius Cardinalis,) impugnari cæptam, defensam esse : consuetudinis antiquæ, & à Romanis Pontificibus approbatæ, argumento.

Aduertendum tertiò : nullo hic verbulo, limites, regiminis Romanorum Pon-

rum Pontificum, ad Occidentales Prouincias restringi: vti mentiuntur Zon. & Bals. & nostri æui Protestantes. Relege mi lector: & expende Articuli textum; ab vtroque Schismatico editũ: & non poteris, non mirari; vtriusque hominis impudentiam: qui ausi sint, id Sanctissimo Concilio tribuere; cuius ne Vestigium quidem in eo reperitur: immo quod alijs in eodem Concilio factis & scriptis manifestè repugnat: vt patet relegenti meam secundam propositionem. Quibus addo Canonem: ex Arabico, & Græco volumine, per eruditissimum Patrem Franciscum Turrianum in Latinum ita versum. *Consideret Patriarcha: ea quæ Archiepiscopi & Episcopi in suis prouincijs faciunt: & si quid reperiat, secus quàm oporteat factum; mutet, & disponat, prout sibi videatur: siquidem ipse est Pater omnium & ipsi Filij eius. Et quamuis sit Archiepiscopus inter Episcopos, tanquam frater maior; qui curam habet fratrum suorum, & ei debent obedientiam, quia præest; est tamen Patriarcha superior ijs omnibus, qui sub eius Potestate sunt: sicut ille, qui tenet Sedem Romæ, CAPVT est, & Princeps omnium Patriarcharum: siquidem ipse est primus, sicut Petrus: cui data est potestas, in omnes Principes Christianorum: & omnes populos eorum: vt qui sit Vicarius Christi Domini nostri, super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam Christianam: & quicunque contradixerit ei; á Synodo excommunicatur.* Qui Canon ne alicui sit suspectus; sciendum est: hoc propè ipsum, alijs Sardicensis Synodi, (quæ erat quoddam complementum Nicænæ,) Canonibus statutum esse. Est enim apud Zonaram, *Fol. 364.* Canon Tertius. *Si quis Episcoporum, in aliquo negotio condemnandus visus fuerit; & existimet se bonam causam habere; vt etiam rursus iudicium renouetur; Petri Apostoli memoriam honoremus: vt de ijs, qui iudicauerunt, scribatur Iulio Romanorum Episcopo: & per propinquos Prouinciæ Episcopos, si opus sit, iudicium renouetur: & cognitores ipse præbeat.* Hunc Canonem Zonaras, hac explicat Periphrasi. *Si quis damnatorum Episcoporum, se bonam causã habere confidat; & causæ æquitatem; & iterum examinari velit; honoremus memoriam Petri. &c. id est; hanc, Ecclesiæ Romanorum throno, authoritatem deferamus: vt qui in eâ causâ iudices extitere; mittant literas ad Iulium Papam: qui si censuerit iudicium instaurandum, cognitores dabit è vicinis prouincijs.* Apud eundem, est Canon quartus: qui prohibet alium Episcopum alteri substitui: quin priùs Rom. Episcopus, cognitâ causâ sententiam tulerit. Vtrumque id; & ius ad Rom. Pontificem appellandi; confirmatur Canone Quinto: quibus Canonibus ad opem ferendam, Episcopis Orientalibus, iniquissimè à Tribunalibus Orientalibus, vel Synodaliter vel particulariter damnatis; Romanos Pontifices sæpenumero vsos esse; referunt Socrates: Sozomenus: Theodoretus: alijque Orientales Ecclesiasticæ

scripto-

ſcriptores Hiſtoriæ. Quibus tamen diſsimulatis, odio obcæcatus Zon. audet hîc, Poteſtatem Romanæ Eccleſiæ à Sardicenſi Concilio agnitam & confirmatam, reſtringere ad Occcidentales Eccleſias : inter quas etiam Eccleſias, Macedoniæ, Theſſaliæ, Illyrici, Peloponeſi, & Epyri, fuiſſe memorat. Legere debuerat Sozomenum lib. 3. C. 7. ita ſcribentem. *Athanaſius fugiens, Alexandriâ Romam venit. Eodem tempore venit Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus : Marcellus Ancyræ : Aſclepas Gazæ : Lucius Adrianopolis. &c. Quorum criminationes, cùm Iulius Epiſcopus Romanus intellexiſſet ; & omnes fidei Concilij Nicæni conſentientes reperiſſet ; in communionem recepit : & cùm ob Sedis dignitatem, cura omnium ad ipſum ſpectaret,* (hæc lege & expende Lithologe :) *ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit : ſcripſitquè ad Epiſcopos Orientis : eosquè incuſauit : quòd ſe inconſulto de hiſce viris iudicaſſent : Eccleſiasq; perturbaſſent*, Non repeto, quæ alias prolixè dixi de reſciſſa damnatione Sancti Chryſoſtomi, Sancti Flauiani, Sancti Ignatij, Theodoreti, & aliorum : & de aliorum in omnibus Patriarchijs damnatione ; deque eiectis è diptychis, Patriarchis aliquot Orientalibus &c.

Falſiſsimò ergò Zon. & Bal, prærogatiuam Romanæ Sedis, in Nicæno, & Sardicenſi Concilijs agnitam, ad Occidentales Eccleſias limitant : & reſtringunt. Falſò item aſſerit Balſamon : Aeliæ Epiſcopatum, in Nicæna Synodo in Patriarchalem thronum euectum eſſe : cùm hoc non niſi in Quinta Oecumenica Synodo, factum eſſe ; ſolidè & eruditè probet Baronius. De Conſtantinopolitano Patriarcha, vterque hîc Canonographus ſilet : & tamen Balſamon auſus eſt, eum inter Patriarchas numerare : in priuilegio Conſtantini magni : de quo infra.

Rurſus, apud vtrumque eſt, Concilij Conſtantinopolitani primi Canon Tertius hic : *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat priores honoris partes, poſt Romanum Epiſcopum : eò quòd ſit ipſa noua Roma.* Hunc Canonem eſſe ſuppoſititium, & finita Synodo, poſt diſceſſum Patrum Ægyptiorum, & aliorum Orientalium, à Græcis Epiſcopis intruſum, probauit in Synodo Chalcedonenſi, Lucentius Sancti Leonis Magni legatus : eumquè ipſemet Sanctus Leo, fortiſsimis & verè Apoſtolicis literis, ad Anatolium Patriarcham, & Pulcheriam Imperatricem ita redarguit ; vt Anatolius, non ſolùm huius, ſed & Chalcedonenſis Synodi Canonibus, qui ſibi, detractam alijs Patriarchijs dignitatem tribuebant ; cogeretur abſiſtere. Et verò, quod attinet ad propoſitum Canonem, falſum eum eſſe, ipſemet nexus Canonum, & interpretatio eorum arguit. Nam Canone Secundo, definiuntur vniuscuiusque Patriarchiæ limites. Nimirum Alexandrinæ : & Antiochenæ. Quod enim dicit Balſ. etiam hîc definitum eſſe, quænam Diœceſes Romano Pa-

no Papæ ſubeſſe debeant; craſsiſsimum eſſe mendacium, quicunque ſecundum Canonem legerit; aduertet. De Conſtantinopolitana Patriarchia, nihil Canone Secundo dicitur: immo Thracios & Ponticos Epiſcopos, à ſuis Metropolitis regendos eſſe, expreſsè docetur: quomodo ergo Canone 3. eadem Synodus reliquis Patriarchijs, prætuliſſet Conſtantinopolitanam, nullis ei regionibus, quæ eius poteſtati ſubiaceant aſsignatis? Deinde, ſi verè, in Secunda Synodo, thronus Conſtantinopolitanus, tam ſubli-miter euectus eſſet; quid opus fuiſſet, & Chalcedone, & in Trullo, ſimiles cudi Canones? ſemper ergo hic Canon pro falſo & ſuppoſititio eſt habitus. ſi tamen eſt verus; per illum magnopere premitur Lithologus. Dicitur enim in Canone: Conſtantinopolitanum Epiſcopum priores partes honoris habere poſt Romanum. Si poſt Romanum; Ergo Synodaliter definitum eſt: Patriarcham Conſtantinopolitanum non eſſe æqualem Pontifici Romano. Confirmatur: vtriuſque Canonographi Commentario. Vterque enim, ex Nouella Centeſima trigeſima, Imperatoriarum Conſtitutionum, lib. 5. titulo tertio docet. *Sanctiſſimum veteris Romæ Papam, SYNODORVM PLACITIS, totius Eccleſiaſtici ordinis, principem eſſe: beatiſſimum verò* (ita loquitur Zon. & Nouella) *Conſtantinopolitanæ vrbis, nouæ Romæ, Epiſcopum, ſecundum ab Apoſtolica veteris Romæ Sede locum obtinere: alijsquè omnibus honore ſuperiorem eſſe.* Addit Zon. id confirmari Trullano Canone, qui ita ſonat. *Poſt antiquæ Romæ thronum, ſecundus Conſtantinopolitanæ Sedi locus aſſignetur &c. Vbi* (*inquit*) *de inferiori dignitatis ordine præpoſitionem poſt, intelligendam eſſe, ambigi non poteſt.* Neque iuuabunt Lithologum Canones, Chalcedonenſis 28. & Trullanus 36. Quia vtriuſque Canoni, & aperta vox Romanorum Legatorum, & deinde Epiſtolæ Sancti Leonis Magni, aliorumquè Pontificum reclamarunt: & vtrumque reſcidit contrarius vſus. Nam etiam poſt Chalcedonenſem Synodum, & Conuenticulum Trullanum, Pontifices Romani, in Patriarchijs Orientalibus, tantum exercuere regimen, quantum, in ſe, Patriarchæ Ægyptij & Syrij, Conſtantinopolitanis nunquam permiſere. Accedit: quòd in his Canonibus, tam anguſti limites, Conſtantinopolitano throno præſcribuntur; vt tota eorum regimini ſubtrahatur Bulgaria: & Maior pars Græciæ. Nam eo tempore, (teſte Zon. ad Canonem Chalc.) omnes Epiſcopi Macedoniæ, Theſſaliæ, Græciæquè & Peloponeſi, & eius quæ dicitur Epirus, Illyriciquè, Romani Epiſcopi imperio & authoritate tenebantur: & Conſtantinopolitano Patriarchæ, ſoli Metropolitani Pontici, Thracici, & Aſiani, (vt explicat Balſ.) & Occidentales qui ſunt citra Epheſum, & Epiſcopi Barbariæ ſubiecti ſunt. Quæ definitio cùm Conſtantinopolitano Patriarchæ Diœcæſim omnium

Patriarchiarum, minimam, præscripserit; quomodo ei concesserit Priuilegia Rom. Pontifici æqualia, cuius imperij limites, nullos vnquam, vlla Oecumenica Synodus præscripsit: eò quòd ipsius esset; ouium totius orbis, Vniuersalem habere curam?

Aduertere, ipsimet Canonographi: Canone Chalcedonensi, Cõstãtinopolitanum Patriarcham, Romano Pontifici minimè exæquari. Vnde Zonaras, (cuius verba, etsi prolixiora, studio bene merendi de aduersarijs fideliter describo:) ita docet. *Constantinopolitanæ vrbis thronum, Romanæ Sedi, nullo pacto dignitate concedere; sed æqualibus omnino prærogatiuis, honestatũ fuisse: non desunt,* (audite Lithologiani: quid de vobis vester Rabbi sẽtiat;) *qui perperam argumentis euincere & extorquere contendunt: sed ea controuersia Secundæ Synodi, tertio Canone, satis est explicata: demonstratumquè: eos homines non cautè loqui: nam qui ibi dicta expenderit; agnoscet hanc Regiam vrbem, Secundam à Romana, ordine honoris censendam esse. Nam æqualia illa Priuilegia, ad Imperium, Senatumquè vrbi concessum, referenda sunt: vt Sanctorum Patrum scilicet mens ea fuerit, vrbem imperio ornatam, Ecclesiasticis quoque prærogatiuis honestari oportere: & primum quidem inter alias Ecclesias; à Romana verò secundum dignitatis locum obtinere &c. Alioqui ne verba post Illam, pro I L L I V S loco, intelligantur; Canon Trullanus obstat: compositis iam rebus, & omni, reginæ vrbium dignitate constitutâ, editus: vbi Constantinopolitanæ Sedi, post Romanam, secundo loco dignitatis attributo; post hanc, Alexandrina, (inquit) post eum Antiochena numeretur. Cùm ergo vbi de alijs Sedibus sermo est, inferiorem dignitatis gradum, præpositiō illa significet; etiam cùm de Constantinopolitana Sede agitur, eodem modo accipiendam esse facilè constat. Et verò clarissimus Patriarha Nicephorus, duodecimo contra Iconomachos capite; sic habet: Esse verò Iconomachos ab Ecclesia Catholica, prorsus exclusos, vel ipsæ literæ quæ à Beatissimo Rom. Pontifice, id est; à primo & Apostolico throno, emanauerunt; perspicuè testantur.* Hæc Zonaras. Similia habet Bals. in Nomocanone Tit. 8. cap. 10. Verba eius refero. *Quia secunda Synodus,* (melius dixisset Quarta & Quinisexta) *dedit Archiepiscopo Constantinopolitano, omnia Romæ priuilegia; conati sunt aliqui Patriarchæ, vt Cerulas, & Dominus Michäél, eadem sibi priuilegia arrogare: sed eis non bene cessit.* Quid hic suppresserit Bals. exprimit Illustrissimus Cardinalis Baronius: in anno: 1059. ex Curopalate: Aggressus est, croco tincta induere calceamenta: antiqui Sacerdotij morem hunc asserens: & oportere his vti, nouum quoq; Archiepiscopum. Quod non ferens Imperator, eum captum, muloquè impositum, in Proconesum, vbi exularet, deuehendum curauit. Volebat homo arrogans, ea sibi arrogare priuilegia, quæ Romanis Pontificibus dederat

Ma-

Magnus Constantinus; sed ei malè cesſit. Idem Balſ. in Supplemento expositionū *Fol. 1141.* addit. *quosdam, cùm aduerterent; Patriarchas Constantinopolitanos non vti externis honoribus, Romano Pontifici, à Constantino Magno concessis, conclusisse: ea quæ his Canonibus continerentur exoleuisse: & in vsu non esse:* quod etiam ex eo confirmat: *quòd in Imperialibus longo post tempore scriptis, & repurgatis, non sitæ sint leges, quæ definiant Constantinopolitanum Archiepiscopum, habere Rom. Papæ priuilegia: prout & nos declarauimus in Nomocanonis 8. titulo: capite primo.* Hactenus duo clarisſimi Orientalis Schismatis patroni: quorum posterior ab Ephesio in Epistola Encyclica vocatur sapientisſimus: prior verò ab ipso Balſ. vocatur ὑπερφυέστατος.

Vtriusque dicta, premunt admodum Lithologum. Nam satis magnam, ambo, ostendunt, inter Patriarchas inæqualitatem: qui Patriarcham Constantinopolitanum inferiorem esse Romano, & Constantinopolitano Alexandrinum: multò verò magis Hierosolymitanum, expresſisſimè docent: idquè è Canonibus concludunt. Arguunt ijdem Lithologum, magnæ Canonum ignorantiæ. Nam alter eorum, non Patriarchæ sed vrbi Constantinopolitanæ, æqualia antiquæ Romæ concessa esse priuilegia docet: alter autem, eorundem priuilegiorum æqualitatem, ponit; non in æqualitate regiminis, sed in æqualitate honorum externorum à Constantino Magno Pontifici Romano concessorum: vterque verò expresſè docet omnium Canonum præceptum esse; vt Constantinopolitanus Patriarcha non æqualis (vt nominat Lithologus) sed inferior honore & dignitate sit Romano Pontifice. Nullus autem Canon est: qui Constantinopolitani Patriarchæ, vltra Thracicas, Ponticas, Asiaticas, Occidentales, & Barbaricas Ecclesias, regimen latiùs extenderit: nullus item Canon est, qui Ecclesias Macedoniæ, Græciæ, Peloponesi, Illyrici, Epiri, quæ sub Chalcedonensi Synodo Pontificis Romani Imperio regebantur; Patriarchæ Constantinopolitani imperio subiecerit: multò verò manifestiùs; nullus Canon, nullus Sanctus Pater, nullus Scriptor antiquus, etiam Græcus, Constantinopolitano Patriarchæ totius orbis Ecclesiarum regimen, adscripsit; cùm tamē tam multi sint, qui illud, Romanæ Ecclesiæ, à Christo esse commissum, disertisſimè testentur.

Premitur item per hoc Lithologus: quòd Balſ. suomet tempore, hanc æqualitatem Priuilegiorum Constantinopolitano Patriarchæ collatam, exoleuisse fateatur; etsi perinuitus: vt pote Ecclesiæ Constantinopolitanæ pars maxima. Quanquam, quid me necesse est, in refellenda, asserta à Lithologo Patriarcharum æqualitate laborare, cùm ipsimet Græci contra eum sententiam dicturi sint? Cur enim, tam studiosè, Patriarchæ Constantinopolita-

nopolitani, se, alijs Orientalibus Patriarchis præferri, contenderunt: si in Ecclesia omnes Patriarchæ æquales sunt? cur tantis impensis & impotenti studio, titulum Oecumenici Patriarchæ quæsiuerunt? cur eundem etiamnum etsi miserrima Turcarum mancipia, & paucularum ouium pastores, vanissimè & obstinatissimè iactant? si omnes Patriarchæ sunt æquales; omnes ergo sunt Oecumenici. Nihil ergo Patriarchis Constantinopolitanis, per Canones, (de quorum veritate & valore non disputo;) collatum sit quod ante non habuerunt? Vtinam illi æqualitate contenti esse voluissent: seque seruos seruorum Dei, quàm Oecumenicos Patriarchas dicere maluissent; non adduxissent in extremam perniciem rem Christianam: qua perdita, ipsi quoque perierunt: serui facti Turcarum; qui Pontificum Romanorum dedignati sunt esse confratres: saluberrimis eorum monitis obedientes: longissimè dissiti, à Sancto illo, Sanctissimi Patriarchæ Mennæ, consilio: qui Synodaliter, Archimandritis & Hieromonachis se Romano Pontifici obsequentem protestatus est. Verba eius sæpiùs citaui relata à Zon. in Synodo sub eo habita Act. 4. in fine decreti. *Nos sicut vestra charitas nouit: Apostolicam Sedem* (quam perpetuò allegabant Archimandritæ) *sequimur: eiquè obedimus: & ipsius communicatores, habemus communicatores: & condemnatos ab ipsa condemnamus.* Finirem hîc Antithesim: nisi promisissem me aliquid loquuturum de Priuilegio à Constantino Magno Romanis Pontificibus dato: de quo priusquam aliquid dicam: prius ipsum diploma, vt apud Bals. inuenitur: describo.

DECRETVM CONSTANTINI MAGNI.

ÆQuum esse iudicamus: cum vniuerso senatu &c. vt sicut Sanctus Petrus, est DEI in terris Vicarius, ita etiam Episcopi, Successores Principis Apostolorum, Principalem in terra habeant potestatem: ampliùs, quàm nostræ gloriæ Imperatoria maiestas: ideo & volumus: Apostolorum Principem, Eiusquè Successores, esse primos apud Deum Patres: & defensores: & sicut Imperatoria nostra potestas honoratur & colitur; ita etiam decernimus, coli & honorari, Sanctam Romanam Ecclesiam: & plusquam Imperium nostrum & terrenum thronum, Sanctam Sancti Petri Cathedram glorificari: & exaltari dantes ei potentiam, & gloriæ authoritatem: & decernentes statuimus: vt habeat principalem potestatem, & sit Caput quatuor Sedium, Alexandrinæ, Antiochenæ, Hiero-

ſolymitanæ & Conſtantinopolitanæ : (ſed hoc vltimum, craſſũ eſt mendacium, nam eo tempore, quo ſcripta hæc epiſtola dicitur, ne nomen quidem Conſtantinopolis erat :) *& ſemel dicam, omnium totius orbis Eccleſiarum. Etſi quid eſt quod ad DEI cultum & Chriſtianæ fidei correctionem & confirmationem pertineat, id ab eo iudicetur. Æquum enim eſt : vt Sancta illa lex, illic Caput & principium habeat, vbi Sanctus Legislator, Seruator noſter IESVS CHRISTVS iuſſit B. Petrum Apoſtolum Sedem tenere : & gentes illic caput ſuum per Nominis Chriſti confeſſionem inclinent; vbi doctor earum B. Paulus Apoſtolus, martyrij coronam accepit. Tradidimus ergo ipſis SS. Apoſtolis, beatis Dominis meis, Petro & Paulo, & poſt ipſos B. Syluestro Patri noſtro, magno Epiſcopo & Papæ Romano, & omnibus eius Succeſſoribus, qui ad finem mundi ſeſſuri ſunt in Sede B. Petri; noſtrum Imperiale Palatium Lateranenſe. &c.* Et poſt multa externorum honorum conceſſa priuilegia addit. *Porro ne Epiſcopatus authoritas contemnatur, ſed vltra noſtrum terrenum imperium, etiam potentiæ gloriâ decoretur; Romanam ciuitatem, & totius Italiæ, & Occidentalium regionum Prouincias, Beatiſſimo Epiſcopo noſtro Syluestro, vniuerſali Papæ eiusque Succeſſoribus tradimus. Denique par eſſe cenſuimus, vt noſtri Imperij potentiam, in Orientem transferremus : quod vbi eſt principale Sacerdotium & CAPVT Chriſtianæ Religionis, datum à Rege Cælorum; non eſt æquum, vt terrenus Imperator illic poteſtatem habeat. Hanc autem Imperij noſtri ceſſionem, proprijs manibus compoſitam, in pretioſis reliquijs Sancti Apoſtolorum Principis Petri poſuimus : & illic nos omnia firma & illabefactata ſeruaturos, noſtrosquè Succeſſores iurauimus. &c.*

Circa hoc, beneuolentiſsimum Sedi Sancti Petri diploma; aliqua notanda ſunt. Primum : vix poſſe cogitari efficacius argumentum ad refellendam æqualitatem Patriarcharum aſſertam à Lithologo. Quæ enim verba præeminentiæ Romani Pontificis, excogitari poſſunt magis ſignificatiua his; quæ in eius commendationem glorioſiſsimus iſte attulit Imperator? Secundum : Nomen Conſtantinopolitanæ, Hieroſolymitanæquè Patriarchiæ, huic diplomati intruſa eſſe : cùm non ſolùm eo tempore quo editum eſt; ſed neque in Concilio Nicæno hi Epiſcopatus Patriarchali fruerentur dignitate. Tertium : falsò quoſdam ex hoc diplomate inferre : Rom. Pontificis Primatum, à Conſtantino Magno, vel à Synodo Nicæna, habere principatum. Falsò inquam. Nam quòd à Nicæno Concilio non cæperit Rom. Pontificis Primatus; breuiter oſtendi in Antitheſi Octaua. Quod autem nec à Conſtantino eum habeat; prolixè probat Cardinalis Baronius in Anno 324. Summa eſt : quia primatus Eccleſiæ Romanæ prior eſt omnibus Imperatoribus Chriſtianis : vt ex Epiſtolis & Actis Pontificum Secundi & Tertij Seculi conſtat. Secundò quia Reges & Principes, nullam habent

 Spiritua-

Spiritualem potestatem, & iurisdictionem: quâ de rebus Ecclesiasticis possint disponere: (vt prolixè probat, doctissimus P. Franciscus Suarez lib. 3. contra Regem Angliæ Cap. 6. & sequentibus:) Cum ergo primatus Ecclesiasticus sit Spiritualis & supernaturalis, quomodo potuit à temporali principe institui? Denique dignitatem primatus, esse ex Christi institutione, & ex vi illius durare per continuam successionem, semperquè eodem Diuino iure transire ad Rom. Pontificem, supposita determinatione ad talem Sedem à Sancto Petro factam; multorum SS. Patrum testimonia, in varijs propositionibus huius Tractatus, & in hac ipsa appendice citata, conuincunt. Nihil ergo ad Ecclesiasticam potestatem pertinens, Ecclesiæ Romanæ contulit Constantinus Magnus; sed quod inuenit, hoc humili submissione recognouit: & in honorem tantæ dignitatis, à Christo, Sancto Petro eiusquè Successoribus collatæ: temporalibus bonis, ad idoneum splendorem ei conciliandum, Ecclesiam Romanam ditauit. Vnde etiam ipsemet Balsamon, hoc Constantini priuilegium, de sola, bonorum honorumque temporalium concessione, explicat. Omnibus ergo in vnum collectis, manifestè colligimus: à Christo ipsomet, esse primatus Sancti Petri institutionem: à Patribus Synodalibus eiusdem declarationem: & promulgationem: ab Imperatoribus eiusdem recognitionem: defensionem: conseruationem: & externum splendorem.

Qamobrem meritò ita in Concilio Romano concludit Sanctus Gelasius Papa. *Sancta Romana Ecclesia Catholica & Apostolica, nullis Synodicis constitutis, cæteris Ecclesijs prælata est: sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri Primatum obtinuit.* Meritò item Sanctus Nicolaus Papa ad Michäëlem Imperatorem Romanæ Sedis aduersarium ita scribit: *Ecclesiæ Romanæ priuilegia, Christi ore in Beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus obseruata, & à SS. Vniuersalibus Synodis celebrata, & à cuncta Ecclesia iugiter venerata, nullatenus possunt minui. &c. Hæc priuilegia huic Sanctæ Ecclesiæ à Christo donata, à Synodis non donata; sed solum celebrata, & venerationi habita, &c. nos compellunt omnium habere solicitudinem Ecclesiarum* DEI. Et infra. *Animaduertendum est: quia nec Nicæna, nec vlla Synodus, quidquam Rom. Ecclesiæ contulit Priuilegij: quæ in Petro nouerat eam totius iura potestatis plenè meruisse: & cunctarum Christi ouium regimen accepisse. Denique si instituta Nicænæ Synodi diligenter inspiciantur; videbitur profectò: quia Romanæ Eclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum: sed potiùs, ex eius formâ, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret, particulariter sumpsit exemplum.*

Hactenus Sanctus Pontifex.

THESIS VNDECIMA

Nullus Pontifex sine Synodo Patriarcham deposuit.

Antithesis Scriptorum Patrum Orientalium.

MAgnam eorum partem quæ in propositiones conieci, me hîc repetere oporteret. Sed ne actum agam, relictis illis quæ ante Synodum Ephesinam fecisse contra Nestoriũ scribitur Cælestinus, & in ipsa Synodo Ephesina : relictis item quæ fecit Innocentius Papa contra Theophilum Alexandrinum, Arsacium Constantinopolitanum, Patriarchas, & Arcadium Imperatorem & Eudoxiam Imperatricem : relictis item, quæ Sanctus Leo contra Dioscorum & plures Pontifices contra Eutychianos, Seuerianos, Monothelitas fecerunt ; vnum accipio Sanctum Agapetũ : qui Anthimum Patriarcham Constantinopolitanum, veniens Constantinopolim, nulla præhabita Synodo, throno Patriarchali, frustra Imperatricis viribus confisum, deiecit. Id quod, in eo summè probauit totius Orientis Orthodoxus Clerus : vt videre licet in Actis Concilij sub Menna editi à Zonara : in supplice libello oblato Imperatori, post obitum Sancti Agapeti : cùm ita loquitur. *Misit Deus huic ciuitati, Agapetum : verè* ἀγαπητόν : *id est dilectum Deo & hominibus : in depositione Anthimi, tanquam olim, Petrum Magnum Apostolum, in depositione Simonis Præstigiarum. Iste ergo honorabilis vir, &c. neque ad visum suscipere voluit Anthimum, furentem aduersus Canones : sed eum iustè eiecit ex Archiepiscopali throno huius ciuitatis : & præfecit ipsi Ecclesiæ Sanctissimum Mennam.* Et infra. *Petitiones nostras iustas præueniens Sanctissimus vir,* (Agapetus) *cùm Anthymus seipsum manifestum stitisset, eum cum alijs hæreticis damnauit : & priuauit omni dignitate & officio Sacerdotali : simulquè omni Episcopatu : & Orthodoxi nomine : vsque ad pænitentiam eorum, quæ deliquit : & misit pietati vestræ vt quæ in ipsis sunt, per vos ad finem deducantur.* Eadem verba additis nonnullis, repetit ipse Sanctus Mennas : Actione prima Fol. apud Zon. 570. Et in sententia Synodi contra Anthymum *Fol. 620. Venit in hanc regiam vrbem, Deo annuente Agapetus, Sanctæ & celebris memoriæ, Papa Beatissimus : qui statim sacris Canonibus manum cum Deo porrexit : & Anthymum de throno sibi non conueniente depulit.* Et in fine. *Nos sequentes ea*

quæ à Beatissimo Papa bene examinata sunt consentimus: vt is tanquam membrum inutile & putridum reijciatur, à corpore Sanctarum Dei Ecclesiarum: & sit alienus ab omni sacra dignitate, & iuxta ipsius Sanctissimi Papæ sententiam, à Catholica appellatione.

Per hanc, & Patriarcharum plurium depositionem, ruere necesse est, alteram quoque thesim Lithologi: *Fol. 424.* satis superciliosè (vt modestissimè dicam) decernentis: *Pontificem nihil habere iuris in Russia: quia non potest regere in aliena Diœcesi.* Quæro enim ex eo: quando Sanctus Agapetus Anthimum Constantinopolitanum Patriarcham, proprio motu & arbitrio, throno Constantinopolitano deiecit; quando item Innocentius Theophilum Alexandrinum & Arsacium Constantinopolitanũ non solùm Patriarchalibus thronis deiecit, sed eosdem excommunicauit; quando item alij Pontifices alios Patriarchas deijciebant, Orientalium, super eiusmodi definitionibus, sententia non requisita; vel tunc hæ Patriarchiæ fuêre in Diœcesi Romani Pontificis, vel non: si non; ergo vt non obstante alietate Diœcesis, potuêre Summi Pontifices, Patriarchas Constantinopolitanos, Alexandrinos, Antiochenos, deijcere; ita possunt & Metropolitas Kiouienses: nec enim minùs iuris habent in Rusiam quàm in Græciam, Ægyptum, totumquè Orientem. Si verò fuêre in eius Diœcesi; Ergo Roman. Pontifex, Ecclesiarum totius orbis gubernator, & Magister est: inquè eius diœcesi ita est Constantinopolis, Græcia, Alexandria, Antiochia, Rusia, &c. &c. sicuti quæcunque Occidentales Ecclesiæ: ita igitur regere potest Russiam, vti Italiam: & tantundem habet iuris in Rusiam, quantum in quascunque Occidentales Ecclesias.

Loquendo particulariùs de Rusia: quæro è Lithologo: vnde habet; quòd hæc amplissima Regio, sit in Diœcesi Constantinopolitana? Respondebit credo: cum Zon. & Bals. in Canonem 28. Synodi Chalcedonensis: Rusiam esse Thraciæ Diœcesis. At vt hoc stolidè dixerê, Zon. & Bals. ita stolidè diceretur à Lithologo. Nunquid enim Rusia, fuit in illa Christianorum Diœcesi, tempore Synodi Chalcedonensis, vt de eius Episcopis, Synodus disponere posset? non hoc est priùs aliquem facere Sacerdotem quam natus sit? si dicat; Rusiam ideo esse in Diœcesi Constantinopolitana: quia ab hoc throno baptisma accepit; nihil dicet. Nam an Rusia, non priùs acceperit baptisma à Sancto Brunone, vel S. Bonifacio, Latini ritus Presbyteris; vel saltem Sancto Cyrillo & Methodio Romano Pontifici vnitis, satis controuersum est: deinde vt concesserim gratis, Rossos à Sede Constantinopolitana Baptismum recepisse; adhuc Græcorum ipsorummet sententiâ, necesse erit, Rosiam in Romanorum Pontificum Diœcesi esse.

Certè

Certè Bulgari, à Rom. Pontifice primùm baptiſma recepere; Romanos vltronea electione Magiſtros elegere: eorumquè operâ conuerſi, ſacra Chriſtiana ſuſcepere: & tamen Vicarij Orientalium Patriarcharum, teſte Baronio in anno 869. iudicarunt: Bulgaros ad Diœceſim Conſtantinopolitanam pertinere: tum quia decens eſſet, vt in Regno Principis Græcorum, illi non habeant ius ordinandi, qui Græcorum imperium detrectant: tum quia regio illa, quæ à Bulgaris occupata fuit, antea Græcis ſubiecta erat. Hæ rationes, probauerint etiam, Ruſsiam nullo modo ad Conſtantinopolitanam Patriarchiam pertinere; quia terra Roſsica nunquam fuit Græcorum: ſed potiùs Romanorum: vt conuincunt veſtigia pontis Traiani Danubio inſtrati; Linguæ Latinæ per Moldauiam relicta dialectus: victus Decebalus &c.

Præterea, Tomitanam Eccleſiam, exceptam fuiſſe à Græcis Patriarchis, teſtatur textus iuris Orientalis, citatus à Balſam. Titulo octauo. capite primo. Quantopere verò ſemper, conſtantiſsimè, Roſsi Græcorum detrectarent imperium; teſtantur Hiſtorici Græcorum; qui Imperatores Græcos ſæpiùs variante fortuna, cum Roſsis dimicaſſe ſcribunt.

Denique, cùm regnum Poloniæ ſemper fuerit addictiſsimum Sedi Romanæ; cur Roſsia, poſtquam cæpit pars regni huius eſſe, non potiùs pertineat ad Romanum Pontificem, quàm ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, à Turca capitaliſsimo Polonorum hoſte, inſtitutum: & pro eius arbitrio mutabilem? Quare hîc etiam non valeat Nomocanonicum Axioma, allatum à Balſ. in Commentario 38. Canonis Trullani? *Oportet, Eccleſiaſticum ordinem, ciuiles & publicos typos, ſeu Imperatorum iuſſa ſequi.* Cur non & Canon 17. Synodi Chalcedonenſis hîc valeat? *Si ciuitas aliqua,* (idem de regione dicendum) *innouata fuerit; ciuiles & publicas conſtitutiones, Eccleſiaſticarum quoque paræciarum ordo ſubſequatur.* His certè iuribus freti Moſci, obſequium Patriarchæ Conſtantinopolitani abiecerunt. Quid? nonnè mutatis principibus, Sicilia vtraque, Corſica, Creta, Italogræcia, Cyprus, & aliquandiu Hieroſolyma, Antiochia, Tharſus, maior pars Syriæ & Palæſtinæ, Eccleſiaſticum regimen immutarunt? Ipſa Conſtantinopolis à Latinis capta cùm eſſet, nonnè Latinum habuit Patriarcham? cur non igitur, etiam Ruſsia, maiori iã ex parte & quoad digniores partes, Catholica, è Turcogræcorum Patriarcharum ſeruitute in Romanam ſe aſſerat libertatem?

Licuit Imperatoribus Græcis, Macedoniã, Epirum, Peloponeſum, aliaſque Græciæ regiones, immediatè Romano Pontifici ſubiectas, proprio arbitrio, nullius Synodi Oecumenicæ interueniente decreto, ab Eccleſia Romana auellere, & throno Conſtantinopolitano, contra expreſſum Concilij

cilij Chalcedonensis Canonem 28. subijcere: licuit eisdem Cypriæ Metropoli, Hellesponticas Ecclesias subtrahere; Cypro in alterius Principis dominium abeunte; licuit denique Imperatoribus, Constantinopolitanam Patriarchiam, in Nicænam, & Trapezuntinam partiri; postquam Græcorum imperium in partes scissum esset; an non ergo iustius, liceat Rossis, eorum se regimini subtrahere; qui à nutu Capitalissimorũ hostium Rossiæ & Poloniæ pendent? quod regnum perferat inter suos versari, tot Turcicos exploratores, quot Poloniæ regnum perferre cogitur, ob Ecclesiarum Rossicarum Patriarchæ Turcogræco subiectionẽ? vltro citroquè, vagantur per Russiam aduenæ, Monachorum induti vestem, persæpè timendi, ne Turcarum sint emissarij: seditionum incentores.

Iam olim hoc hominum genus graui notauit censura Synodus Trullana: talem de eis sanciens Canonem. 42. *Eremitæ, qui nigris vestibus induti, & capite comati, vrbes obeunt; &c. statuimus: si elegerint tonsis comis reliquorum Monachorum amictum suscipere, eos in Monasterio constitui: & inter fratres versari. Si verò hoc non elegerint, eos omnino ex vrbibus expelli & eremos inhabitare.* Quem Canonem ita commentatur Bals. *Complures populi seductores, vrbes obeuntes, induuntur nigris vestibus: & sunt intonsis capillis:* (Seu, vt loquitur Zon. sunt comâ intonsâ, sed in pectus humerosque defluente: vt intortis replicatisque in orbem crinibus vrbes peruolitent:) *ieiunium, sordes, & squallorem præseferentes: & simpliciores decipientes, & Monachalem professionem iniuriâ afficientes: & in triuijs, dæmoniacis doctrinis circumstrepentes: &c. statuit ergo Synodus, vt talibus comæ tondeantur: & in Monasteria introducantur: vt monasticam in eis vitam agant. Si autem hoc nolint; vt ex vrbibus expellantur. &c.* Vtinam Synodi Trullanæ Zelatores, hunc quoque Canonem vsui haberent: non vidissemus exempla quæ ingemiscendo vidimus. Sed obductas, non libet refricare cicatrices. Illud vniuersim dico: si quæ gens mutato principe, mutandi regiminis Ecclesiastici necessitatem habet; maximam profectò habet Russia. Nostrâ pecuniâ, quâ confirmationem Metropolitæ redimimus, quâ Patriarcham, in thronum (satis miserabilem) erigimus, ne aliquando Turcicam nobis accersamus seruitutem; verendum est: gliscente præsertim illo seditiosorum clamore: Præstare Turcis subesse: quàm Lachis. Miserrimi homines! qui vicinorum plagis (Phrygibus deteriores,) non fiunt meliores! quoties eis obtrusi Laici pro Clericis! Diaconi pro Protosyncellis! Impostores pro legatis! Ille ipse Patriarcha Hierosolymitanus, qui plurimos ordinauit, etiam Episcopos, etiam Metropolitam, nonne communi fama, ex illustrium virorum relatione, Iudæus audit? Quidsi id rudiore seculo factum sæpius? En quod periculum

culum Ordinis & iurisdictionis! vt ne attingam illud, quod Reuerendissimus Archimandrita Dermanensis, Harmoniæ Ecclesiasticæ lib. 4. cap. 4. doctissimè & solidissimè concludit.

Mitto priuatas, dignas tamen expendi considerationes. Scimus quæ in Turcogræcia, de Cleri Constantinopolitani (vt modestiùs loquar) ruditate scribantur. Spectauere eam nonnulli nostri indigenæ: in missis ad vos definitionibus, eam experimini ipsi: & non probrum est; homines egregiè doctos, quales non solum inter vnitos, sed & disunitos (nam veritas etiam aduersarijs suum vult tribui:) Rossos, plurimos noui; pendere â definitionibus idiotarum, quos in Kiouiensi Gymnasio studere Grammaticæ oporteret? Quid aliud nuper, Valachicas clausit Scholas quàm conscientia ignorantiæ, & metus vilescendi, Regum inter Monoculos? vetus Christi Domini èxprobratio est: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ad inuicem quæritis?* Quid si huic accesserit studium questus? quid si viuendi necessitas, non aliunde sueta viuere, quam ex imposturis? Denique (vt eô tandem redeam, vnde me longiùs quàm cogitaram retraxit, dolor damnorum quæ incurrunt Rossi, ex sua nimis inconsiderata & periculosa Patriarchæ Constantinopolitano subiectione;) Concludo: Iure gentium, & Iure Ecclesiastico, & Iure Cæsareo, Rossiam non esse in Diœcesi Patriarchæ Constantinopolitani: sed Romani Pontificis. Iure gentium; quo cautum est, ab Imperij sui finibus, hostes vel hostibus iuramento obligatos submouere: iure Ecclesiastico, quia Canon Trullanus 38. & Chalcedonensis 17. est. *Vt Ecclesiasticus ordo, ciuiles & publicos typos seu Imperialia iussa sequatur.* Iure Cæsareo, quo permulti Imperatores Græci, multos Episcopatus & Metropoles, latis diplomatibus pro arbitrio immutarunt: & certos Episcopatus certis Metropolibus subtraxerunt: vt refert Bals. in Canon. Chalcedonensem, & Trullanum citatos. Hoc tamen ipsum, Græcæ Ecclesiæ non minima nota est: quòd sui maiores Ecclesiasticam libertatem in adeo turpem coniecerint seruitutem: vt Bals. in Scholio Can. 17. Chalc. dixerit. *Licet Imperatori auferre Ecclesiastica Priuilegia.* Id quidem fortassis facit: vt Clerus Græcus sit adeo suis Dominis contemptibilis. *Dilexit maledictionem & veniet ei: & noluit benedictionem & elongabitur ab eo Ps. 100. v. 18.*

CONCLVSIO PARÆNETICA

Ad Reuerendos DD. Cænobiarchas & Cænobitas Kiouienſes.

QVæ duo, Kiouiæ habitans, á Reuerendis Paternitatibus intellexi obſtare: quominus Romanæ Eccleſiæ vnionem ſummis bonorum omniũ votis expetitam amplectantur: ea iam, niſi fallor, Sanctorum Patrum Orientalium tubæ, (vt olim Hierichuntina mænia Iſraeliticæ) ſummis emota fundamentis, euerterunt. Iam binus ille paries qui vtraque fieri vnum, impediebat, operante dextera eorundem Patrum, felicisſimè diſſolutus eſt. Nihil vt amplius ſupereſſe videatur, niſi vt Reuerendæ Paternitates, in obſequium fidei, conuictum, tanta nube teſtium, intellectum, trahere velint; & veritati manus dare: tandemquè in deſideratisſimam cæleſtibus oculis vnionem, diu reluctatas flectere voluntates. Eam me Religioſis hominibus commendare, neceſſe non eſt: quos non dubito à Sanctis Patribus didiciſſe, auerſis ab eâ, ſalutem æternam eſſe impoſsibilem. Eſſe apud eos in recenti memoria non dubito: quæ Sanctus Cyprianus clariſsimus ille Africanæ Eccleſiæ Archiereus, ſcripſit de vnitate Eccleſiæ: vt non niſi ſimpliciorum gratia, verba eius referre neceſſe habeam: *Inexpiabilis (inquit) & grauis culpa diſcordiæ Eccleſiaſticæ eſt: macula iſta nec ſanguine abluitur: nec paſſione purgatur. Eſſe Martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt: cum Deo manere non poſſunt, qui in Eccleſia vnanimes eſſe noluerunt. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti beſtijs, animas ſuas ponant:* (notetur hîc, quid de ſuis Sanctis, ſi eſſent Schiſmatici, Lauræ Kiouienſi ſentiendum eſſet:) *non erit illa fidei corona; ſed pæna perfidiæ, nec religioſæ virtutis exitus glorioſus: ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt. An eſſe ſibi cum Chriſto videtur, qui ſe à Cleri eius & plebis ſocietate ſecernit?* Ab hoc Sancto Patre edoctus Sanctus Chryſoſtomus homilia vndecima in epiſtolam ad Epheſios, ita ſcribit. *Nihil ita Deum irritat, ſicut Eccleſiæ diuiſio. Etſi innumera bona operati fuerimus,* (notent Schiſmatici qui de ieiunijs & laboribus externis magnopere gloriantur;) *non minores tamen pænas dabimus, quàm qui ipſius Chriſti corpus proſciderunt: ſi integritatem Eccleſiaſticam diſcerpſerimus. Vir quidam Sanctus* (Sanctum Cyprianum intelligit) *quidpiam dixit: quod audaciam ſapere videtur, attamen dixit. Quid autem eſt iſtud? peccatum videlicet iſtud ne Martyrij quidem ſanguine deleri.* Multa in eandem ſententiã habet S.

Baſilius

Basilius Magnus Tomo 2. sermone de iudicio. Multa Sanctus Gregorius Theologus in Orationibus de pace: multa alij: sed Patres Africani Schismatibus sæpius exerciti, sunt in ea materia eloquentiores: vt ideo existimem nemini futurum graue, si aliqua insuper, eorum testimonia adduxero. Pacianus Barcinonensis Episcopus temporibus Sancti Cypriani proximus, epistola secunda inserta Tomo 4. Bibl. *Fol. 238.* ita scribit. *Extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam nemo Martyr est.* Idem epistola 3. *Fol. 243.* ita Nouatianos Schismaticos alloquitur. *Calculare si potes Catholicos greges: & duc in digitos, nostræ plebis examina. Nec illa modo, quæ toto orbe diffusa sunt, cunctis plena regionibus; sed hæc, quæ tecum in proximis finibus,* (Rusiæ & Lituaniæ) *& vicina vrbe* (Leopoli, Iaroslauia, Luceoria) *consistunt: contemplare, quot nostrorum vnus aspicias? quot meorum populis, solus occurras! Nonne vt stillicidia fontibus magnis, non ne vt Oceano quædam guttula absorberis?* Tandem concludit *Fol. 244. non pigeat ergo esse cum multis. Libeat reduuias Nouatianorum* (nos dicamus Photianorum, Cerullarianorum, Ephesianorum, vel simpliciter Turcogræcorum,) *contemnere: & Catholicos greges & latè patentes Ecclesiæ populos intueri &c.* Pulcherrima quoque sunt, Optati Mileuitani, eiusdem seculi scriptoris, verba: lib. 10. contra Donatistas. Bibl. 4. Tomo, *Fol. 270.* inter alia hæc habet. *Præter vnam Ecclesiam, quæ est Catholica; cæteræ putantur esse; sed non sunt. Hæretici claues non habent, quas solus accepit Petrus &c.* & *Fol. 272. Hæretici spernebant suis temporibus Pacem: vos* (Nouatiani) *exterminatis vnitatem: de Parentibus vestris & de vobis meritò dici potest: Cæcus cæcum si duxerit; ambo in foueam cadunt. Oculos Patrum vestrorum excæcauerat liuor & ambitio: vestros orbauit. Schisma summũ malum esse, neque vos negare potestis.* Postea, fusè explicata grauitate huius peccati, & supplicio, de Dathan & Abiron sumpto; exclamat: *Quid ad hæc dicturi estis, qui vsurpato nomine Ecclesiæ, Schisma & ocultè nutritis, & impudenter defenditis?* Hæc Sanctus Antistes ad Donatistas Schismaticos: quæ an de Diuisnitis Græcis non commodissimè dici possint ipsimet iudices sunto. Omitto Sanctum Augustinum, Sanctum Hieronymum, Sanctum Fulgentium disertè affirmantes: *separatis ab vnitate Ecclesiæ salutem esse impossibilem.*

Quod cùm ita sit; *conueniamus aliquando.* (ita monet Sanctus Basilius Tomo, homilia 27. contra Sabellianos & Anomæos:) *& prolixum contra pietatem bellum, abiectis impietatis armis ad nocendum acutis, & lanceis in aratra commutatis dissoluamus. Ad hoc beneuolentiæ concordiæque studium, necessariò nos* (ait Sanctus Theologus Orat. 12.) *adducere deberet: Dei & cælestium Spirituum imitatio, Nam & Trinitas Deus vnus est, non minùs propter concor-*

diam, quàm propter vnam essentiam : & Angeli hoc à Trinitate *habent, vt vnum sint : & dissidij expertes.*

Mouere id etiam debet: quòd (vt verissimè in Synodo Florentina doctissimus monebat Bessario) *qui obstinato animo, Christi Domini tunicam inconsutilem diuidere etiamnum præsumpserint; Sanctiquè Petri Successoribus obsequiū negare persiterint; nullam deinceps excusationem sint habituri, stante contra se plurimorum Sanctorum Orientalium & Occidentalium Patrum, irrefragabili testimonio: qui & Spiritum Sanctum, ex Patre & Filio, vel per Filium, procedere; & Sanctum Petrum eiusquè Successores totius Catholicæ Ecclesiæ Vniuersalem habere præfecturam; disertissimè* (vt vidimus) *testati sunt : Suffragiū autem pluriū* (ait Sanctus Anastasius Sinaita in fine Odigi) *omni in negotio plurimum valet: sicut Sanctorum Apostolorum Canones decreuerunt.* Meritò hîc ergo DD. Disunitos verbis Sancti Basilij lib. de Spiritu Sancto C. 29. alloquar. *Si apud Tribunal, multos vobis testes produceremus; nonne sententiam, absoluentem à vobis consequeremur? Quod si etiam temporis diuturnitatem pro nobis facientem vobis ostenderemus; nunquid nobis ampliùs lis posset intendi?* Cùm igitur per omnia propè Christianæ Ecclesiæ tempora producti testes, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, vel per Filium; & Sanctum Petrum eiusquè Successores totius Ecclesiæ Christianæ vniuersale regimen habere, multis locis asseuerent, qui locus relinquitur tergiuersationi? Quid superest quod toti orbi desideratam disuadeat vnionem? Illis vos vniri expetimus: de quibus Sanctissimus Orientalium Ascetarum Pater, Sanctus Basilius magnus, tale tulit iudicium: Epistola 182. ad Occidentales Christianos: *vos è cunctis mortalibus prædicamini: quòd in finem illibati permaneatis: & Apostolicum depositum illæsum seruetis. Non sic se habent res nostræ: sed sunt apud nos quidam*: O vtinam nunc per Græciam & Rossiam non essent! *qui gloriæ desiderio, & maximè inflatione ista, qua Christianorum animi subuertuntur, perciti, verba quædam nouandi studio excogitata,* (à solo Patre ; omnes Wladicæ sunt Sancto Petro æquales:) *inducere præsumunt. Vnde Ecclesiæ debilitatæ, quasi vascula quædam laxata, influentem hæresim receperunt.* Ab illo vos Pastore pasci desideramus; quorum vni (Sancto Innocentio) idem Sanctus Pater epistola 409. ita scribit: *Eccui alteri conueniebat, confidentiam timidis subministrare & dormientes excitare, quàm tuæ Domini nostri pietati? qui tuam vbique perfectionem per omnia consummatam in hoc etiam ipso demonstratam dedisti, quòd dignatus fueris ad nostram obiectionem condescendere. Quàm tu verus es discipulus illius; qui dixit :* **Ego sum in medio vestrum sicuti ministrans?** (etiam modo seruus seruorum DEI,) *dignatus es per literas tuas reuerendas, nostrarum animarum curam suscipere: & tua ipsius magnitudine nostram uelut infantiam vlnis amplexari.* Quid ni

Quidni igitur Basilium sequantur Basiliani? Quidni in eius Matris recurrant gremium, cuius amplexuum suauitatem tantoperè prædicauit Ascetarum, & Metropolitarum, Sanctissimus? Probè norunt: quod extra Ecclesiam non sit salus. Cur ergo Palantes ouiculæ desertum ouile non repetunt? Cur suorummet Patrum vestigijs non inhærent? cur semiruto tuguriolo se credere malunt, quã illi domui; cui per tot secula benedicit Deus: vt potè fundatæ supra firmam petram, contra quam portæ inferi nequeant præualere? Nonne reipsa clarissimè experiuntur, in omnes Ecclesiæ Catholicæ desertores, horribile illud, à Deo per Isaiam. C. 60. ℣. 12. latum cadere Anathema! *Gens & regnum quod non seruierit tibi peribit?* vtinam aliquando expergiscamur! ne necesse sit aliquem Græcum, vel Rossum Hieremiam, (Gennadium puto, vel Isidorum, vel quemuis alium) veteres illos repetere thronos Ier. 5. ℣. 3. *Domine oculi tui respiciunt fidem percussisti eos & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram: & noluerunt reuerti.* Auertat à miserrimis Græcorum reliquijs, tam acerbam querimoniam Deus: quin potiùs (quod suo tempore Græcis item dissidentibus expetijt Sanctus Gregorius Theologus Orat. 12. non procul à fine) faciat: *vt tandem nos complectamur mutuò: & exosculemur: vnumquè verè efficiamur: & eum qui medium materiæ parietem soluit, ac per sanguinem suum omnia conciliauit, imitemur: quò aliquando communi nostro Patri, & placido Pastori gratulabundi dicere possimus: Tolle per circuitum oculos tuos: & collectos Filios tuos vide: quemadmodum cupiebas. En omnes ad te veniunt: & sub pennis tuis requiescunt. Gaude & oblectare Patrum optime & indulgentissime: quoniam his omnibus, vt sponsa mundo suo, amictus es. Loquere tu quoque ad nos: Ecce ego & Filij mei: quos dedit mihi Dominus. Adde aliam quoque vocem tibi congruentem: Quos dedisti mihi seruaui: non perdidi ex eis quenquam.*

Et dicat omnis populus

FIAT, FIAT.

Colloquium

COLLOQVIVM
KIOVIENSE
DE
PROCESSIONE SPIRITVS SANCTI
A PATRE ET FILIO

Inter,

A. REVERENDVM DOMINVM,

INNOCENTIVM GIZEL,

Collegij Mohilæani Kiouiæ Rectorem; & Philoſophiæ Profeſſorem:

Et

P. NICOLAVM CICHOVIVM

Societatis IESV Kiouienſem tunc Miſſionarium.

Quia eius Colloquij in Controuerſia prima, feci mentionem; viſus mihi ſum facturus operæ pretium; ſi illud recuſum, Tribunali ſubiecero: ad communem omnium vtilitatem.

KIOVIA, totius olim Ruſsiæ Metropolis, eiusquè autocratorum, (quem titulum, in præſentem diem, magni Moſchorum Duces retinent,) ſedes, nunc, eſt, Schiſmaticæ Græcoruſſotum pertinaciæ, gymnaſium: ex quo, totius Ruſsiæ flamines, Solemnes ritus fideiquè canones petunt.

Huc, Catholicæ Religionis lumen, vt inferrent; multum laborauere, Illuſtres Patrum Prædicatorum, & Minorum Obſeruantum familiæ. Quarum tamen, & nobilitatis Catholicæ, iudicium fuit: ad flectendam pertinaciam Schiſmaticam, nullum accommodatius dari poſſe medium, ſcholis Societatis IESV: in quibus, juuentus, bonis artibus, iuxta, ac veræ fidei dogmatibus, imbueretur. In quam ipſam ſententiam, cum piæ Mem. Illuſtriſsimus Heros, Ianuſsius Tyſzkiewic, Palatinus Kiouienſis, conceſsiſſet; Collegioquè locum & Fundationem, deſtinaſſet; moderatoribus Prouinciæ, viſum eſt: Vt Collegio vel Reſidentiæ, præmitteretur miſsio. Anno igitur 1645. duo Patres P. STANISLAVS SMIALKOWIC, & P. NICOLAVS CICHOVIVS, Cracouiâ euocati, miſsi ſunt Kiouiam: quos ci-

quos ciuitatis suburbanum, ipso, (iuxta vetus Kalendarium Rußis solemni natæ Deiparæ die,) ingressos, Græcorum ascetarum quidam, peramicè salutatos, hâc benedictione; (DEVS vos, ô boni Patres, benedicat: consiliaque, quibus adducti, huc venistis, compleat:) impertiuit.

Ciuitatem ingressos, summa humanitate excepere, Sacri PP. Prædicatorum & Minorum Ordines: profeßi; se maximis semper votis, nostrorum aduentum expetijsse. Quâ eorum humanitate allecti Patres, in eorundem templis, Confeßionibus excipiendis incubuere: præsertim Quadragesimæ tempore; quo, cùm Kiouiæ, è Prætoriano exercitu, tres hyppotoxotarum turmæ hybernarent, multi militum, consuetudine & colloquio Patrum allecti, ad Pœnitentiæ Sacramentum, à quo complures annos abhorrebant, accesserunt: multi scelera diu celata, summo suo solatio, & pietatis incremento Sacro Tribunali subiecerunt; quinque hæresim, quatuor Schisma abiecerunt. Vnus Socinisticas exosus blasphemias, ad sacrum lauacrum accesit. Tandem, ad maiora animarum lucra intentis Patribus, patentiorē Dominus aperuit campum: cùm exeunte Quadragesima, Reuerendorum Patrum Minorum Obseruantum, Ecclesiastem, in diuturnū coniecit morbum. Hoc enim fecit: vt P. NICOLAVS CICHOVIVS, ad Conciones in eorum templo habendas, inuitatus fuerit; id quod magnopere expetebat: eò quòd aduerteret, Dominicas Paschales, optimam sibi daturas occasionem, de Proceßione Spiritus sancti, è loco superiore, copiosiùs disserendi.

Oblatum ergo laborem, obuijs vlnis excipiens, aliquot præuijs concionibus; Quartæ à Paschate Dominicæ, inuitante Euangelio, cœpit agere de Spiritu Sancto quem à Patre Filioquè procedere, probauit primò: quòd Sancti Patres Orientales, omnium quatuor Patriarchiarum, (quorum expressa verba producta sunt,) eam veritatem, esse in Sacris literis reuelatam, agnouerunt: & docuerunt. Idem, alijs quinque concionibus docuit: ostendendo Sanctos Patres Orientales, tam in Concilijs Oecumenicis, quàm in priuatis lucubrationibus, expreßè testatos esse: Spiritum Sanctū procedere à Patre & Filio: vel per Filium. Adiectæ deinde rationes Theologicæ: & argumenta opposita soluta. Denique in Festo Sanctißimæ Trinitatis, cùm ostensum esset, omnes, Sanctißimæ TRINITATI, infestos errores, ex Græcia vel plagis Orientalibus duxisse originem; ideoquè periculum esse, ne eorum posteris, recensitorum errorum aliqui, adhæserint; adiectum est: quàm vicini sint Arrianis, qui Filio vim & operationem spiratiuam negant: quàm vicini Sabellianis, qui inter Filium & Spiritum Sanctum, producentis & producti, tollunt oppositionem: quàm vicini Macedonianis; qui Spiritum Sanctum, a Christo datum, ita, esse donum, asserunt; vt illud, esse ipsam Spiritus Sancti personam negent. Aderant hisce, Con-

ce, Concionibus, Studiosorum, ciuiumquè non pauci: breuiquè in totam, ciuitatem, eorum quæ dicebantur, (nam, & calamo subinde, dicta, auidè ab aliquibus excipiebantur:) fama emanauit. Ita vt Schismatis duces. ne aliquid inde, sibi, detrimenti emergeret, magnopere vereri, inciperent. Et verò, non pauci, melioris ingenij & doctrinæ, Studiosi, adibant P. Nicolaum: & audita cum eodem conferebant: SS. P. testimonia, relegebant: aliterquè quàm vulgo persuasi essent, de Spiritu Sancto sentire incipiebant. Eorum certior factus, magni inter suos nominis, Reuerend. Dominus, Innocentius Gizel, Mohilæani Collegij Rector, & Philosophiæ Professor, Patrem Nicolaum ad Collegium inuitauit. Eô, cùm, die Sabbati, venisset Pater, ibidemque (vti alias aliquoties,) Theses Logicas, quæ tum defendebantur, impugnasset; finita disputatione, grauiter cum eo expostulauit, Reuerend. D. Rector: quòd Græcorum religionem tot concionibus impugnasset: eisquè nouissimè, hæreses obiecisset. Respondit Pater: se eum in finem Kiouiam missum, vt si quâ posset ratione, animabus per Schisma pereuntibus consuleret: ideoquè officium agere: non ignarum, væ sibi futurum nisi euangelizauerit: interea, nihil vltra modestiæ limites egisse: cùm receptæ scholarum methodo institit: quibus commune sit, etiam Catholicis Theologis, deductas ptr Consequentiam hæreses, obijcere: neque sibi dubium esse, Reuerendum Dominum; ab ijsmet, à quibus obiectas audisset hæreses, etiam probationes audiuisse: se paratum audire, quomodo refellantur. Tum Reuerendus Dominus ad Patrem conuersus: Refellemus: (ait:) modo Reuerentia Vestra aliquam designet horam; quâ, præsenti exhibeam, Sanctorum Patrum testimonia: quibus innixi, asseramus: Spiritum Sanctum à solo Patre procedere. Respondit Pater: se id semper summè optasse: ideoquè quo vellet tempore venturum libentissimè: modo sibi alteram indulgeat diem: quâ ex libris, ab eo ipso impetratis, oppositum probare posit. Admissa conditione, vtroquè assentiente, dicta est colloquio dies, Feria Sexta, Solemnem Corporis CHRISTI Octauam consequens: quæ tum, Anno *1646.* in Octauam Iunij inciderat.

PRIMA COLLOQVII DIES.

CONdicta die, venit ad collegium Mohilæanum Pater Nicolaus: moxq; deductus ad domicilium hospitum, perhumaniter exceptus est à Reuerendo Domino Rectore: qui, non moratus, tres, pro ea quam erat defensurus sententia, protulit libros.

Primò, aperuit Sanctum Ioannem Damascenum: & ex Oratione de Sabba-

Sabbato S. hæc verba produxit. *Spiritus Sanctus Filij dicitur : quodper ipsum manifestatur : rebusquè conditis est impertitus : non autem ex ipso habens, vt subsistat.* Ex quo, ita argumentatus &. *Ex quo Spyritus Sanctus non habet vt subsistat, ex eo non procedit. Ex Filio, Spiritus Sanctus non habet, vt subsistat. Ergo ex Filio non procedit.* Respondit Pater Nicolaus, alijs locis, quæ mox citatum iri speraret, Sanctum Damascenum hoc dictum explicaturum : palamquè facturum, se à Catholicis sola phrasi, à Græcis verò reipsa, dissidere. Tum R. Dominus Rector protulit aliquot eiusdem Sancti Patris loca : quibus is affirmauit : *Spiritum Sanctum non dici ex Filio procedere, sed per Filium :* vt lib. 1. de Fide Orthodoxa cap. 11. & 15. & alibi. Respondit Pater Nicolaus. En veritatem, quam dixi. Ipsummet Sanctum Damascenum sui ipsius dictum primò citatum explicaturum : cum quo, obiectum argumentum Distinguo. Ex quo, vel per quem, Spiritus Sanctus, non habet vt subsistat ; ex eo, & per eum non procedit : Concedo. Ex quo non habet, sed tamen per quem habet, vt subsistat, &c. Nego Maiorem. Ex Filio, & per Filium, non habet Spiritus Sanctus vt subsistat, Nego Minorem. Ex Filio non habet, sed habet per Filium : Transeat Minor. Ergo Spiritus Sanctus neque ex Filio, neque per Filium procedit. Nego Consequentiam. Sola ergo phrasi Sanctus Pater à nobis differt. Atquè vt negat, Spiritum Sanctum procedere ex Filio, ita eundem. negat, ex Filio habere vt subsistat. Vt tamen, nullibi negat, procedere per Filium ; ita nullibi negat, habere per Filium, vt subsistat. Hæc enim doctrina in Nestorianis damnata est : vt videre licet, in Sancto Cyrillo, anathematismos Theodoreti referente : & refellente. Quod autem, τὸ Ex & Per, SS. Patribus Græcis, idem significent ; cras Deo volente, ex Sancto Basilio demonstrabo. Ratio autem, quòd tum hic S. Pater, tum alij Orientales, vti maluerint præpositione Per quàm Ex ; est : quia, Ex semper putabant referri debere ad principium anarchicon & procatarcticon : quod ipsi vocabant τὸν αἴτιον : Sanctus Thomas vocat authorem.

Institit Reuerendus Dominus : Vnde hoc haberetur ! Responsum est. ex ipso Sancto Damasceno : qui libro primo de fide cap. 10. innuit, *nomine τοῦ αἰτίου, se intelligere causam, quæ nihil habeat ab alio, sed omnia à seipso :* ex quo sequitur : eundem Sanctum Patrem, cùm docet Spiritum Sanctum non dici procedere ex Filio sed per Filium, quia solus Patet αἴτιος seu causa est ; solùm negare Filium, esse tale Spiritus Sancti principium, quod esse, & omnia, habeat à seipso : cùm verò dicit ; Spiritum Sanctum procedere per Filium ; eo ipso significare : aliquem influxum actiuum Filij in Spiritum Sanctum : atquè ideo apertè dissidere à Recentioribus Græcis : asserentibus Spiritum Sanctum nec à Filio, nec per Filium procedere : Vt ex loco, quem

Reuerenda Dominatio citat, colligitur. Cùm enim, cap. 15. in fine dicitur Spiritum Sanctum, dici, non ex Filio sed per Filium procedere, quia solus Pater αἴτιος est, sermo est, de operationibus Diuinis vel ad intra; vel ad extra. Si primum; Ergo Spiritus Sanctus dicitur hîc, ad intra procedere per Filium: quod modo Græci negant. Si secundum; Ergo Sanctus Damascenus, negauit Filium esse Creatorem mundi: siquidem solus Pater operationum ad extra αἴτιος sit: quod absit: quia hæreticum est.

Dicere plura parantem, interpellauit Reuerendus Dominus Rector dicens, particulam *PER*, locis citatis non significare influxum actiuum, sed solùm simultatem originis: ita vt τὸ *PER*, idem significet, quod *CVM*. Respondit Pater Nicolaus: inauditum esse apud SS. Patres τὸ διὰ seu *PER*, idem significare quod συν vel *CVM*. Neque id vlla ratione dici posse: secus inde sequeretur, ita posse dici, Filium procedere per Spiritum Sanctum, vti Spiritus Sanctus dicitur procedere per Filium: siquidem, Spiritus Sanctus, ita procedit cum Filio à Patre; vt ab eodem, procedit Filius, cum Spiritu S.

Postea Reuerendus Dominus; alium, eiusdem Sancti Patris, producturus locum, tale præmisit argumentum. *Qui Spiritu Sancto non est prior Origine, ab eo, is, non procedit. Filius Spiritu Sancto non est prior Origine. Ergo à Filio Spiritus Sanctus non procedit.* Respondit Pater: Concedo Maiorem: Nego Minorem. Probauit is, ex libro 1. de Fide, ca. 10. vbi dicitur: *Simul est Filij ex Patre Generatio, & Spiritus Sancti Processio.* Explicauit Pater Nicolaus: ea verba, dicta esse de simultate durationis: non de simultate Originis. Diu hîc sciamachia, certatum est: eò quòd Reuerendus Dominus Rector, malè conciperet prioritatem & simultatem Originis: imaginatus prioritatem originis esse; prius originari: simultatem verò; simul originari: quæ imaginatio serò ei excussa: vixquè ei persuasum, vt concederet; impossibilem esse in Diuinis simultatem Originis, in eo sensu, in quo à Theologis, prioritas originis asseritur: cum hæc, non mensuretur per ante & post: (quæ sola prioritas & posterioritas patitur simultatem:) sed per, esse hoc, à quo aliud: ita, vt, in Diuinis, tunc solùm esset possibilis simultas Originis: si Pater, simul & semel produceret Filium; & à Filio produceretur: quod est impossibile.

Institit adhuc, Reuerendus Dominus Rector: Quæ ergo illa simultas foret, si vno eodemquè instanti, saltem per miraculum, duo gemini conciperentur? Respondit Pater Nicolaus: miraculis opus non esse: cùm constet vno eodemq; instanti, multos Angelos creatos esse: qui tamen non dicuntur fuisse creati simul, simultate originis: sed tantùm simultate durationis: quia etsi conditi sint non vnus post alium, sed simul: ita tamen vt eorum nullus sit ab alio Angelo.

Dicun-

Dicuntur ergo, Filij & Spiritus Sancti productiones, esse simul: simultate opposita prioritati durationis: quia sibi sunt coæternæ: non simultate opposita Prioritati Originis. Admirabundus Reuerendus Dominus Rector inclamauit: vnde hæc haberet Pater! Respondit is: Ex vsu Theologorũ, fundato in loquutionibus Sanctorum Patrum Orientalium: eo solo discrimine; quòd Theologi, hanc vnicam, quam in Diuinis admittunt prioritatem, vocent prioritatem originis, vel ordinis: tres circiter, prioritatem naturæ: Sancti Patres verò Orientales, Sanctus Athanasius, Sanctus Basilius, Sanctus Gregorius Nyssenus, vocent prioritatem taxeos, & axiomatos.

Postea, ex eodem Capite, eiusdem Sancti Patris, produxit hæc verba. *Spiritus Sanctus, est omnia habens, quæ habet Pater & Filius, excepta ingeniti & geniti proprietate.* Ex quo ita arguebat.

In esse ingeniti, vel includitur Spiratio, vel non. Si includitur; Ergo Filius, vt non habet esse ingeniti, ita neque Spiratoris. Si non includitur: Ergo Spiritus Sanctus, habet esse Spiratoris: vtpote, omnia habens quæ Pater, excepta sola ingeniti proprietate. Respondit Pater Nicolaus: Primam partem dilemmatis, Distinguo. Si spiratio includitur, in ingenito, vt proprietas hypostatica seu personalis, non habet eam Filius: Concedo. Si includitur; vt proprietas gnoristica seu notionalis; Nego Consequentiam. Includitur autem spiratio in ingenito, vt notio: non vt personalitas: siquidem formaliter loquendo, spiratio non est Paternitas. Notio verò potest esse communis Patri & Filio. Vel Vniuersaliùs dico.

Spiritus Sanctus habet omnia, quæ Pater & Filius, excepta proprietate ingeniti, & geniti, præcise & formaliter sumptis: Nego. Nam etiam Spiritus Sanctus non est genitus: vti Pater: exceptis hisce proprietatibus, quâ causatiuis, & oppositionis Relatiuæ spirantis ad spiratum inclusiuis: Concedo. Ergo Spiritus S. habet esse Spiratoris: Nego Consequentiam: quia hoc includitur, in esse ingeniti & geniti, non præcisè & formaliter sumptis: sed quâ causatiuis, & oppositionis Relatiuæ inclusiuis. Ita tunc responsum fuerat: nunc alia occurrunt: sed quæ, in Tribunali Deo iuuante, referẽtur.

Clauso Sancti Damasceni codice, Reuerendus Dominus Rector, aperuit Sancti Dionisij opus editum à P. Corderio Societatis IESV, & primùm produxit testimonium Michaëlis Syncelli, encomiastæ Sancti Dionysij: vbi hæc verba sunt. *Rursus verò vt Spiritus Sanctus ab ipso solo Patre descenderit; & per Filium processerit; & hominibus se ostenderit, vnius principatum edocens.*

Hîc Pater Nicolaus aliquantò commotior: Hocne (inquit) veritatis studium est? hic candor; non apertissima deceptio est; obtrudi pro Sancto Dionysio Syncellum, à nemine vnquam pro Sancto Patre habitum? & tamen verendum est, ne hæc verba, studiosis, pro verbis Sancti Dionisi subinde exhibeantur.

 Tumj

Tum Dominus Rector. Cur ergo, hic Author à Iesuita, operibus Sancti Dionysij est insertus? Respondit Pater: insertum esse, vt encomiasten & Oratorem, non vt fidei magistrum: & adiecit: dogma Syncelli, vt sonat, videri falsum: cùm docere videatur, Spiritum Sanctum, ad extra, à solo Patre procedere: eò quòd, descensus Spiritus Sancti, plerumque apud SS. PP. missionem ad extra significet. Deinde: ex S. Maximo, Sancti Dionysij interprete, produxit Dominus Rector, quædam verba: vbi dicitur: *Spiritus Sanctus qui à Patre procedit*: & subiectam in margine glossam: *Inde patet Sanctum Maximum fuisse in communi errore Græcorum.* Quibus verbis, Patri lectis, exultans inclamauit. En vester Iesuita Corderius, clarissimè profitetur, Sanctum Maximum nostræ esse sententiæ: quam etsi errorem vocet, nos tamen cum Sancto Maximo malumus censeri errare; quàm vobiscum verè errare. Respondit P. Nicolaus: non constare, an verba citata, margini sint à P. Corderio adiecta, an verò ab ipso (quod fieri amat) typographo. Deinde si ea verba, sint Patris Corderij, se ad eum sequendum non teneri. Pater Corderius, quia fortasse minoris æstimabat, huius Sancti, in hac materia authoritatem; (quod ipsum fecit P. Arriaga, disertè Hispana libertate, profatus: Sanctum Damascenum errasse) hæc verba scripsit: si scripsit: forsitan persuasus; vnius Sancti authoritatem, obesse non posse, causæ: multorum aliorum primæ classis Patrum, clarissimis testimonijs innixæ. At ego, (inquit Pater) qui tueor, semperque tueri sum paratus, neminem Sanctorum Patrum, Græcorum errori patrocinari; vt Sancti Damasceni verba explico; (ita vt potiùs P. Arriagā quàm S. Damascenum censeam errasse;) sic multò magis, Nego: Sanctum Maximum fuisse in errore Græcorum: vt pote, qui solum id dixerit, quod in Euangelio legitur, ***Qui à Patre procedit*:** nullo signo, Filij exclusiuo, adhibito: quod tamen error Græcorum fieri exigeret. Clauso, Sancti Dionysij codice; (nam ad ipsius Sancti Dionysij verba, à Græcis obijci solita, sciebat à Patre Nicolao pro Concione, adæquatè responsum:) aperuit Sancti Athanasij Tomum secundum, Editionis Comelinianæ: ex eoquè in Quæstionibus anonymis exhibuit hæc verba. *Filius, ex solo Patre causatus: & genitus: Spiritus Sanctus ex solo Patre causatus, & procedens, sed per Filium in mundum missus.* & inclamauit: Quid in hâc controuersiâ dici potuit clarius? Respondit Pater Nicolaus. Negaui in Concione, semperque negabo: hunc librum esse Sancti Athanasij: ob multas rationes: primò. Quia Critici, & Bibliothecarum scrutatores, Posseuinus, Bellarminus, Petauius, & pleriq; doctissimi & erudisissimi Galli testantur, non solum has, sed alias etiam, quæ in eo Tomo sunt, quæstiones, non esse Sancti Athanasij. Secundò, Quia, tunc, hic scribendi modus, nondum erat in vsu: vt patet è pluribus

huius

huius æui ſcriptoribus. Tertiò : Quia Græci, in Concilijs Barenſi, Lugdunenſi, Lateranenſi, Florentino, Gentiliacenſi, Aquisgranenſi, cùm pro ſuo errore teſtimonia vndequaque congererent ; hæc verba non produxerunt : quibus tamen ne nunc quidem, à Græcis, illuſtriora poſſunt reperiri.

Quartò : Quòd nec Photius, nec Palamas, nec Cabaſillas, nec Marcus, qui contra Latinos, ſtudioſiſsimè Sanctorum Patrum colligebant authoritates, huius teſtimonij meminerint : quodquè nemo Latinorum fuerit : qui hunc locum obiectum à Græcis dixerit : vel refutauerit. Quintò. Quod Sanctus Athanaſius, Serm. 4. contra Arrianos, verbis, quæ hìc reperiuntur ; plane oppoſitum docet. Ait enim : *Non tria principia, aut tres Patres introducimus : ſicut Marcioniſtæ : cum non tres ſoles ad comparationẽ adducamus ; ſed vnicum ſolem : eiusque ſplendorem : & EX VTROQVE lucem procedentem.* En quantopere verba Sancti Athanaſij ex indubitato opere ſumpta, contradicunt his, quibus dicitur, Spiritus Sanctus, lumen procedens ex ſolo ſolari orbe. Æquum certè eſt magis credere indubitato Sancti Athanaſij teſtimonio : quàm (vt modeſtiſsimè loquar) ex libro ambiguæ & incertæ fidei deſumpto, vni dicto. De his cum aliquandiu leuiter diſceptatum eſſet ; liberaliùs, in tam bonâ causâ agendum ratus Pater Nicolaus, dixit. Cuiuscuius Authoris ea verba ſint ; Nego quidquam Catholicæ doctrinæ ea officere. Dicit enim is. *Solus Pater eſt cauſa duobus & ingenitus.* Et infra qu. 11. *Vnicam in Deo cauſam dico :* (ita eſt in Græco textu :) *& hæc eſt Pater : ipſe enim Pater gignit Filium : & emittit Spiritum. Quare diſce, quòd Pater ſolus eſt αἴτιος.* En clariſsimè, ita hic Author ſe explicat ; vt ego explicaui Sanctum Damaſcenum : aitque : Spiritum Sanctum procedere à ſolo Patre, tanquam ab eo ; qui ſolus ſit Cauſa duobus : qui ſolus gignat & emittat : qui ſolus à ſeipſo omnia habeat : & ideo ſolus dicatur αἴτιος. Hoc Catholici non negant. Hac ergo vſus explicatione, dictum hoc diſtinguo. Dicit, is Author, Spiritum Sanctum procedere à ſolo Patre : vt ab αἰτίῳ : qui omnia habeat à ſeipſo ; qui ſit cauſa duobus : qui gignat & emittat : Concedo : vt à Spiratore, (quem Sanctus Damaſcenus, 1. de Fide Cap. 13. vocat probolea) Nego. Non poterat, Reuerendus Dominus Rector, claræ verborum combinationi, quæ, in aperto libro exhibebatur, refragari. Ideo aliò perrexit : & obiecit, Symboli, eiusdem Sancti, factam à Latinis corruptionem, per additionem vocis Filioquè : quæ à Græco textu, abeſt. Reſpondit Pater Nicolaus : Nego textum Latinum eſſe corruptum : quia non Græcè ſed Latinè, Sanctus Athanaſius Romæ habitans, Romanorum rogatu hoc Symbolum ſcripſit : vt diſertè teſtatur Baronius. Si Reuerenda Dominatio non credit ; feratur Baronius. Mox iuſſu Reuerendi Domini allatus eſt Baronius, Polonico idiomate à P. Petro Scarga in compendium colle-

collectus: ex eoquè lectum est: Sanctum Athanasium Latinè hoc Symbolum scripsisse: illudque Latinè scriptum in Africam delatum esse: & ex eo Sanctum Augustinum, Sancti Athanasij seculo vicinum, aliqua delibasse. Institit Dominus Rector. Quis ergo scripsit Græcum? Respondit Pater Nicolaus: non constare; quòd tamen etiam Græcus textus antiquior, habuerit vocem τȣ̃ ιȣ̃, conuincit Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus: scribens: Græcos in Concilio Florentino huic authoritati sibi obiectæ, non habuisse quod responderent: sed tantùm dixisse, Sanctum Athanasiũ ebrium hæc scripsisse. Ad hæc Dominus Rector, non sine stomacho, ait. Vnitus hoc scripsit: & quis ei fidem habeat? Respondit Pater: Nemini fides neganda; priusquam probetur indignus fide. Gennadium autem, non Græci solùm & Latini, sed & ipsi Turcæ, teste Crusio in Turcogræcia; summè venerati sunt. Rursus D. R. Non miretur R. V. me constanter persuasum esse, corruptum esse à Latinis Symbolum S. Athanasij: Moueor ad hoc, etiam ex eò, quia etiam Symbolum Constantinopolitanum corruperunt: vti disertê testatur Leo Papa: reprehendens Gallos, qui id facere sunt ausi. Hæc loquutus, aperuit tertium Tomum Conciliorum; & Concilio Anquisgranensi insertam exhibuit, epistolam; sæpiùs repetens: Ecce ipse Papa loquitur: Symbolũ corruptũ. Respondit P. Nicolaus. Si R. D. tantopere placet; Leonis Papæ iudicium, de vocula Filioquè, Symbolo non addenda; cur non etiam placet; quòd in eo ipso folio scribit, idem Pontifex, verissimè dici: S. S. procedere à Patre & Filio? Hoc, si Latini, impetrent à Græcis, vt credant; nulla erit de cantu difficultas. Canant illud vti volunt, (quod ipsum eis in Syn. Floren. dictum est:) dummodo credant, quod debent: si salui esse volunt. Vrsit adhuc R. D. Si verè Spiritus S. procederet à Patre & Filio; non esset ratio, cur tantopere hæc Symboli appendicula, Leonem offenderet; vt eam, & prolixa epistola reprehenderet; & affixis tabulis, Symbolum integrum, sine hac voce Filioq;, inscribi, ad perpetuam memoriam curaret. Respondit P.: non dubitare se, R. D. plures huius facti rationes apud varios scriptores legisse: sibi placere eam: quà dicitur, id factum esse: ex iusto metu; ne quemadmodum Galli, de proces. Spiritus S. disputantes cum Græcis, zelo sui dogmatis, Symbolo, vocem Filioquè, inconsulto Pontifice & proprio arbitrio adiecerunt: ita Græci zelo sui dogmatis adijcerent vocem, Solo. Vt ergo S. Symboli, integerrima conseruaretur memoria; iussit Pontifex, quoad ea sola verba illud edi; cum quibus primitus scriptum est: præsertim, quia tunc, addendæ vocis Filioq; non erat tanta necessitas, quanta est nunc: quando recrudescit hæresis Nestorianorum, docentium; Spiritum S. ita à solo Patre procedere; vt, neq; ex Filio neq; per Filium ad intra procedat. Ita per aliquot horas protra-

protracta disputatione, vespera colloquiũ diremit: & P. Nicolaum domũ abire iussit.

SECVNDA COLLOQVII DIES.

Sequenti die, pomeridiano tempore, venit ad Collegium P. Nicolaus: & salutato R. D. Rectore, mediam circiter horam, reuidendis libris postquam impendisset; accersito R. D. Rectore, sumpsit in manũ S. Basiliũ: & exhibuit, prolixam huius S. probationem: qua probabat; in Diuinis, Per; non differre ab Ex: & hoc discrimen, temere allegare Arrianos. Respondit D. Rector: omnia illa, quæ afferret S. Basilius, Sacrarum literarum testimonia, esse de actionibus ad extra: nullum de actionibus ad intra. Contra vrgens Pater: Nihil (inquit,) refert. Vniuersalissimè S. P. loquitur: & impugnat Arrianos: qui Per, ab Ex, ad Filium Dei deprimendum distingui docebant. Vel ergo S. Pater efficaciter premebat Arrianos; vel non. Secundum, eruditionis & zeli S. Basilij, conscius, dicet nemo: Si autem dicatur primum; Ergo S. Basilius, in Diuinis, (de quibus cum Arrianis disputabat) vniuersalissimè, negauit distinctionem Per, à τῷ Ex. His præmissis; produxit P. Nicolaus, S. Chrysostomum: qui Tomo 5. Editionis Venetæ in duabus Symboli Apostolici expositionibus, manifestè docuit: *Spiritum S. procedere ex Patre & Filio.* Ea verba, R. D. Rector, conatus est explicare: de processione Spiritus S. ad extra. Sed contra institit P. De ea hîc processione loquitur S. Chrysostomus, (vt ex nexu verborum patet:) quæ mysterium complet Sanctissimæ TRINITATIS: & quã, potissimùm intelligim⁹, cùm Spiritum S. procedere à Patre & Filio; in Symbolis confitemur. Eam autem, esse processionem Substantialem, & ad intra; patet ex Symbolorũ intentione. Postea, obtulit P. in Operum S. Dionysij codice, vitæ eius scriptorem, Simonem Metaphrastem, ita loquentem. *Meus ad cælos euehitur Christus: & Patriam redit in Sedem: & Spiritum, qui ab illo procedit; mittit in discipulos.* Respondit D. Rector: hunc Scriptorem intelligendum esse non de persona Spiritus S. sed de dono discipulis dato. Tum P. admirabundus: Ergo non ipse Spiritus S. datus est discipulis? Non: ait ille. quia Spiritus S. cùm vbique sit, nemini dari potest. Hoc audito, P. Nicolaus, in hæc verba erupit. Ne ergo R. Dne. ægre feratis, obiectas vobis hæreses, Arrianorũ & Socinistarum. Quod dixi pro Concione, nunc demonstro: hoc argumento. *Qui dicit tertiam Sanctissimæ Trinitatis personam esse creaturam, Arrianus, Macedonianus, Socinista est. Vos dicitis: vt modo audiui. Ergo estis. &c.* Minorem si negetis; probo. *Qui dicit Spiritũ S. missum à Christo discipulis, esse creaturam; dicit tertiam Sanctissimæ Trinitatis personam, esse creaturam. Vos dicitis primum. Ergo & alterum.* Negauit D. Rector hanc Maiorem. At P. arreptis Biblijs, quæ a-

quæ aderant, petijt legi locum illum: Ioan. 15. v. 26. *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis. qui à Patre procedit*: quæ postquam legisset R. D. Rector, institit P. Nicolaus. Agedum R. D. Spiritus S. qui hoc loco dicitur procedere à Patre, vel est creatura, vel non. Si dicetis esse creaturam, dicetis tertiam Sanctissimæ Triadis personam, esse creaturam: & probata manebit proxima Maior. Si negabitis esse creaturam, negare etiam debebitis, Spiritum S. à Christo discipulis missum, esse creaturam. Eum enim misit Christus, quem, promiserat se missurum. Sed promiserat se missurum, eum qui à Patre procedit. Ergo hunc misit. Si ergo is Spiritus sanctus, qui loco citato Euangelij dicitur à Patre procedere, est persona Sanctissimæ Trinitatis; eadem persona est, Spiritus S. à Filio missus: siquidem de eo Spiritu loquebatur Filius; *Quem ego mittam*: qui ibidem dicitur *à Patre procedere*. His magnoperè perculsus Reuerendus Dominus Rector; nec habens, quod argumento opponeret; tandem dixit. Quidquid de hoc sit; quoniam R. V. Syncellum reiecit; ego quoque reijcio Metaphrastem. Contra P. Nego paritatem. Nam Syncellus apud Romanos, & Græcos, non est tanti, vt ex eo aliquod Fidei dogma probari posſit. Metaphrastes autem inter Sacros Historicos, etiam à Græcis ponitur: & in Ecclesiâ legitur, tanquam Sacer scriptor. Ergo ad probandum fidei dogma, eam habet authoritatem, quam non habet Syncellus. Aperuit deinde Pater Nicolaus, S. Basilium: & ex eo primò obtulit legendũ locũ, ex lib. 2. contra Eunom. circa finẽ: ex quo, ostendit, S. Basilium ita argumentari. *Spiritus S. procedit à Filio, Ergo non potest non procedere à Patre: cùm nulla Filij operatio sit diuisa à Patre.* Respõdit R. D. Rector: S. Prem. loquutum, de processione Spiritus S. ad extra. Sed contra ostendit P. de illa ibi Spiritus S. processione; loqui S. Basilium. de qua dicuntur verba illa Christi, Ioan. 15. *Qui à Patre procedit*: siquidem hæc verba citat S. P. At illa verba Christi, sunt de processione ad intra; Ergo & verba S. Basilij. Rursus obtulit P. ex lib. 5. de Spiritu S. legendos aliquot capitum titulos: quibus dicebatur: *Spiritum S. esse imaginem Filij: & ita se habere ad Filium, vt Filius ad Patrem: vt proinde meritò quæratur, cur Spiritus S. non sit Filius Filij.* ad quod c. 12. respondetur: *factum id: non quòd Spiritus S. non sit ex Deo per Filium: sed ne suſpicemur multiplicari Trinitatem.* Ex quibus verbis, P. ita est argumentatus. *Ita se habet Spiritus S. ad Filium, vt Filius ad Patrem: & ita, Spiritus S. est imago Filij; vt Filius est imago Patris. At Filius, reſpicit Patrem, vt principiũ productiuum, cuius ipse imago esse non posset, nisi ab eo naturaliter gigneretur. Ergo & Spiritus S. reſpicit Filium, vt principium productiuum, cuius ipse imago esse non posset, nisi ab eo naturaliter procede-*

procederet. Respondit R. D. Rector: ex esse imaginis malè inferri processionem: cùm etiam Pater sit imago Filij, à quo non procedit. Tum P. Inauditum est hoc apud SS. PP.: Prototypus & exemplar dici solet Pater: imago vbi dicatur; ostendatur. Tacuit ille: & argumenta ex paritate habitudinum dicta præterijt. Ab illis autem verbis, *non quòd non esset ex Deo per Filium,* validè premebatur: Ostendebatur enim illi: scopum ibi quæstionis esse: causam dare: cur Spiritus S. etsi sit imago Filij, & ita se habeat ad Filium, vt Filius ad Patrem; tamen non sit Filius Filij: cui quæsito, cùm facillimè S. P. satisfacere potuisset, dicendo; Spiritum S. ad intra, non originari à Filio; hanc causam, vti falsam, reiecit: & aliam attulit: eo ipso testatus, se sensisse & docuisse, Spiritum S. originem ducere à Filio. Rursus ex eodem libro: quæstione: an Spiritus S. sit Deus; allatus est locus in hoc argumentum contractus. *Spiritus S. discipulis à Christo per insufflationem, cum illis verbis, Accipite Spiritum S. datus; potuit conferre potestatem dimittendi peccata. Ergò est Deus.* Ex quo S. Basilij argumento, ita P. arguebat. *Quem Spiritum S. sua insufflatione Filius, dabat Apostolis, hic procedit à Filio. Hunc Spiritum Sanctum qui est Deus, teste S. Basilio, sua insufflatione Filius dabat Apostolis. Ergo Spiritus S. qui est Deus, procedit à Filio.* Videns R. D. Rector, arceri se hìc à communi effugio productionis ad extra; ad Theophilacti explicationem, recurrit: dicens: ibi; Spiritũ S. tantùm esse promissum: non datum. At contra Pater: aperto Septimo Baronij Tomo, ostendit: hanc explicationem, allatam olim à Theodoro Mopsuesteno, esse à Synodo V. Generali damnatam: idquè ex Constituto Vigilij Papæ, quod legendum R. D. Rectori exhibuit; demonstrauit. Vltimò: produxit P. Nicolaus S. Athanasium: & primò obtulit, locum, ex Oratione 2. contra Arrianos dicentes; Christum esse minorem Spiritu S. eò quòd diceret, se dæmones in Spiritu eijcere; ita loquentis. *Hæc Iudæis, quâ homo loquebatur Dominus: discipulis verò Diuinitatem indicans suam, non iam Minorem se Spiritu, sed maiorem & æqualem significans, dabat Spiritum S.: & dicebat: Accipite Spiritum Sanctum.* Quæ vero alia Maioritas, in Diuinis concipi potest, præter maioritatem Originis? quâ etiam Patrem, esse Filio Maiorem, docent SS. Patres Græci: præsertim S. Gregorius Theologus: cuius notandus est Canon: ex Orat. 36. *Maioris ratio ad Causam Originis pertinet: æqualitatis ad naturam.* Respondit R. D. Rector: non esse hanc vocem, Maiorem: in Latino. Contra P. Satis est, quòd in Græco sit, μέιζονα: Latino interpreti durior fortasse visa hæc loquutio: ideoquè omissa. Respondit secundò D. R. Filium ideo dici maiorem Spiritu S. quòd, Filius, procedat per principaliorem originandi modum: nempe per Intellectum. Contra vrsit Pater. *Nulla in Diuinis, salua fide, fingi potest maioritas, præter eam quam agnouere SS. PP. At*

 hi so-

hi solùm agnouere maioritatem ordinis & axiomatis : quam Latini vocant maioritatem originis. Ergo non debet fingi, alia maioritas : aut producatur, vel vnicus illius testis. Deinde : seclusa maioritate relatiua originum, omnia sunt æqualia in Diuinis : neque est ratio, cur modus Originandi per Intellectū, maior dici debeat modo originandi per voluntatem : immo hinc sequitur inæqualitas in originatis ; si ab eodem principio, principaliùs originatur Filius, quàm Spiritus S. Efficax ergo, hic locus est ; ad probandum ; Filium, siquidem sit maior Spiritu S. ; esse eius principium originatiuum. Rursus protulit, ex eodem S. alterum locum, Pater : nempe ex Oratione 4. contra Arrianos : vbi sunt hæc verba : *Ipse* (Filius) *Spiritum dat : & quæcunq; habet Spiritus S. habet à Verbo.* Vnde ita est argumentatus. *A quo habet Spiritus S. quæcunque habet, ab eo procedit. A Verbo habet Spiritus S. quæcunq; habet. Ergo à Verbo procedit.* Respondit R. D. Rector : Distinguendo Maiorem. A quo Spiritus S habet ; quæcunq; habet tam ad intra quam ad extra ; Concessit : quæcunque habet solùm ad extra : negauit Maiorem : & distinxit Minorem : Spiritus S. habet à Verbo, quæcunque habet ad extra : Concessit : quæcunque ad intra : Negauit Minorem : & Consequentiam. Contra P. obiecit primò vniuersalissimam loquutionem : *Quæcunque habet* : deinde ex antecedentibus, ostendit sermonem esse, de ijs quæ Spiritus S. habet ad intra. Deniq; sic est argumentatus. *A quo habet Spiritus S. vim creatiuam, sanctificatiuam, illuminatiuam, & quidquid aliud habet ad extra ; ab eodem habet quidquid habet ad intra. A Verbo habet Spiritus S. quidquid habet ad extra v. g. vim creatiuam, Sanctificatiuam, illuminatiuam, &c. vt fatentur : Ergo ab eodem Verbo habet Spiritus S. quidquid habet ad intra.* Minor est Vestra : Maior est euidens : nec enim Spiritus S. duo habet principia, à quorū altero habeat, quidquid habet ad intra ; ab altero quidquid habet ad extra. Patet quanto errori obnoxium sit, dicere : Spiritum S. habere aliquid ab eo, à quo non ducat originem ; & ab alio habere, quæ habet procedens ad extra, quàm ab eo, à quo habet ea, quæ conueniunt procedenti ad intra. Tacente ad hæc Reuerendo Domino Rectore, finitum est Colloquium. Patrem domum abeuntem, peramicè ad portam Collegij deduxit Reuerendus D. Rector : asserens : multa se audisse, supra quæ animum reflectere necesse habeat. Valedicens Patri ; dixit : Postridie futuram Theologicam disputationem de Spiritu S. in Monasterio S. Nicolai infra Lauram Piecerscensem : non inuitum fore illius loci Professorem, si eò veniret.

TERTIA DIES, COLLOQVIVM SVBSEQVENS

VEnit eò Pater : & venientem magno honore Monachi excepere : deduxereq; ad Cænobiarcham, qui tum, non solum illi Monasterio, sed & Prouin-

Prouinciæ sui Ordinis præerat: & Theologiæ Professor erat: cuius Theses de Sanctissima TRINITATE, erant defendendæ. Ibi præmissis, solitis humanitatis Symbolis; tertio loco, ad argumentandum, consedit Studiosus: & ad probandam processionem Spiritus Sancti à Filio, sumpsit Sancti Cyrilli Alexandrini illa verba, ex secundo Dialogo ad Hermiam. *Credimus coæternum Patri Filium, & omnia cum Patre æqualiter habentem, præter solum gignere.* Inde ita arguebat. *Quidquid non est gignere, hoc habet Filius, omnia æqualiter habens cum Patre. Actio Spiratiua non est gignere. Ergo eam habet Filius æqualiter cum Patre.* Distinctum est. Quidquid non est gignere, nec radicale, nec formale, hoc habet Filius. Concessum. quidquid non est gignere formale, est tamen radicale, hoc habet Filius. Negatum. & Distincta Minor. Actio spiratiua non est gignere formale. Concessum. non est gignere radicale: negatum. Hìc Studioso tergiuersante, loqui cœpit Pater: Videtur vtriusque propositionis distinctio, magnam pati difficultatem. Minoris quidem; quia imperceptibile est: quomodo Actio Spiratiua possit esse radix generationis, quæ taxi est posterior: vt sæpe loquitur S. Basilius: quomodo item; Spirare sit esse Patris, etsi esse Spirati, non sit esse Filij, cum tamen correlatiua debeant esse simul: quomodo denique spirare, quod est actio Diuinæ voluntatis, sit radix Actionis procedentis per Intellectum. Maioris vero: quia hinc sequitur, Essentiam Diuinam à Filio non haberi. Ad hoc alterum cùm omnes cohorruissent: inde cœpit argumentari Pater: *Quod est radicale gignere, hoc, vobis asserentibus, non habet Filius. Essentia Diuina est radicale gignere. Ergo Essentiam Diuinam non habet Filius.* Negata est Minor. Probata per hoc. *Quod est primum principium & radix Generationis, hoc est gignere radicale. Essentia Diuina est primum principium & radix Generationis. Ergo Essentia Diuina est radicale gignere.* Concessa est Maior: negata Minor. Tum quærit Pater, quid igitur erit primũ principium Generationis si non Essentia? Responsum est: esse Personam Patris. Contra sic Vrsit Pater. *Quod est formale gignere, non est gignere radicale. Esse Patris, est formale gignere. Ergo esse Patris non est gignere Radicale.* Negata est Minor. probata sic. *Non potest concipi Pater in esse Patris, quin præconcipiatur in esse formaliter generantis. Ergo esse Patris, est formale gignere.* Hoc enthymema, cum extra Formam, eludere vellet Disputationis præses; & à Patre rogaretur; vt responderetur in Forma: paratum se dicente probare, & Antecedens, & Consequentiam: petijt Studiosus: liceret sibi argumentari: & proponere quæ parauit. Attulit ergo aliud argumentum: de sequutura, ex hypothesi negatæ processionis Spiritus S. à Filio indistinctione reali Filij â Spiritu S. Et cùm responsum esset: adhuc eas personas distinctum iri, per Relationes disparatas; institit Arguens: *Non minùs sunt*

disparatæ Relationes, Genitoris & Spiratoris, quam geniti & spirati. Ergo si Relationes disparatæ, Genitoris & Spiratoris, non distinguunt realiter personas: quomodo eas distinguent Relationes geniti & spirati? Responsum est: Relationes geniti & spirati, habere vim distinctiuam ex eo; quia sunt in duobus Suppositis: relationes vero Genitoris & Spiratoris, eam vim non habere, quia sunt in vno Supposito. Hîc iterum loqui cœpit Pater: & ad promouendũ argumentum, Græca verba, S. Gregorij Nysseni ex lib. 1. con. Eunomium citauit. *Detracta ratione Principij; in nullo Sancta Trinitas dissidet à seipsa.* Et in Epistola ad Ablauium. *In hoc Solo, alterum ab altero (in Diuinis) discerni censemus: quòd credamus alterum esse* causam *alterum verò* quod ex causa. Ex quo ita est argumentatus. *Qua sola ratione, personas Diuinas posse distingui, docuit S. Gregorius; ita vt ea detractâ, censuerit eas non posse distingui; hac sola ratione, distingui potest Filius à Spiritu S. ita vt subtracta eâ, distingui nequeat. Sola ratione Causæ, & eius quod ex causa, posse distingui personas Diuinas, docuit S. Gregorius: ita, vt eâ detractâ, censuerit eas non posse distingui. Ergo sola ratione Causæ, & eius quod ex causa, potest distingui, Filius à Spiritu S. ita vt subtracta eâ, distingui nequeat.* Hoc argumentum priusquam resumeret Defendens; extra Formam, respondit R. D. Præsidens: S. Gregorium negasse, distingui posse Sanctissimam TRINITATEM, detracta ratione τῦ αἰτίυ, à tota Sanctissima TRINITATE: quod fieret: si Pater, non esset αἴτιος: & duæ aliæ personæ, non essent αἰτιαται. Contra institit P. Verba S. Gregorij, sunt clarissima: ita, vt loco vtroque coniuncto, nemo non videat, ad Personæ vnius, ab alterâ realem distinctionem, à S. Gregorio requiri: non solùm vt Pater sit αἴτιος, sed vt quælibet persona, respectu eius, à quâ distinguitur; sit vel αἴτιος eius, vel αἰτιατον. Dicitur enim: *In hoc Solo, alterum ab altero, discerni censemus; quod alterum sit αἴτιος, alterũ αἰτιατον.* Vbi verba *In hoc Solo:* omnem aliam distinguendi rationem excludunt. Verùm persistente in proposito, R. D. Præsidente; & extra Formã contendente; sufficere, quòd Pater distinguatur ab alijs Personis per esse τῦ αἰτίυ, personæ vero αἰτιαται, per Relationes disparatas: hoc argumentũ obiecit Pater *Relationes disparatæ, vel habent vim, personas Diuinas distinguendi ex seipsis; vel ex inexistentia pluribus suppositis. Ex neutro capite eam habent. Ergo nullã habent vim personas Diuinas distinguendi.* Negauit Defendens Minorem. Tum Pater: Ex quo! Respondit: ex inexistentia pluribus suppositis. Contra Pater: *Quæcunque Forma ex se, vim distinguendi non habet, non potest eam habere, ab eis suppositis, quibus ipsa distinctionem conferre debet. Relationes disparatæ, ex se, vim distinguendi non habent. Ergo eam habere non possunt, ab eis suppositis, quibus distinctionem conferre debent.* Defendens negauit Maiorem. Tum Pater. *Impossibile est, vt id quod naturâ prius est, quodquè alterum actuare consti-*

re, constituere, distinguere debet; sumat vim actuatiuam, constitutiuam, distinctiuam, ab eo; quod est posterius: & quod ab illo priori actuari, constitui, distingui debet. Ergo vera Maior. Rursus, commotior R. D. Præsidens, non expectata Defendentis relumptione, inclamauit. Extrahimur per hoc argumentum ad Metaphysicam. Quid nobis cum Philosophia? Theologicè disputemus. Bene habet, inquit P. Promo ergo Theologicum argumentum. *Si Relationes disparatæ, ex se, vim personarum Diuinarum distinctiuam, non habentes, possent personas Diuinas realiter distinguere, ob inexistentiam pluribus personis, sequeretur: Personas Diuinas posse distingui etiam per Essentiã. Consequens est valde inconueniens. Ergo & hoc ex quo sequitur.* Negauit Sequelam Maioris, Defendens. Probata est ex paritate rationis. *Ideo Relationes disparatæ, etsi ex se personarum Diuinarum non distinctiuæ, possunt eas distinguere: quia sunt in pluribus suppositis. Sed etiam Essentia Diuina est in pluribus suppositis. Ergo etiam Essentia Diuina, etsi personarum Diuinarum ex se non distinctiua, eas, ob eandem rationem distinguere poterit.* Hoc audito argumento, R. D. Præsidens, dixit: Hactenus in via Scoti respondebam: nunc cum nostris Græcis aliter respondeo. Dico Filium & Spiritum S. in nostra hypothesi, negatæ Processionis Spiritus S. à Filio; realiter distingui per diuersos Originandi modos: quia scilicet Filius procedit per intellectum: Spiritus S. per voluntatem Contra sic argumentatus P. *Quæ ipsa in Diuinis non sunt distincta realiter, non possunt personas Diuinas distinguere realiter. Modi originandi in Diuinis non sunt distincti realiter. Ergo modi originandi non possunt Personas Diuinas distinguere realiter.* Prouidus, & acuti ingenij Defendens, aduertit difficultatem; eamquè ad Metaphysicam, cuius erat quàm Theologiæ peritior, volens extrahere; Negauit Maiorem. Contra Præsidens, subterfugiens Metaphysicã, iussit, concedi Maiorẽ, negari Minorẽ. Interea, venit: qui Prẽm. N. euocaret ad nauim, quòd imminente vesperâ, ituro Pereaslauiam, traijciendus esset Borysthenes. Ergo præcisis multis, assurgens P. ait. *De Fide est Generationem & Spirationem non distingui realiter.* Hîc R. D. Rector & alius emeritus Professor, assurgentes, inclamarunt: veram fuisse Minorem: ideoq; Maiorem negari debuisse. Tum P. Nicolaus. Bene habet (*inquit*) quòd RR. Dni aduerterint, R. Dnum. Præsidentem, eô vi argumenti esse impulsum; vt negauerit eam propositionem; quam sine hæresi negari non posse, ipsimet RR. DD. agnoscunt. Hoc nunc, quia iter instat, & vesperâ imminente tantus fluuius est traijciendus, contẽtus abeo. Reduxere Patrem ad nauim aliquot primarij Hieromonachi: & in Studiosis magna animorum sequuta immutatio: immo & in ipsismet Religiosis. Nam famâ huius disputationis, & dictorũ pro Concionibus crescente, factũ est: vt non pauci mutarint sententiã: & aliquot, ad Vnitorũ

asceteria se receperint : vnus, Seraphicum, Patrum Minorum Obseruantū ordinem, sit ingressus : plures commodam expetèrent occasionem Schismatis rescindendi : & antiquis ritibus retentis, in vera fide, & Romani Pontificis subiectione, Græcorum antiquissimorum exemplo, etiam in Slauonicis libris copiosè descripto ; viuendi. Sed inuidit Sathanas tam felicibus rei Christianæ progressibus : & toto commoto Acheronte, omnia susq; deq; egit. Videbat Kiouiæ magnam animorum commutationem factam : videbat per Missionarios Pereaslauienses, Ecclesiæ Catholicæ tentoria, vltra Porohos, ad ostium prope Borysthenis, Pontum influentis, extendi. Ergo, aliquos, facibus inuidiæ incensos, eô impulit : vt in Mahometanā seruitutē, patriā suā, maluerint tradere : quàm Cath. Eccl. tanta intueri incrementa.

Misera Rußia ! si necdum tempus visitationis tuæ, & lachrymantē super te IESVM agnoscis. Ea iam spectasti, quæ à recepta Christiana fide, tot licet hostibus cincta, spectaturam te, imaginari non poteras. Quid non, contumeliarum, in Sacras imagines, in loca Deo dicata, in ipsum tremendum & Angelicis cætibus Venerabile Sacramentum, effusum est? Quæ non crudelitas exercita in eos, qui suorum pectorum obiectu, Scythicas prædas, & Turcicum imperium à te avertebant? Ne sexui quidem, nec ætati infirmæ, venia data. Crimen fuit, coniugem aut prolem fuisse eorum : qui pro tuâ incolumitate singulis annis cum infestißimis hostibus dimicabant. Quod horribilius est, etiam in mortuos sæuitum est : & quod, nec in summa, auditum barbarie, Heroum effoßi cineres : & furfuribus inspersi, porcis in pabulum facti. Misera, & sanguineis lachrymis deploranda mater ! Tuo ipsamet incendio ardes. Tuorum filiorum tanto sanguini innatas, quantum nec Scythica nec Turcica framea vnquam effuderunt : plurium cadauerum, vno & altero anno, te ferociente, tumulus facta : quàm quot Turcica vel Tartarica bella, terris iniecerunt. Quot agmina Christianorum, tuis prope manibus, in Scythica vincula coniecisti ! tot populorum millia, tot pecuniarum milliones, impendens, vt perires : quot quibusquè collocatis melius, non solum Taurica Chersoneso, sed & Constantinopoli, poteras dominari. Infelix Mater ! tui in ipsius viscera crudelior, quàm in Turcas vnquam vel Tartaros fuisti. Si quis tibi tantæ insaniæ author, fuit ; iudicium portabit, quicunq; est ille. Sed magis credo : illam, illam, virgam vigilantem, quam tibi imminere, tui Studiosißimi, Patres. Smotricii, Dubowicii, Creusii, Pocies, aliiq; non sine lachrymis prædicebant ; virgam inquam illam ; quâ DEVS, Græcorum Schisma, toto castigat Oriente ; tibi, eiusdem criminis complici, diu expectata, & multifariam quæsitâ emendatione, non apparente ; cæpisse inuigilare. Quantos animos extulerat Græcia, cum Latinos expulit Constantinopoli ! infelix ! nesciebat, se sublatam in altum, vt lapsu rueret grauiori. Hoc ipsum, tibi, miserabilis Prouincia, ne eueniat ; præcaue : dum licet ; & audi Ecclesiam cum Hieremia plorantem, teque ad pœnitentiam his Verbis, inuitantem :

Hierusalem, Hierusalem, conuertere ad
Dominum DEVM tuum.

eruantũ
chiſma-
ni Pon-
Slauo-
elicibus
ſq; deq;
n : vide-
ltra Po-
Ergo, a-
ruitutẽ,
ementa.
VM agno-
turam te,
Deo dicata,
Quæ non
icum im-
fuit, con-
ßimis ho-
ec in ſum-
pabulum
des. Tuo-
quam ef-
uàm quot
prope ma-
es, impen-
ed & Con-
m in Tur-
portabit,
inere, tui
is prædice-
nte ; tibi,
non appa-
Conſtan-
ſum, tibi,
Hiere-